745

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

KW
381
M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

381
M 30



Amſterodami apud Ioannem Janſſonium. Anno. 1645.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Illuſtriſſimis Principibus & Dominis,

DN. ERNESTO Gottlieb:
DN. IOHANNI:
DN. Lebrecht:
DN. IOHANNI GEORGIO:
DN. IMMANVELI:
DN. Erdtmann GEDEONI:
DN. VICTORIO AMADEO:
DN.

Principibus Anhaltinis, Comitibus Aſcaniæ, Dominis Serveſtæ & Bernburgi, Iunioribus. Dominis meis clementiſsimis,

Salutem à DEO.

A*Ntiquis temporibus*, ſcribit Vegetius ad Valentinianum Auguſtum, *mos fuit bonarum artium ſtudia mandare literis, atque in libros redacta offerre Principibus. Quia neque rectè aliquid inchoatur, niſi, poſt DEVM, faverit Princeps: neque quemquam magis decet vel meliora ſcire, vel plura, quàm Principem, cujus doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubjectis.* Hæc ille.

Non exolevit hic mos, *Illuſtriſsimi Principes.* Etiamnum bonarum artium ſtudia mandantur literis, & in libros redacta offeruntur *Principibus*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quorum faventiâ conſervantur & provehuntur. Etiamnum Principes plerique ſui memores faſtigii, optima & plurima ſcire, celſæ ſuæ fortunæ non tantùm decorum, ſed & planè neceſſarium exiſtimant. Quando *rude & diſciplinæ expers ingenium*, ut graviſſimè ſcribit *Syneſius*, *ubi poteſtatem adeptum eſt, cælum ipſum, quod dicitur, capite tundere conatur. Solæ, literæ ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitant*, de ſententiâ *Livii*: ſolæ ingenium molliunt, & tanto curarum, quæ principi incumbunt, oneri ferendo idoneum reddunt: cum potentiſſimos videamus impotentibus iris animique affectibus, qui ruditatis eſſe comites amant, frangi, rerumque moli ſuccumbere. Vnde *Auguſto* olim ſenatus acclamavit: *Et quis melius, quàm gravis, imperat? Et quis melius, quàm literatus, imperat?* Hac inductus causâ Romanorum Rex olim per literas *Franciſcum Regem* exhortatus eſt, ut filios ſuos liberalibus inſtitui diſciplinis curaret; cogitaretque, *Regem illiteratum eſſe quaſi aſinum coronatum*. Quæ *Elfredo*, *Anglorum* Regi, ſæpius à præceptore inculcata verba refert *VVeſtmonaſterienſis*, ad annum 871. Et hæc cauſa, quod etiamnum, poſt Reipublic. cogitationem, prima ſit *principibus*, de rectâ filiorum educatione & inſtitutione: quam qui negligunt, Illuſtriſſimas familias quaſi obſcurare, & idoneis Rempublicam *Rectoribus* fraudare prudentibus videntur: quæ inter calamitates, quibus humanum affligi genus ſolet, facilè eſt Princeps. Vnde, *væ regioni*, exclamat *Eccleſiaſtes*, cap. 10. v. 13. *cujus Rex puer eſt*: ubi non tàm ætate, quàm moribus & inſcitiâ puerum notat: cujus damna *Eccleſiaſticus* cap. 10. v. 2. 3. eloquitur: *Rex rudis*, inquit, *perdit populum ſuum: civitas verò intelligentiâ potentum habitabitur. Qualis eſt judex populi, tales etiam ſunt miniſtri*

niſtri ejus, & qualis eſt Dux civitatis, tales omnes habitatores ejus. In manu Domini, inquit idem ſapiens, v. 5. *eſt proſper ſucceſſus viri, (Principis) qui faciei literati gloriam ſuam appoſiturus eſt.* Illuſtris, *Principes illuſtriſſimi*, promiſſio! Gloriam à natalibus trahitis illuſtriſſimis & antiquiſſimis: quam literarum acceſſione amplificatum & itis & porrò ituri eſtis: quam faciebus veſtris Domini manus majorem apponet. Vos ſtrenuè, quod ingreſſi eſtis virtutum & eruditionis ſtadium, decurrite. Hoc ut pluribus *Romani Imperij* Principibus eſt commune, ita *Anhaltinis* gentilitium, & orbis literati ſuffragiis jam pridem firmatum: vivis Illuſtriſſimorum veſtrorum parentum, Dominorum meorum clementiſſimorum, atteſtantibus etjamnum exemplis.

Ad auguſtum hoc virtutum & erudutionis in principum puerorum Iuvenumque animis excitandum templum, ſubditos, quicquid poſſunt, conferre par eſt, & eos inprimis, quos in Rebuſpubl. literas & artes profiteri *Principum ſanctiones* jubent. Vnde tot olim prodierunt & hodiè prodeunt *Principum inſtructiones & inſtitutiones*, quæ totidem doctorum, pro idoneis Rerumpublicarum *Rectoribus* impetrandis, ſunt vota: in quibus qui ſegnes ſunt, nec ſibi nec Reipub. rectè ſapiunt. Vota hæc & facta adeò olim grata *Regibus* & *Principibus* fuerunt, ut veluti *Numina* quædam ſuos venerari præceptores glorioſum ſibi duxerint: quod *Valentiniano Iuniori* inculcat *Themiſtius* & inſigni exemplo *Gratiani* Imperatoris comprobat, *quem cum omnes Græci & Barbari venerarentur, & Celtæ atque Germani formidarent, ipſe tamen, Auſonio præceptore verba faciente, majeſtatem ſuam exuit, ſupercilium depoſuit, & è ſolio imperiali, unde Barbarorum legatis reſponſa dedit, deſcendit: Cui majori fuit cura aures*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

præbere præceptori ſuo, quam vel privatorum ſolent filii. O ter quaterque, exclamat Orator, *hoc metu beatum* Gratianum! *Iſto metu ad veram animi magnitudinem deducetur!*

Etſi verò nihil, quod animum poſſit excolere, indignum eſt *Principe*, & in ejus *linguâ* par eſt inſidere *Suadam*, in *mente* omnigenam *virtutem* & *eruditionem*: tamen, poſt *pietatem*, nihil tàm decorum & neceſſarium Principi, quàm *Reipublicæ benè adminiſtrandæ peritia*, ſine quâ nulla ſperari ſalus Reipubl. poteſt. Eſt enim multorum capitum belua *Populus* & irrequieto atque undabundo non abſimilis *mari*, quod ut ſine *naufragio* non frequentat imperitus *Nauclerus*: ita nec *populum* ſine præſenti *diſcrimine* tractat imperitus *Princeps*. Hanc verò peritiam qui uſu tantum *Principibus* comparandam exiſtimant, nihilo judicare ſanius mihi videntur, quàm qui, neglectis *Medicorum* libris & inſtitutionibus, medendi peritiam non niſi è propriis experimentis acquirendam arbitrantur. Vt enim hæc non ſine ægrorum cædibus, ſic illa non ſine Rerumpubl. damnis paratur. At felicem & prudentem ſapientes prædicant, quem aliena pericula cautum faciunt: ſtultum & infelicem, quem non niſi propria erudiunt.

Innoxiam hanc Reipubl. benè adminiſtrandæ peritiam promittit *doctrina politica*: cui excolendæ tot excellentia ingenia, omnibus penè ſeculis, quibus in pretio bonæ literæ fuerunt, ſuam impenderunt operam: quorum uti fruique laboribus, poſtquam in lucem ſunt miſſi publicam, omnibus permiſſum, imò Autorum votis unicè expetitum. Hæc ut & ego meo loco promoverem, flagitantibus ita diſcipulorum & domeſticorum meorum deſideriis, ſuperioribus annis, multorum in hoc argumento labores contuli,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quæ in iis captui tironum videbantur accommodatiora, ſelegi, & in hoc præſens opuſculum compegi: quod, ſive methodi ſpectetur ratio, ſive rerum pondus & multitudo, lectoris ſibi ſtudium facilè conciliabit, & *politicæ ſtudioſum*, ſive ad Reipubl. gubernacula aliquando ſeſſurum, ſive conſilio gubernatores adjuturum, ſive denique non niſi gubernatoribus pariturum, (in ſcholis enim imperare & parere diſcimus docemusque) non ſine fructu à ſe dimittet. Quibus ingentia *politicorum*, ſive veterum, ſive recentum, volumina percurrere non licuerit vel libuerit, ii, uno ferè obtutu & oculi ictu, quaſi in tabellâ depictam omnem *politicæ univerſalis & ſpecialis, Romanæ modernæ* rationem perluſtrare poterunt.

Meo, quod ingenuè fateor, voto hactenus plenè non ſatisfecerunt, qui *ideâ Politicæ*, ſive *Ariſtotelicæ*, ſive *Platonicæ*, contenti, univerſalis tantum, vel etiam priſcæ alicujus Reipublicæ hiſtoricâ delineatione ſubſtiterunt, noſtrorumque temporum *Politicam Romani Imperii adminiſtrationem* neglexerunt. *Neſcire quid, antè quàm natus ſis, acciderit*, de Ciceronis ſententiâ, *eſt ſemper puerum eſſe*. Quid ergo illis fiet, qui quæ ſuis accidunt & vigent temporibus, neſciunt?

Ita igitur *vetera* & *præterita* ſunt laudanda & cognoſcenda, ut *recentia* & *præſentia* non negligantur. Siquidem veterum Rerumpubl. inſtituta ideò diſcimus, ut noſtris temporibus inſerviant, nobisque ad res noſtras bene gerendas ſint adjumento. Hæc cauſa, cur ex politicæ doctorib. inprimis eos probem, qui *è theſauris ſuis nova & vetera promunt*, & ad ſuavem utraque harmoniam redigunt: quorum inſiſtere quoque in hoc libello veſtigiis mihi viſum.

Accipite igitur: *Illuſtriſſimæ Spes Anhaltinæ*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quod nominibus veſtris conſecro, *Politicum ſyſtema*, Scholam Principibus junioribus indignam. Vt enim Plato, in 1. de LL. rectè monet, *eos, qui præſtantes viri in aliquo ſunt evaſuri, ab ineunte ſtatim pueritiâ, idipſum tàm ludendo, quàm ſtudendo, in ſingulis, quæ illi conveniunt negotio, oportet meditari.* Quid nî igitur & *Principes*, quos Rebuſpubl. regendis naſci in confeſſo eſt? Exiguus quidem mole eſt libellus: ſed qui de rebus maximi momenti præcipit, omniumque nobiliſſimam diſciplinam complectitur: qua carere Princeps bonus non magis poteſt, quàm *armis Miles, clavo Nauclerus, aut regulâ Architectus.*

In primo limine hujus diſciplinæ occurrent vobis primordia Rerumpubl. quæ ex parvis initiis in tantam excreverunt molem. Primùm enim mortales diſperſi mox in ſocietatem quandam, ſuadente ita *neceſſitate* & *utilitate*, coïverunt: unde cætus nati minores, qui vel domiciliis hinc inde ſparſis, vel pagis continebantur: in quibus cum ſibi minus tuti viderentur, de oppidis munitis cæperunt cogitare, & paulatim Rempubl. efformare certis munitam legibus, certique magiſtratus firmatam præſidio. Inde, pluribus pagis & oppidis eaſdem leges, eundemque magiſtratum accipientibus, paulatim ſurrexere *Reſpubl. Principatus, Regna, Imperia* per totum orbem diviſa & diffuſa. Si longius progreſſi fueritis, in ſpatioſiſſimum & amæniſſimum *adminiſtrationis togatæ* campum incidetis, ubi variæ ſe offerent *formæ modique* deferendi Rempubl. diverſi, qui in *Principatibus* & *Regnis* hodieque obſervantur. Deprehendetis heîc ad *Principem* omnia tandem devolvi, & ab hoc Reip. ſalutem exſpectari: cujus *auguſtum* ne inquinetur *nomen*, à *Principe tyrannus* diſtinguitur, & *infamiæ tyranni Principis gloria* opponitur, cui omnis hic labor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bor velificatur. Hinc in theatrum *virtutum principalium* vos induci videbitis: ubi occurret *pietas* in DEVM, *temperantia* Principis erga ſe ipſum pluribus comitata virtutibus cognatis, & *juſtitia* erga alios, inprimis verò ſubditos. Hoc *virtutum principalium* theatrum ad *officii* vos intromittet theatrum, quod *ſanctione legum, cuſtodiâ diſciplina* & *exercitio juriſdictionis* continetur. Cum verò gravior hic ſit adminiſtrationis *Atlas*, quàm ut hominis unius geſtari humeris poſſit, auxilia circumſpicienda ſunt *Conſiliariorum, Legatorum*, *miniſtrorum* aliorumque *munimentorum*, in quibus, *Res ſacra ſanctaque, arma, propugnacula, opes, conventus, fœdera*, de quibus ſingulis accuratè hæc præcipit diſciplina.

Et ſic, à *generali* Reipubl. ideâ, ad *ſpecialem Romani Imperii*, tanquam ad exemplum, præceptio delabitur. Hujus cum & vos pars ſitis, *illuſtriſſimi Principes*, quæ domi & in natali *Excelſitatis veſtræ* ſolo ſolioque gerantur, ſcire non decorum tantùm, ſed & neceſſarium eſt. Vos enim & jura veſtra noſſe non poteritis, niſi *Rom. Imperii* majeſtatem noveritis: quam ſi noveritis, *magnam eſſe Principis, majorem verò Principis Rom. Imperii dignationem*, intelligetis. Pandet hanc *Imperii Rom.* majeſtatem idem hic libellus, qui Romani Imperii *corpus* & *membra* delineat: & in *corpore* quidem *conſtitutionem, ad Germanos translationem, præeminentiam* & *in circulos diſtributionem* conſiderat. *Membra* in *caput* & *ſtatus* diſtribuit. Caput *Imperator* eſt, cujus *electionem, coronationem* & *poteſtatem*, tàm reſervatam, quàm *Regi Romano, Cameræ, Iudicio Rotvvilenſi* & *Statibus Imperii* communicatam deſcribit. ad *tres Statuum ordines* digreditur, ad *Electores, Principes* & *Civitates liberas*. Vbi de *auguſti collegii Electoralis* origine & poteſtate, de *Principum* *& ci-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

& civitatum liberarum privilegiis, de præcipuarum *illuſtrium familiarum* natalibus, incrementis & decrementis diſſeritur. Quæ publici juris ferè ſumma eſt. Et hactenus togata Reip. adminiſtratio. Cum vero à primis ſuis incunabulis Reſpubl. bella exercuerint horrida, hominumq; in iis ſanguine luſerint, neque aliud modò infelix hoc noſtrum agat ſeculum: quando à multis jam annis, urgentibus ita *Germaniam* fatis, abjectâ togâ, *Sagum* arripuerunt & ſub eo in hunc uſque diem ſudant, & tantùm non exſpirant, *Imperii Romani Principes*: & aliàs Pacis Bellique moderatores eſſe Principes par ſit; ne heîc quidem deeſſe *Principibus* diſciplina hæc ſuſtinet. Vnde de *Bello* quoque pręcipit & *Principes* inſtruit: *cauſas* Bellorum *manifeſtas* & *occultas* indagat, *apparatum bellicũ* deſcribit, *Ducem* informat, *militis delectum* facit, in *ordines certos* diſtribuit, tandemque in ipſam quaſi *arenam* deſcendit, *caſtra* locat, *excubias* conſtituit, *obſidiones* molitur, *aciem* inſtruit, *prælio* congreditur, *ſtratagematis* utitur, triſtiſſimos bellorum eventus, *cædes*, *vaſtationes*, *incendia*, (quæ in Germanię viſceribus, jam fere in annum viceſimum, ſæviunt) ob oculos ponit, *victoriam* moderatur, deniq; *pœnas* & *præmia* decernit. E ſolo *uſu* hæc omnia diſcere, *gregarii militis* eſt, non *Principis*, quem ad cruentum hunc *Martis* luſum pluribus inſtructum ſubſidiis & munitum præſidiis par eſt accedere, ne & ſe & totum exercitum in præſentiſſimum conjiciat diſcrimen.

Neque pedem heîc figit *Politicus*: poſtquam enim Principi prima *Reipubl. Principatus* & *Regni* incunabula mõſtravit, omnemq; officii pace belloq; adminiſtrandi rationem explicavit; tandem & Reipubl. *everſionem* ſedulò præcavere, docet, cauſis ejus accuratè repræſentatis: quæ ex *parte Magiſtratus tantùm* ſunt *injuſtitia*, *diſcordia*, *ambitio*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bitio, avaritia, abdicatio : ex *parte Magiſtratus & ſubditorum: violenta religionis mutatio, idololatria, libido, luxus, ſuperbia pauperũ, oppreſſiones, factiones, defectiones, ſeditiones, bella civilia, proditiones, conſpirationes, inſidiæ.* Has qui peſtes Reipubl. exterminaverit Magiſtratus, (cui ſe ducem hac quoque parte offert *Politica*) de everſione ſecurus erit; qui neglexerit, ruinam accelerabit.

Hæc ſumma, *Illuſtriſſimi Principes*, libelli, quẽ de veteri more vobis offero, curarum principalium indicem: quas etſi animis, ut cuique ætas permittit, jam agitatis, non tamẽ, ut opinor, intempeſtiva videbitur humilima hæc parænesis, à *Celſitudinum veſtrarum* profecta veterano miniſtro, quem laudatiſſimæ memoriæ veſtri quoque, ex parte, *Avi*, ante annos fere XXX, *illuſtriſſimorum & celſiſſimorum veſtrorum Parentum, Dominorum meorum clementiſſimorum*, inſtitutioni humilimè operari clementiſſimè voluerunt.

Durum vobis, *Illuſtriſſimi Principes*, Majores, Avi & Parentes veſtri celſiſſimi onus imponunt, quos ad virtutum Principalium, quod attingere paucis contingit, faſtigiũ exemplis evocãt & hortatu ſtimulant. Vnde ſubditis veſtris vitio dederit nemo, ſi pro ſuis quisq; viribus ſcalas gradusq; vobis mõſtraverit & obtulerit: qui & mei ſũt conat⁹

In tẽpora incidiſtis, *Illuſtriſſimi Principes*, difficilima; quibus difficiliora nunquam eſt experta *Illuſtriſſima Domus Anhaltina*. Sed non deerunt vobis ardentia ſubditorum vota, quæ divina miſeratio tãdem exaudit & decumanis noſtris calamitatibus, ad Nominis ſui gloriã & Eccleſiæ ſalutem, imponet finẽ. Sic priſtina tandẽ veſtri Principatus gloria extantis bellorũ onerũq; intolerabiliũ difficultatibus emerget, & à mille retro annis ad vos per *Majores* propagata poſſeſſio tranquilla obtinget. Amẽ. Dabã *Serveſtæ* 12. Aug. 1638.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

R*Em neque novam neque inſolitam aggredior*, amice Lector, *dum* Georgii Schonborneri ICti, hiſtorici & Philoſophi nobiliſſimi & clariſſimi, *Politicorum libros, paulò alio vultu cultuque produco, & Politicæ ſtudioſis atque tironibus commendo. Conſilium hoc meum ipſe, ut ſpero,* Autor *non improbabit, poſtquam rationes ejus intellexerit.*

Politicam profeſſionem *publici officij ratio mihi non injungit : etſi jure ſuo philoſophus eam ſibi vindicat, tanquam partem* philoſophiæ practicæ *à præſtantiſſimis quibusque philoſophis olim hodieq; excultam : quos adeo ab hoc ſtudii genere non excludit* philoſophiæ profeſſio, *ut olim filios ſuos* Reges *non niſi à* philoſophis *erudiri & ad Rempublicam gubernandam manu duci voluerint. Lubentes illi ſua* philoſophiæ *ſceptra ſubmiſerunt, & cum omnium eſſent Domini, huic tamen quaſi Reginæ ſubeſſe glorioſum duxerunt, & exclamanti Ciceroni (qui non* philoſophus *tantum, ſed &* Romanæ Reipublic. princeps *fuit) acclamarunt.* O vitæ philoſophiæ dux ! O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum ! Quid non modò nos, ſed omnino

nino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxiſti: Tu inventrix legum: Tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugiamus: à Te opem petimus: Tibi nos, ut antea magnâ ex parte, ſic nunc penitus totoſque tradimus.

Propter eos hoc moneo, qui nimis imperiosè à politicis judiciis Philoſophos *repellunt, & in hunc quando* campum *deſcendunt, quaſi in alienam meſſem immiſſa falcis & πολυπραγμοσύνης accuſant. Longè alia mens fuit Marci Antonini Imperatoris, cui hac* Platonis *ſententia in ore ſemper fuit:* Florere civitates, ſi aut philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur.

Cum igitur domeſtici quidam mei, ante annos aliquot, de politico in uſus privatos me appellarent Syſtemate, quod & Rempublicam in genere, & modernam Romanam, *omnium eminentiſſimam in ſpecie delinearet, deliberare mecum capi, utrum ipſe hujuſmodi adornarem ſyſtema, an ab alio adornatum diſcipulis commendarem. Cumque alia me tum temporis occuparent ſtudia, malui aliorum heic uti fruique laboribus, quàm in hoc ſtudii genere aliquid novi parturire. Multos igitur conſului* politicæ diſciplinæ *ſcriptores, ſi forte in iis invenirem, qui meo & diſcipulorum meorum voto atque inſtituto ex aſſe ſatisfaceret. Cum autem in aliis me nimia abſterreret* prolixitas, *in aliis* methodi *non adeo exquiſita ratio, in aliis* univerſalis *tantùm* politicæ *deſcribendæ conſilium, in nonnullis hæc omnia;* incidi *tandem, bono omine, in* Georgii Schonborneri, *ICti nobiliſſimi Politicorum libros VII. in quibus facilè acquievi, quod concinnâ methodo & brevitate omnia digererent, & è viſ-*

ceri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ceribus non tantùm Reipubl. in genere, *ſed & mo*dernæ Romanæ in ſpecie *depromti eſſent, adeoque priſcis recentia & utilibus dulcia ubique miſcerent: quo nomine omne apud me punctum tulerunt. Neque, uti video, apud me tantùm, ſed & apud plures alios: cujus rei locupletes habeo teſtes tot unius illius libri intra pauculos annos editiones, quot in hoc ſcripti genere non memini me videre: niſi memoria me fallit, decimam vidi. Hos igitur* claríſſimi Schônborneri *politicorum libros domeſticis meis commendavi, his legendis, relegendis & ſi fieri poſſet, memoriæ mandandis juſſi incumbere. Nec mora: operi ſe ſtrenuè accingunt, & progreſſus faciunt non contemnendos, ſed, ecce, currentibus, inter initia & progreſſu, ſubinde remoras injici ſentiunt: quæ quidem judicia confirmatiora non attinuiſſent, imbecilliora verò, ut tironum eſſe ſolent, omninò attinebant. Non enim poterant ſingulorum capitum* methodum *aſſequi, non* præcepta *à* commentariis *diſtinguere, non* themata *ſingula dignoſcere, non* argumenta *ſingula applicare, non* neceſſaria *à* non neceſſariis *ſejungere. Hoc cum animadverterem, hæſitantibus omnino ſuccurrendum ratus, in manus, ut ajunt, opus ſumpſi & in* formam exquiſitè ſyſtematicam *redegi, libris primum ſeptem in tres contractis, deinde præceptis ubique à commentario diſtinctis, inde methodi lumine, & tabulis operi præfixis (quas & ipſas contraxi) in capita ſingula illato; tandem argumentis ubique ad themata ſua revocatis, & ad logicæ præſcriptum applicatis, paſſim etiam, ne tironum memoria obrueretur, quæ ignorare ſine damno & adultioribus (quibus dubio procul ſuos* Autor *labores primum conſecravit) relinquere videbantur poſſe, prætermiſſis.*

Natum hinc, quod vides, amice lector, compendium politicæ Schônbornianæ, *quod trium*

ferè

ferè menſium ſpatio dictando & diſcendo abſolvimus: Cæpimus enim (ut ne & hoc ignores) VIII. Octobr. Anno M. DC. XXXIV. finiimus XXVIII. Decembr. Anni ejuſdem; materiæ jucunditate, operis brevitate & methodi facilitate docentis & diſcentium alacritatem fovente.

Ab illo autem tempore privati Muſei *clauſtra perrupit hoc noſtrum compendium, & à multis deſcriptum in multorum verſari manibus cæpit, flagitari etiam ad uſus publicos minori pretio & labore redimendos. Quod cum intelligerem, & vererer ne fortè, me inſcio, in* clariſſimi Domini Schônborneri *& mei præjudicium, ulibi typis deſcriberetur & vulgaretur, ad incudem revocavi, quantumque compendij videbatur ferre poſſe ratio, auxi. Noveris autem,* amice lector, *argumenti hujus tractatus non paucos,* & *in iis magna etiam volumina me perluſtraſſe, indeque multa meo inſtituto ſervientia & ad politicam ſive generalem, ſive Romani Imperij ſpecialem pertinentia ſelegiſſe & huic opuſculo inſeruiſſe; quod in receſſu plura exhibebit, quàm promittere videtur in fronte. Teſtes laudo capitum ſummas, quæ indicis loco eſſe poterunt.*

Tu quisquis es, Politicæ tiro, ingentia aliis rura ne invideto, & exiguum hoc colito judicii & memoriæ tuæ viribus accommodatum. Quæ à me ex aliis & de meo acceſſerunt Schônbornianis, *fraudi eſſe nobiliſſimo* Autori *non poſſunt; cum ex tot editionibus liber ejus in omnium ſit manibus. Publico bono, cui uterque litamus, omnia concedenda.*

Eſto hic gradus ad majorem nobiliſſimi Domini Schônborneri *politicam, quam* politicis obſer-

obſervationibus *auctam ſuperiori anno promiſit, multorumque hactenus deſideria irritavit.* *Hæc erant*, amice Lector, *quæ ſcire te volui prius, quam in rem præſentem adducereris. Vive, vale, fruere & fave.*

PRO-

PROOEMIUM

Continens Prolegomena doctrinæ politicæ, quæ numero tria ſunt, (1.) Definitio: (2.) Cauſæ: (3.) Partitio.

D*Efinitio Politicæ:* Theſis 1. Etymon Politicæ: Explicatio 1. Genus Politicæ, prudentia, 2. Rectum de Republ. judicium, 3. *Efficiens Politicæ*, Th.2. Adjumenta, quibus prudentia politica paratur ſunt uſus, Expl. 1. Hiſtoria, 2. Peregrinatio modica, 3. Converſatio cum ſapientibus, 4. Præcepta, 5. *Materia, ſeu objectum politicæ*, Theſ. 3. Ad conſtituendam Rempubl. quæ requirantur: Expl. 1. Cauſæ, quæ homines impulerunt ad faciendam ſocietatis coitionem, 2. *Forma interna & externa:* Th. 4. *Finis*, 5. Moderatori Reipubl. beata civium vita propoſita, Expl. 1. Præſtantia doctrinæ ex objecto & fine æſtimanda: 2. Pſeudopolitica Machiavellica, 3.

LIBRI PRIMI
de Reipubl. Conſtitutione,

CAPUT I.

De ortu Reipubl. ejuſque incrementis in genere, & in ſpecie de conjunctione maritali.

C*Onſtitutio Reipubl. quorum conſideratione abſolvatur*, Th.1. *Ortus Reipubl. divinus & humanus,*

manus, 2. Probatur eſſe Reſpub. & magiſtratum à DEO, Exp. *Incrementa Reipubl. in genere ad cauſas octo relata*, Theſ. 3. 4. Vicinarum civitatum ruina, Expl. 1. Promiſſio & conceſſio libertatis, 2. Civium diſparitas, 3. Arma, 4. Concordia, 5. Deductio coloniarum, 6. Invitatio ad varia ædificia condenda, 7. Cauſæ impedientes Rerumpubl. incrementa, 8. *Incrementa in ſpecie conſiſtunt in conjunctione paucorum vel plurium*, Th. 5. *Paucorum conjunctio diſtinguitur*, 6. *Conjunctio maritalis*, 7. Maritalis conjunctio antiquiſſima, ſanctiſſima: cælibatus olim exoſus & prohibitus, punitus: Expl. *Circa matrimonii conſtitutionem obſervanda*, Th. 8. *In uxoris electione conſideranda*: Th. 9. Vxoris etymon. Expl. *Genus*, Th. 10. Æqualitas reſpectu generis cur obſervanda, Expl. 1. Quare ſpectanda parentum pietas & probitas, 2. *Forma*, Th. 11. Formæ deſcriptiones variæ, & cur ejus habenda ſit ratio, Expl. 1. In formæ æſtimatione proprio potius, quàm alieno ſtandum judicio, *Ætas*, Theſ. 12. Nubendi tempus fæmellis præſcriptum, Expl. *Mores in electione uxoris ſpectandi*, Th. 13. Non omne ornatus ſtudium vitio vertitur, ſed nimium, Expl. 1. Pudicitia in fæmellis requiſita, 2. *Cura rei familiaris*, Th. 14. Dos non planè negligenda, nec tamen nimis affectanda, Expl. *Ritus nuptiarum*, Th. 15. Ad conſtitutionem matrimonii neceſſarius eſt conſenſus partium contrahentium & parentum, Expl. *Officia conjugum*. Th. 16. *Marito & uxori communia*, Th. 17. Neceſſaria eſt ſedula divini Nominis invocatio, Expl. 1. Sobolis procreatio præcipuus eſt finis conjugii, 2. Mutuum in omni vitâ adjutorium, 3. Religioſa fidei conjugalis obſervantia, 4. Adulteria apud gentes nonnullas non punita: ib. *Officia mariti propria*, Theſ. 18. Alimenta uxori procuranda, Expl. 1. Defenſio

uxori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

uxori debetur, 2. Gubernatio domeſtica incumbit viro, 3. *Officia uxoris propria*, Th. 19. Exhibitio honoris & obedientiæ, Expl. 1. Cohabitatio, 2. Cura ſobolis in lucem nondum editæ, 3. Ejuſdem in lucem editæ cura præcipua, lactatio, ib. Grata defuncti viri memoria, 4. *Matrimonii ſolutio*, Th. 20. Legitimæ divortii cauſæ, adulterium & deſertio malitioſa: & nulla præterea, Expl. 1. Adulterii pœna, 2.

CAP. II.

De conjunctione patriâ.

Conjunctio patria: Th. 1. Conjunctio patria ex maritali: Expl. *Officia patris*, Th. 2. *Alimentorum præſtatio*, Th. 3. victum & amictum pater liberis debet, Expl. 1. Liberorum venditio olim permiſſa, hodie abolita, 2. *Educatio*, Th. 4. *Domeſtica diſciplina*, Th. 5. Coërcitio liberorum nimis ſevera ne eſto; Expl. 1. Ius vitæ & necis olim habebant parentes in liberos: hodie non item, 2. *Corporis animique rectè formandi*, Th. 6. Ætatis gradus, qui domi apud parentes abſolvuntur, vel aliquò uſque perducuntur: Expl. 1. Præcepta de informandis infantibus. 2. Præcepta de puerorum curâ, 3. Præcepta de adoleſcentum curâ. 4. *Elocatio in matrimonium*, Th. 7. De elocandis liberis cur ſolicitus eſſe pater debeat. Expl. 1. Liberrimus conſenſus in matrimoniis contrahendis relinquendus liberis, 2. *Dotatio*, Th. 8. *Liberorum officia*, Th. 9. Reverentia & obedientia filialis erga parentes, Expl. 1. Pœna eorum, qui parentes verberant. ib. Antipelargia divinis & humanis legibus præcepta, 2. Pugnat extremè cum hac parricidium: ib. Nonnulla de liberis obſervanda: ubi de probatione filiationis, 3. Gradus & nomina cognationum, 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAP. III.

De conjunctione herili.

In conjunctione herili obſervanda, Theſ.1. conjunctio herilis & ſervilis eſt neceſſaria in Republ. Expl. *Diſtinguitur ſervitus* Th. 2. *Servitus naturalis,* Th.3. Circa ſervitutis naturalis deſcriptionem diſſenſus Ariſtotelis & ICtorum apparens conciliatus, Expl. *Servitus legalis,* Th.4. *Servi liberi,* Th.5. ſervi noſtrorum temporum in Germaniâ, Expl. *Servi non liberi,* Th.6. *Servi non liberi nati,* 7. *Facti,* 8. Servitus inducitur captivitate in bello, Expl.1. venundatione, 2. Damnatione ad metalla, 3. *Officia dominorum erga ſervos,* Th. 1. aliter explicata, Expl. *Officia ſervorum,* Theſ.10. Officia ſervorum delineata ab Apelle: Expl.1. Cavendum ne nimis multi ſint ſervi in Republ. vel œconomia, 2.

CAPVT IV.

De familiis.

Devinciuntur inter ſe plures jure naturali, vel civili, Th.1. *Familia definitur,* 2. Familiarum in Republic. neceſſitas. Expl. *In familiis conſideranda,* Theſ.3. *Conſtitutio familiarum,* 4. diſtinguitur genus & familiæ: partes familiæ: Expl. *Conſervatio familiarum,* Theſ.5. Familiarum conſervandarum fulcrum præcipuum, matrimonium, Expl. 1. A ſucceſſione quare excludantur filiæ? 2. *Diſtinctio familiarum.* Th.6. Familia communis, propria, plebeja, nobilis, Expl. *Communio familiarum,* Theſ.7. Monita de familiarum communione, Expl. *Everſio familiarum.* Th.8.

CAPVT V.

De Collegiis.

Conjunctio plurimum oritur ex ſodalitate & vicinitate, Th.1. *Definitur collegium,* 2. Collegii etymon

tymon & nomina, Expl. *In collegiis conſideranda*, Theſ. 3. *Conſtitutio collegiorum*, 4. Collegia non conſtituuntur niſi autoritate magiſtratus: Expl. Sunt utilia & neceſſaria, ibi. *Materia collegiorum*: Th. 5. *Ius collegiorum*, 6. Expl. 1. 2. 3. 4. *Diſſolutio collegiorum*, Th. 7.

CAPVT VI.

De territorio & civitate.

Conjunctio orta ex vicinitate, Th. 1. *Territorium definitur*, 2. *In territorio conſideranda*, 3. *Requiſita territorii*, 4. Territorii continuitas in regno Galliæ, Expl. 1. Germania omnibus aliis Europæ partibus antecellit, 2. Inſulæ propter limites munitiores antecellunt aliis, 3. *Iura territorii*, Th. 5. Purgatio territoriorum à malis hominibus ad onera Dominorum pertinet, Expl. *Diſtinguitur territorium*, Th. 6. Annotata nonnulla de juriſdictione, quæ fundatur in territorio, de acquiſitione & conceſſione juris territorialis, de definitione ſuperioritatis territorialis, & ſubjectionis: Expl. *Civitas definitur*, Theſ. 7. Civitas differt à Republ. & urbe, Expl. *In civitate conſideranda*, Th. 8. *Natura civitatis*, 9. Civis originarius vel aſſumtus, Expl. Extraneus vel honorarius, ibid. Similitudo inter civitatem & corpus humanum, 2. Quomodo declinanda principum vicinorum invidia, 3. Pagus, 4. *Iura civitatum*, Th. 10. Recenſentur, Expl. 1. Civitas primaria, 2.

CAP. VII.

De urbe & ædificiis in ea.

Vrbs definitur, Th. 1. Vrbis etymon, Expl. *Vrbi condendæ qualis deligendus locus*, Theſ. 2. 3. Aſſignantur rationes, Expl. *Partes urbis*, Th. 4. *Ædificiorum publicorũ ſpecies & uſus*, 5. Templa, Scholæ & Bibliothecæ, quo loco exſtruendæ, Expl. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Forum, 2. Muri, aggeres, armamentaria, turres, 3. Aquæductus, fontes, balnea, 4. Nymphea, theatra, exoticotamiæ, 5. *Ædificia privata,* Theſ. 6. Singuli cives proprias ſuas ædes habere debent. Expl. 1. Non nimis ſuperbè & ſumptuosè ædificandum, 2. Ædificia ſarta tecta conſervanda, 3. Contra ornatum & commodum civitatis ſi exſtructa ſint, diruenda, 4. Bonum vicinitatis, 5. Proprium cujuſque domicilium ubi ſit, 6.

CAP. VIII.

De forma & fine Reipubl:

Forma regiminis conſiſtit in modo regiminis triplici, Th. 1. *Monarchia,* 2. *Ariſtocratia,* 3. *Democratia,* 4. Sufficiens rerumpublicarum diſtributio in monarchiam, ariſtocratiam & democratiam, Expl. 1. Tres illegitimæ formæ tribus legitimis oppoſitæ, 2. An detur miſta Reipubl. forma? Affirmatur & prob. exemplis, 3. *Finis Reipubl.* Theſ. 5. Salus populi ſuprema lex, Expl.

LIBRI SECUNDI de Reipublicæ adminiſtratione,

CAPUT. I.

De electionis utilitate & formâ.

A*Dminiſtratio Reipub. togata vel militaris,* Th. 1. Imperii definitio, neceſſitas & utilitas, Expl. *In adminiſtratione togatâ conſideranda efficiens,* 2. 3. Magiſtratus etymon, definitio, neceſſitas, utilitas: Explic. *Modus, quo defertur magiſtratus, legitimus,* 4. 5. *Electionis conſideran-*

ſideranda, 6. Reſolvitur quæſtio, an Electio ſit prior ſucceſſione? Expl. *Vtilitas*, Theſ. 7. Probatur utilem eſſe electionem, Expl. 1. Solvuntur argumenta contraria, 2. *Forma*, Th. 8. *Liberi voti electio*, 9. Probatur in electione magiſtratus adhiberi poſſe ſortitionem: Expl. 1. Solvitur contrarium argumentum, 2. *Reſtricti voti electio*, Theſ. 10. *Electio ad certas perſonas reſtricta*, 11. Exempla ex lege DEI & Aureâ Bullâ. Expl. *Electio ad certas leges reſtricta*, Theſ. 12. Argumenta pro magiſtratu ambulatorio, Expl. 1. Argumenta pro perpetuo magiſtratu, 2. Deciſio litis per diſtinctionem, 3. Quales magiſtratui electo præſcribi debeant leges? 4.

CAP. II.

De ſubjecto Electionis, ſeu iis, qui ad Rempublicam adminiſtrandam ſunt eligendi: de effectu ejuſdem.

In eligendis quæ conſideranda; Theſ. 1. *Genus*, 2. In magiſtratum eligendus, qui genere non obſcuro: quod probatur, Expl. 1. Exempla quædam contraria, 2. *Natio*, Theſ. 3. Probatur extraneos non eſſe collocandos ad Reipubl. gubernacula, Expl. 1. Argumenta pro electione extraneorum, ſolvuntur, additâ tamen cautione, 2. Reſolvitur quæſtio, An etiam Eccleſiaſticæ perſonæ ad Reipubl. gubernacula admoveri poſſint? 3. *Exiſtimatio*, Th. 4. Probatur magiſtratum debere exiſtimationis eſſe integræ & illibatæ, Expl. 1. Quæ cavenda circa mores, 2. *Ætas*, Theſ. 5. Non nimis juvenes in magiſtratum eligendi, Expl. 1. Nec nimis ſenes, 2. *Electionis* effectus, Theſ. 6. Electio quandoque caret effectu, Expl. 1. Magiſtratus accipitur cum recuſatione vel ſine recuſatione, 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAP. III.

De ſucceßione liberorum & agnatorum: nec non de tutelâ illuſtrium perſonarum.

Succeßio quotuplici obtingat jure? Argumenta pro ſucceſſione, Expl. 1. Argumenta contra ſucceſſionem, 2. *Iure ſanguinis obveniens ſucceßio*, Theſ. 2. *Certa*, 3. *In liberis conſiderandus ordo prærogativæ*, 4. 5. Vter ex duobus Regis filiis, quorum alter ante, alter poſt regnum acceptum natus eſt, in ſucceſſione ſit præferendus? Expl. 1. An etiam ſpurii in regno & principatu debeant ſuccedere? Defenditur negativa, 2. Argumenta contraria ſolvuntur, 3. An probanda conſuetudo, quâ primogenitus excludit à regni & principatus ſucceſſione reliquos? Affirmativa defenditur: 4. Solvuntur argumenta contraria. 5. An filius primogeniti ſit præferendus patruo in ſucceſſione, ex jure primogenituræ, 6. *Mares faminis in adminiſtratione Reipubl. perpetuò præferuntur.* Theſ. 6. Argumenta contra gynæcocratiam, Expl. 1. Contraria ſolvuntur, 2. *Succeßio agnatorum*, Th. 7. In pactis gentilitiis obſervanda, Expl. 1. Exempla, Expl. 2. Confirmatio, 3. Obligatio, 4. Teſtificatio, 5. Ganerbinatus; 6. Hæreditaria regna quandóque tenentur non jure hæreditario, ſed Lege Regiâ, 7. *Succeßio jure ſanguinis obveniens, ſuſpenſa: ubi de tutelis.* Theſ. 8. An teſtamento defuncti Electoris conſtitutus tutor ſit præferendus agnato proximiori à Teſtatore præterito? Defenditur negativa, Expl. 1. Solvuntur argumenta contraria, 2. An ex Aureâ Bullâ Caroli IV. Electorum filii poſt annum ætatis 18. Electores & principatus adminiſtratores eſſe poſſint? Affirmativa defenditur, 3. Solvitur argumentum contrarium.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAP. IV.

De ſucceßione in regnis, quæ fit jure belli, connubiorum, donationis & Teſtamenti, de illegitimis modis acquirendi adminiſtrationem.

Succeßio ex jure belli, Theſ. 1. Victor in jura & poſſeſſiones victi ſuccedit lege humanâ & divinâ, Explic. 1. An princeps Chriſtianus juſtè poſſit inferre bellum Barbaris nationibus, à quibus nunquam ipſe eſt læſus? 2. *Succeßio ex jure connubiorum.* Th. 2. Exempla, Exp. *Succeßio ex titulo donationis*, Th. 3. Delphinatus ex titulo donationis ad Regem Galliæ devolutus; Expl. 1. Probatur falſam & fictam eſſe donationem Conſtantini Magni factam Pontifici Romano, 2. *Succeßio ex jure Teſtamenti*, Th. 4. Exempla ſucceſſionis hujus. Expl. *Illegitimus Reipub. acquirendæ modus.* Th. 5. Exempla ſucceſſionis illegitimæ, Expl.

CAP. V.

De inauguratione magiſtratus & obligatione per juramentum.

Inſignia regalia & imperatoria, Theſ. 1. Explicatio eorundem. *Obligatio magiſtratus*, 2. Iuramentum per ſolum DEUM concipiendum Expl: 1. Iuramentum olim apud Romanos poſt collatum Magiſtratum, uſitatum, & hodiè in Angliâ receptum. 2.

CAP. VI.

De virtute magiſtratus internâ ad ipſum relatâ magiſtratum.

Magiſtratus probus vel improbus, Th. 1. *In probo conſideranda virtus triplex*, 2. 3. Virtutis ſtudium principi maximè neceſſarium, Expl. *Virtus Principis ad DEUM relata, pietas*, Th. 4. Pietas maximè requiſita in Principe, Expl. Partes pietatis, 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Virtus ad Principem relata, concernens internam animi diſpoſitionem, Th.5.6. Sobrietas principis, Expl. 1. Caſtitas, 2. Magnanimitas, 3. Fortitudo, 4. Modeſtia, 5. Forma & robur corporis, 6.

CAP. VII.

De Principis victu, veſtitu, receſſu & recreatione.

Virtus ad principem relata externa, Th.1. *Victus principis*, 2. Frugalitas in victu principem decet, ob rationes & exempla, Expl. *Amictus principis*, Theſ. 3. Cur ſordidus eſſe non debeat? Expl. 1. Cur mediocris eſſe debeat? 2. Cur peregrinus non eſſe debeat? 5. *Receſſus principis à conſpectu vulgi*, Theſ. 4. Aliquis requiritur à conſpectu vulgi receſſus, Expl. 1. Non tamen aſſiduus, vel nimis diuturnus, 2. *Recreatio corporis & animi*, Th.5. Neceſſitas recreationis probatur, Expl. 1. Recreationes corporis animique principibus uſitatæ, 2.

CAP. VIII.

De virtute principis ad ejuſdem uxorem, liberos, conſiliarios, miniſtros & ſubditos relata.

Cum quibus principi negotium: Theſ. 1. *Neceſſarii principis:* 2. *Officiarii*, 3. Tota gubernationis alea ſolis conſiliariis non eſt committenda: Expl. In miniſtros delinquentes præſtat promtè animadvertere, quam conceptam animo indignationem diu fovere: 2. *Subditis quid debeat princeps*; Theſ. 4. Iuſtitia Principis erga ſubditos, Expl. 1. Clementia virtus principum propria, 2. Prudentia principi maxime neceſſaria, 3. Princeps literis operam dare debet ob rationes & exempla, 4. Liberalitas Principi neceſſaria & decora.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAP. IX.

De principis & cujuſvis magiſtratus felicitate, bonâ conſcientiâ, autoritate & benevolentiâ populi.

Præmium virtutis in principe quadruplex, Th. 1. *Felicitas*, 2. Principum felicitas non à fortunâ, ſed à providentiâ divinâ, Expl. 1. Cavendum magiſtratui, ne abutatur felicitate ſuâ, 2. *Bona conſcientia :* Theſ. 3. Ingens bonum conſcientia bona. Expl. *Autoritas*. Theſ. 4. Autoritatem magiſtratui quid conciliet? Expl. 1. Venerationis externa indicia, 2. Ratio comparandi autoritatem ex Lipſio delineata, 3. *Benevolentia* & *amor ſubditorum*. Th. 5. Firmiſſimum Principis præſidium benevolentia ſubditorum, Expl. 1. Exempla benevolentiæ ſubditorum erga Principes, 2. Maximè laborandum Principi de bonâ famâ, 2.

CAP. X.

De magiſtratu improbo: ubi de tyrannorum moribus & tyrannidis acquiſitione, conſervatione & abolitione.

Magiſtratus improbus eſt tyrannis, Theſ. 1. Vox tyranni olim boni ominis & nominis, Expl. *In tyranno conſiderantur mores*, Th. 2. 3. Tyrannus Rempubl. in uſum proprium convertit, Expl. Subditorum vires per continua bella enervat, 2. Omnia ſibi licere exiſtimat, 3. Suſpicax eſt, 4. Meticuloſus eſt, 5. *Tyrannidis conſideranda acquiſitio*, Theſ 4. 5. Probatur etiam magiſtratum improbum à Deo eſſe: Expl. *Conſervatio*, Th. 6. Tyrannis conſervatur delatorum conſtitutione, Expl. 1. Conventuum prohibitione, 2. Civium ad mutuas criminationes inſtigatione, 3. Scholarum & bonarum artium abolitione, 4. Inſigniorum virorum cæde, 5. Peregrini ſatellitii præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

præſidio, 6. Simulatione ſolicitudinis de bono publico, 7. Civium ad inopiam redactione, 8. benè dictorum ſiniſtrâ interpretatione, 9. *Abolitio tyrannidis*. Th. 7. Tyrannis non eſt diuturna, Exp. 1. An tyrannicidæ ſint excuſandi? Argumenta pro affirmativâ, 2. Argumenta pro negativâ, 3. Diſtinctione lis deciditur, 4.

CAP. XI.

De legibus.

Togatæ adminiſtrationis forma. Th. 1. *In ſanctione legum obſervanda*, 2. *Definitio legis*, 3. Lex ab aliis definita, Expl. 1. Legis neceſſitas in Republ. 2. Vtrum præſtet legem dominari, an Regem? 3. *Diſtributio legis*, Theſ. 4. An Moſaicæ leges ſint obſervandæ in Republ. Chriſtianâ? Expl. 1. Leges regni fundamentales, hodie in Imperio Romano, *Aurea Bulla*, in regno Galliæ, *Lex Salica*, 2. *Legum cauſa efficiens*, Theſ. 6. Condendæ legis autoritatem ſolus magiſtratus habet, Expl. 1. Requiſitio legis latoris, 2. *Materia legis* Th. 7. Lex, quæ ratione non nititur, indigna legis nomine, Expl. *Forma legis*, Theſ. 8. Leges in ſcripturam redigendæ, Expl. *Finis legis*, Theſ. 9. & Expl. *Effectus legis*: Theſ. 10. An leges etiam Principem Legiſlatorem obligent? Expl. 1. An omnis lex vim habeat obligandi ſubditos, 2. *Res de quibus ferendæ leges*: Theſ. 11. *Adjuncta legum*: 12. Legum multitudo arguit corruptam Rempubl. Expl. *Legum mutatio & abrogatio*, Theſ. 13. An poſitas ſemel leges, quæ ſuâ nituntur vetuſtate, ſed aliquid iniqui continent, mutare liceat? Argumenta pro affirmativâ, Expl. 1. Argumenta pro negativâ, 2. Eligitur ſententia, 3. In veterum legum abrogatione triplici utendum cautione, ib. Cognata legum reſcripta principum, conſuetudines, ſtatuta, Privilegia, 4.

CAP.

CAP. XII.

De publicæ diſciplinæ cuſtodiâ attinente Reipubl. religionem, commercia, honeſtatem, ſecuritatem, cujuſque rem familiarem & paupertatem.

Circa cuſtodiam diſciplinæ publicæ conſideranda, Theſ. 1. *Subjectum recipiens diſciplinæ publicæ. cenſores*, 2. Cenſorum apud Romanos dignitas & officium, Expl. *Objectum diſciplinæ publicæ*, Th. 3. *Religio*, 4. An expediat diverſas in Republicâ religiones eſſe? Expl. 1. An in Republ. diverſæ religiones admitti poſſint? Autor ſibi non conſtat: Expl. ſtatuitur admitti poſſe, certis conditionibus obſervatis, ibid. diluitur objectio, 3. Ad religionem nemo per vim adigendus: ibid. *Commercia*: Theſ. 5. Neceſſitas commerciorum, Expl. 1. Fœnoris & fœneratorum nomina valde exoſa. Expl. 2. *Honeſtas*, Theſ. 6. Lupanaria in Repub. minimè toleranda eſſe, Probatur, Expl. 1. Occurritur exceptioni adverſariorum, 2. *Securitas Reipublic.* Theſ. 7. Otioſos è Republ. expellendos eſſe probatur. Expl. 1. Cygari è Republ. exterminandi, 2. Mendicantes validi coërcendi, 3. Viæ publicæ & itinera, eorumque facilitas & ſecuritas curanda, 4. *Res cujuſq; familiaris*: Th. 8. E Republ. proſcribendus conviviorum luxus; Expl. 1. Luxus in veſtitu quoque exterminandus, 2. De veſtitu monita ſalutaria, ibid. *Paupertas*: Th. 9. Miſerabilium perſonarum habenda ratio, Expl.

CAP. XIII.

De juriſdictione.

Iuriſdictio definitur: Th. 1. Diſtinguitur Iuriſdictio ab Imperio: Imperium mixtum vel merum: Expl. *In juriſdictione conſideranda*, Th. 2. *Sufficiens*, 3. Vni conſiliorum non permittendæ habenæ Imperii, Expl. 1. Requiſita judicum inferiorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

rum,2. *Adjuncta*, Th.4. In magiſtratu requiritur cõſtantia, Exp.1. Severitas, 2. Lenitas, 3. *Diſtinguitur Iuriſdictio*, Th.5. *Circa juriſdictionem criminalem conſideranda*, 6. *Officia Magiſtratus in exercendâ Iuriſdictione*, 7. Nova ſupplicia non ſunt excogitanda, Expl. 1. Æqualitas proportionis geometricæ obſervanda, 2. Nemo ex ſuſpicione ad mortem condemnandus, 3. Non nimis frequenter ſupplicia irroganda, 4. Non præcipitanda ſententia condemnatoria, 5. Diebus feſtis non exigenda ſupplicia, 6. Princeps ſpectare ſupplicia non debet, 7. *Pœnæ criminales capitales*, Th.8.9. Crucifixio, Expl.1. Crematio, 2. Decollatio, 3. Lapidatio, 4. Submerſio, 5. Diſſectio, 6. Excoriatio, 7. Præcipitatio de rupe, 8. Damnatio ad beſtias, 9. Confractio membrorum per rotam, 10. Venarum ſectio, hauſtus veneni, 11. *Pœnæ non capitales*, Th.10. Variorum corporis membrorum truncatio: Exilium: Expl. *Iuriſdictio civilis*, Th. 11. In juriſdictione civili obſervanda, Expl. 1. Partes judicii & proceſſus judicialis, 2. Iuriſdictionis probatio, Th.12.

CAP. XIV.

De Conſiliariis.

Adjuncta circumſtantia adminiſtratori Reipubl. neceſſaria, Theſ.1. *Perſonæ adminiſtrationem juvantes*, 2, 3. *Conſiliarii*, 4. Vſus conſiliariorum maximus, Expl.1. An conſultum ſit novo Principi Anteceſſoris ſui mutare & dimittere conſiliarios: 2. Solvitur objectio, 3. *Requiſita conſiliarii generalia*, Th.5.6. Ætas conſiliarii, Expl.1. Exquiſita doctrina, 2. Mores, 3. Vtrum ſit tolerabilius, principem eſſe bonum & malos conſiliarios, an bonos conſiliarios eſſe & malum principem? 4. diverſitas ingeniorum in conſiliariis, quâ

quâ alii tardiores, alii expeditiores, 5. *Requiſita in ipſâ conſultatione*, Th. 7. 8. Libertas ſuadendi, Expl. 1. Sobrietas, 2. Provida cunctatio, 3. Aliena debet eſſe aſſentatio, 4. Contumacia, 5. Diſcordia, 6. Affectus noxii, 7. *Requiſita poſt conſultationem*, Th. 9. Silentium, Expl. 1. Conſtantia, 2. Animi magnitudo, 3. *Privilegia conſiliariorum:* Th. 10. Tituli conſiliariorum, Expl. 1. Qualis erga conſiliarios Princeps eſſe debeat? 2.

CAP. XV.

De Legatis.

Legatus definitur, Th. 1. *Vſus legatorum*, 2. Legatis carere nequit Reſpubl. Expl. 1. Diſtinguuntur legati ex objectis & finibus, 2. *Legatorum requiſita in genere*, Th. 3. 4. Virtutes Legatorum, Expl. 1. Notitia linguarum Iuriſprudentiæ, Philoſophiæ & Hiſtoriæ, 2. *Requiſita in ſpecie in ipſa legatione*, Th. 5. 6. Legato in legatione etiam propria certo modo licet curare, Expl. 1. Qui in legatione flagitium commiſerit nullo defenditur privilegio legatorum, 2. *Requiſita poſt legationem*, Th. 7. *Legatorum privilegia*, 8. Iure gentium legati ſancti, Expl. 1. An jure hoc gaudeant quóque, qui ſub legationis prætextu ſpeculandi cauſa miſſi ſunt? 2. An jure hoc frui debeant legati, quibus interdictum ne venirent? 3. Quomodo puniendi legatorum violatores? 4. An ejus quoque Principis legati frui legatorum jure debeant, qui legationis jura ante violavit? 5. Præmia legatorum, 6.

CAP. XVI.

De miniſtris regum & principum in ſpecie ſic dictis.

Miniſtri Principum, Th. 1. *Superiores*; 2. *Inferiores*, 3. Satellitium magnis Principibus neceſſarium, Expl. 1. Aulicorum miniſtrorum mores, 2.

Mini-

Miniſtri occulti, exploratores: An iis uti princeps debeat? 3.

CAP. XVII.

De ſubditorum & civium cauſâ efficiente, ſubjecto, adiunctis, officiis & numero.

Adminiſtrationem patiuntur ſubditi, Th. 1. *Modi, quibus aliquis fit ſubditus*, 2. Subditus origine, Expl. 1. Subditus domicilio, 2. Renunciare domicilio, 3. *Qui haberi in civium numero poſſunt*, Th. 3. An in civium numerum tutò recipi poſſint peregrini? Expl. 1. An judæi poſſint recipi? 2. *Adjuncta ſubditorum*, Theſ. 4. *Officia ſubditorum*, 5. Magiſtratui debitus honos, Expl. 1. Obedientia, 2. Tributa, 3. Opera militaria, 4. *Numerus civium*, Th. 6. Probatur numerum civium non debere eſſe nimium, Expl.

CAP. XVIII.

De ordine nobilium & literatorum.

Ordo civium magis utilium, Th. 1. 2. *Nobilitatis cauſæ procreantes & conſervantes*, 3. (Vnde Nobilis & germanicum **Juncker / der Adel / Edelmann**/Expl.) 4, 5. Tertius nobilitatis gradus omnium infimus, Explic. 1. De prærogativâ in conferendâ nobilitate certant literæ cum armis, 2. *Cauſæ corrumpentes*, Th. 6. Artes ſordidæ tollunt nobilitatem, Expl. 1. Paupertate non amittitur nobilitas, 2. Nec advocandi munere vel judicandi, nec matris ignobilitate: ib. *Privilegia nobilitatis*, Th. 7. *Ordo Literatorum*, 8. Theologi, Expli. 1. ICti & Advocati, 2. Medici, 3. Philoſophi, 4. Oratores, 5. Poëtæ, 6.

CAP. XIX.

De ordine negotiantium & inutilium in Republ. civium.

Ordo negotiantium, Th. 1. *Vulgi mores*, 2. *Diſtin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ctio negotiantium, 3. *Mercatores*, 4. Mercatores diffuſæ & reſtrictæ negotiationis, Expl. *Qui præter mercatores neceſſaria procurant Reipubl.* Th.5. Opificum neceſſitas & utilitas demonſtrata, Exp. 1. Piſtores, Lanii, Coqui, Agricolæ, Venatores, Explic. 2. Pharmacopæi, Chirurgi, Obſtetrices, Athletæ, 3. Typographi, 4. Architecti, ſcriptores, fuſores, ſtatuarii, pictores, 5. Lictores, carnifices, 6. *Cives minus utiles*, Theſ. 6. Pantomimi, Expl. 1. Hiſtriones, 2. Tibicines, 3.

CAP. XX.

De jure patronatus, bonis Eccleſiæ, Scholis trivialibus & Academiis.

Munimenta gubernationis politicæ, Th.1. *Domi recepta*, 2. *Diſtinctio rerum*, 3. *Res ſacræ*, 4. *Ædes ſacræ*, 5. Modi acquirendi jus patronatus, Expl.1. Præſentatio, 2. Qualis perſona præſentanda, ibid. An repudiare poſſit Epiſcopus à Patrono præſentatum, qui alienus ſit ab Epiſcopi religione? ibid. Patrono honos debitus, 3. *Bona Eccleſiaſticæ*, Th. 4. *Modi acquirendi*, 7. *Modi alienandi*, 8. Iuſtiſſimus alienandi titulus, Expl.1. Probatur quinque argumentis bona Eccleſiaſtica non eſſe in prophanos uſus convertenda: 2. *Reipublicæ ſeminaria*, Th.9. Cur Scholæ & Academiæ vocentur ſeminaria Reipubl. Explic. *Scholæ*, Theſ.10. *Officia præceptorum*, 11. *Doctrinæ inſtillatio*, 12. Requiſita ex parte præceptorum in inſtitutione, Explic. 1. Quâ potiſſimum cognitione imbuenda adoleſcentia; 2. Facultas res animo conceptas explicandi, 3. *Diſciplinæ directio*, Th.13. Modi conſervandi diſciplinam Eccleſiaſticam, Expl. *Officia diſcipulorum*, Th.14. Docilitas Expl.1. Diligentia & obedientia, 2. Gratitudo, 3. *Academiæ*, Th. 15. Academiæ etymon, Explicat. 1. Efficiens, 2. Materia, 3. Forma, 4. Finis, 5. Effectus, 6. Subjectus locus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

cus, 7. Adjuncta privilegia, 8. Catalogus Academiorum Germaniæ, & aliorum regnorum, 9.

CAP. XXI.
De jure ſepulturæ.

Ius ſepulturæ, Theſ. 1. *Honore ſepulturæ qui afficiendi*, 2. Probatur ſepeliendos eſſe mortuos, Expl. *Per leges non ſepeliendi*, Th. 3. *Cum mortuis quæ in tumulum inferenda*, 4. *Modus adornandi funera*, 5. *Locus ſepulturæ*, 6. Probatur extra urbes ſepeliendos eſſe mortuos, Expl. *Sepulchrorum violatores*. Th. 7. Curioſitas in aperiendis ſepulchris reprehenſa, Expl.

CAP. XXII.
De rebus ſanctis, hoc eſt, pace religionis, de pace publicâ, de Banno, ſeu proſcriptione Imperii: de fluminibus.

Sanctiones illuſtriores publicæ in Imperio Romano receptæ, Th. 1. *Pax religionis*, 2. Hiſtoria pacis religioſæ conſtitutæ, Expl. Reformati à pace religioſa minimè excluſi neque jure poſſunt excludi, 2. *Pax publica*, Th. 3. Cauſa pacis publicæ conſtitutæ, Expl. 1. Modi, quibus violatur pax publica, 2. *Bannus, ſeu proſcriptio Imperii*, Th. 4. Banni etymon, Expl. 1. Efficiens, 2. Materia, 3. Forma, 4. Privilegium perſonarum Eccleſiaſticarum, ibid. Effectus, 5. Apud Suevos & Francos olim quomodo puniti turbatores pacis publicæ? ibid. *Flumina*, Th. 5. *Diſtinguitur flumen*, 6. Ius fluminum privatorum & publicorum, Expl. *Vſus fluminum publicorum & juriſdictio*: Th. 7. Non ſunt flumina à naturali curſu abducenda: Expl.

CAPVT XXIII.
De coloniis, armis, arcibus & propugnaculis.

Munimenta Reipublicæ augendæ ſervientia. Th. 1.

Th. 1. *Coloniæ*, 2. Fines Coloniarum deducendarum, Expl. 1. Differentia municipiorum & coloniarum, 2. *Arma*, Th. 3. Reſpubl. carere armis non poteſt, Expl. *Arces*, Th. 4. Circa arces obſervanda, Expl. *Propugnacula*, Th. 5. An propugnacula civitatum ex uſu Reipubl. ſint? Negat Machiavellus, Expl. 1. Affirmant alii, 2. Lis deciditur per diſtinctionem. 3.

CAP. XXIV.

De opum uſu & acquiſitione, ubi de fiſco, tributis, collectis & vectigalibus.

Opes Reipublicæ, Th. 1. *Vſus opum*, 1. 2. Opes quare dicantur nervi Reipubl. Expl. 1. Non nimis inhiandum opibus, 2. *Acquiſitio opum*, Th. 3. *Delatio ad fiſcum*, 4. *Cauſæ deferendi opes ad fiſcum*, 5. Explicantur cauſæ, Expl. *Advocati fiſci*, Th. 6. *Eventus delationis*, 7. *Præmia delatorum*, 8. *Privilegia fiſci*, 9. *Opum acquiſitio per exactionem*, 30. Modi ærarium honeſtè augendi: Expl. *Conſideranda circa tributa*, Th. 11. *Ius exigendi*, 12. Neceſſaria Reipublicæ tributorum exactio, Expl. *Exigenda tributa à rebus, non à perſonis.* Theſ. 13. Non debent tergiverſari ſubditi in pendendis tributis, Expl. *Exigenda tributa, pro quantitate fortunarum, non è ſordidis rebus vel confictis cauſis, nec immodica,* Theſ. 14. Probatur tributa exigenda pro quantitate facultatum, Expl. Probatur non eſſe exigenda è ſordidis rebus, 2. Non eſſe immodica exigenda, 3. *Modus exigendi tributa*, Th. 15. Quomodo ſublevandi pauperes in pendendis tributis, Expl. 1. Non minus violenter exigenda, 2. Coërcenda miniſtrorum avaritia & crudelitas. 3. *Eventus exactionis tributorum*, Theſ. 16. Moderata tributorum indictio retinet ſubditos in obſequio, Expl. 1. Diſtinguuntur tributa, 2. *Collectæ*, Th. 17. *Collectæ Imperiales*, 18. Cauſæ ob quas collectæ

Im pe

Imperiales indicuntur, Expl. 1. An princeps ſecularis collectam exigere poſſit à ſubditis Eccleſiaſticorum Principum ob bona eorum in ſuo territorio ſita? 2. *Collectæ provinciales*, Th. 19. An rectè indicantur collectæ provinciales ad dotandas Principum, Comitum & Baronum filias? Exp. *Vectigalia*, Th. 20. Diſtinguuntur vectigalia à tributis, Exp. *Vectigalia conſtituũtur à ſolo ſummo principe*, Th. 12. 22. Neceſſaria Reip. vectigalia, Expl. 1. Ius conſtituendi vectigalia in Imperio Romano penes ſolum Imperatorem, 2. *Ius locandi vectigalia*, Th. 23. *Eventus vectigalia conſequens*, 24. Ob non ſolutum vectigal perſonis nonnullis ſuccurritur, Expl. 1. Alii acquirendi modi, 2.

CAP. XXV.

De opum poſſeßione, ubi de cenſu, de Annonâ, Monetâ, Nundinis & Ærario.

Opum poſſeßio: Th. 1. *Cenſus*, 2. Cenſus in Repub. neceſſarius: Expl. De cenſu inſtituendo utilia monita, 2. *Annona*, Th. 3. In annonâ procurandâ diligentiſſimi olim Romani, Expl. *Moneta*, Theſ. 4. De monetâ monita politica, Expl. *Nundinæ*, Th. 5. Nundinæ unde dictæ, Expl. *Ærarium*, Th. 6. Duplex apud Romanos ærarium, Expl. 1. Modi locupletandi ærarium apud Romanos. 2.

CAP. XXVI.

De Comitiis.

Acceßio conſiliorum in comitiis, Theſ. 1. *Diſtinguuntur comitia*, 2. *Vetera comitia apud Romanos uſitata*, 3. Comitia celata, curiata, tributa, centuriata, Expl. *Recentia comitia*, Th. 4. *Vniverſalia*, 5. *In iis conſideranda efficiens*, 6. 7. *Materia*, 8. Summa Imperii poteſtas diſtincta in ſemiſſes duas, ordines in claſſes tres, Expl. 1. Civitates Imperii liberæ in comitiis habent jus ſuffragandi, 2. Nobilium hodiè

[h]odiè in comitiis, quoad ſuffragia non habetur [r]atio,3. De ratione & ordine ſuffragandi, 4. *Objectum, de quo in comitiis generalibus deliberatur*, Th. [9]. *Forma habendi comitia*, 10. Expl. ex Paurmeiſtero, Explic. 1. An in comitiis ſemper *Majora* concludant, 2. *Effectus comitiorum univerſalium*, Th. [1]1. *Comitia particularia*, 12. Conventus Electorum, Explic. 1. Conventus Regimenti, 2. Conventus deputatorum, 3. Conventus circulorum, 4.

CAP. XXVII.

De fœderibus.

Munimenta Reipubl. recepta foris, fœdera, Th. 1. *In fœderibus conſideranda*, 2. *Finis*, 3. Neutraliſtæ Expl. *Forma*, Th. 4. Varii populorum ritus in ſanciendis fœderibus; Expl. *Materia, hoc eſt, perſonæ, inter quas fœdus initur*, Th. 5. Quibus permiſſum inire fœdus? Expl. 1. Cum quibus ineundum fœdus? Qui à fide noſtrâ planè alieni non ſunt, ib. Qui potentia nobis inferiores non ſunt, 2. Qui vicini ſunt, 3. An etiam fœdus liceat facere cum infidelibus? Negativam præcisè tuetur autor, 4. Argumenta pro affirmativâ, 5. Deciſio quæſtionis, 6. *Effectus fœderum*, Theſ. 6. Fœderum violatores rigidè puniendi, & à DEO quoque puniuntur, Expl. 1. Diſtinctio fœderis, 2. Hiſtoria fœderis *Hanſeatici*: ubi fœderis hujus etymon, efficiens, materia, forma, 3.

CAP. XXVIII.

De ſtatu Monarchico, Ariſtocratico & Democratico.

Species adminiſtrationis togatæ, Theſ. 1. Status monarchicus, 2. Excuſatur methodus, Exp. Th. 3. Status monarchicus antiquiſſimus, Explic. 1. Maximè naturalis, 2. Tranquillus & mutationibus non obnoxius, 3. Monarchia κατ' ἐξοχὴν

ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ita dicta, 4. *Status Ariſtocraticus*, Th. 4. Cur ſtatus Ariſtocraticus eximius? Expl. 1. De ariſtocraticâ gubernandi ratione monita politica, 2. *Status Democraticus*, Theſ. 5. Cur ad ſeditiones proclivis ſit ſtatus democraticus? Expl. 1. Laudes ſtatus democratici, ibid. Controverſia de prærogativa inter formas Rerumpubl. 2.

CAP. XXIX.

De Imperii Romani conſtitutione & ad Germanos tranſlatione.

Applicatio generalium adminiſtrationis togatæ modorum ad Imperium Romanum, Th. 1. *In Imperio Romano conſideranda*, 2. *Corporis Imperii Romani conſtitutio*, 3. 4. *Infantia Imperii Romani*, 5. Series & nomina ſeptem primorum Regum Romanorum, Expl. *Adoleſcentia*, Th. 6. Status Imperii Romani qualis in adoleſcentia? Expl. *Iuventus*, Theſ. 7. Mira fecit & paſſa eſt Reſpubl. Romana in juventute: Expl. *Ætas ingraveſcens*, Th. 8. Monarchicæ adminiſtrationis in Republ. Romanâ fundamentum jactum, & origo *Legis Regiæ*, Expl. 1. Res geſtæ ætatis ingraveſcentis, 2. *Senectus*, Th. 9. Diviſio Imperii Romani ſub Conſtant. M. Expl. Imperii occidentalis initium & finis: Expl. 2. Effecta & connexa ſenectutis, 3. *Imperii Romani ad Germanos tranſlatio*, Th. 10. Res geſtæ Caroli Magni, Expl. 1. Pipino & Carolo M. donationem debent Pontifices Romani, 2. Imperium occidentis, quo jure tenuerit Carolus Magnus? 3. An Imperium modernum ad Germanos tranſlatum rectè dicatur Romanum? Argumenta pro affirmativa, 4. Argumenta pro negativâ; 5. Deciſio controverſiæ, 6.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAP. XXX.

De Imperii Romani præeminentiâ, diſtributione & imminutione per partium alienationem.

Præeminentia Imperii Romani, Th.1. Demonſtratur præeminentia, Expl. *Diſtributio Imperii Romani*; Th. 2. *Claſſes ſeptem Imperii Romani*, Th.3. Electores, Expl. 1. Archiepiſcopi, 2. Epiſcopi, 3. Principes Politici, 4. Prælati, 5. Comites & Barones, ib. Civitates liberæ, 6. *Circuli decem*, Th.4. In circulo Francico Eccleſiaſtici, ſeculares Principes & Comites, liberæ civitates, Exp.1. In Circulo Bavarico Eccleſiaſtici, ſeculares Principes & Comites, civitates liberæ, 2. In circulo Auſtriaco Epiſcopi, Principes ſeculares, 3. In circulo Suevico, Epiſcopi, ſeculares, civitates, 4. In circulo ſuperiori Rhenano Epiſcopi, Principes, Comites, civitates, 5. In circulo quatuor Electorum ad Rhenum, Electores quatuor, civitates, 6. In circulo VVeſtphalico Epiſcopi, Principes & Comites, Civitates, 7. In circulo ſuperiore Saxonico Epiſcopi, Principes, Comites, civitates, 8. In circulo inferiore Saxonico Epiſcopi, Principes, civitates, 9. In circulo Burgundico Principes & Comites, 10. *Imminutio Imperii*, Th. 5. *Aliquo exemptionis titulo nixi*, 6. Expl. *Nullo exemptionis titulo nixi*, Th. 7. Oſtenditur Magna Imperii Romani imminutio facta intra annos proximos 400. Expl. 1. Diminutionis Imperii Romani tres conſtitutæ cauſæ, 2.

CAP. XXXI.

De Imperatoris Romani electione, capitulatione, juramento confirmatâ & coronatione.

Membra Imperii Romani: Th. 1. *Cæſar*, 2. *In electione Cæſaris attendenda, cauſa impulſiva*, 3.4. *mate-*

materialis, ib. Electio Cæſaris Romani ad nationem Germanicam reſtricta, Expl. *Antecedentia*. Th. 5. Comitatus Electorum ad Electionem convenientium, Expl. *Locus electioni deſtinatus*, Th. 6. Olim Electi Imperatores in pluribus aliis locis. Expl. *Forma Electionis*, Th. 7. Ordo ferendi ſuffragia: Expl. *Conſequentia Electionis*, Th. 8. Capitulatio Cæſarea, Expl. Triplex corona Imperatoris, 2. Papæ nihil juris in Imperium Romanum, ib. Alia inaugurationis inſignia, 3.

CAP. XXXII.

De poteſtate Imperatori reſervatâ, ubi de ſuperioritate Majeſtaticâ, de ſanctione legum, de indictione belli, de extremâ provocatione, de infeudatione, de creatione Ducum, de conceſſione privilegiorum, de fundatione Academiarum & jure legitimandi.

Poteſtas Imperatoris, Th. 1. *Reſervata*, 2. *Superioritas majeſtatica*, 3. Pontificum Romanorum inſolentia, Expl. Ad majeſtatem quatuor requiruntur, 2. An Imperii ſtatibus Majeſtas quoque ſit communicata? 3. Regalia, quid: ibid. *Sanctio legis univerſalis*, Th. 4. Summum ſummi Imperii jus, leges dare, Expl. 1. Imperatoris poteſtas quatenus ſoluta legibus, 2. Solvuntur objectiones contra jus ſummum, 3. *Ius indicendi hoſtibus Imperii bellum & collectas generales*, Th. 5. Ius indicendi bellum olim penes Populum Romanum, deinde ad Principem translatum lege Regiâ: Expl. 1. Remiſſio & exemptio à collectis, 2. *Ius extremæ provocationis*, Theſ. 6. Appellatio à Cæſare malè informato ad melius informandum: Appellatio ad DEUM: Expl. *Ius infeudationis*, Th. 7. Hodie Imperio aperta feuda in patrimonium publicum referuntur: Expl. *Creatio Ducum*,

Ducum, Th. 8. Cur ſolus Cæſar poſſit creare Duces, Marchiones, Comites: Exp. 1. Dignitas Comitum Palatinorum, 2. Principes, Comites, Barones, Nobiles à ſolo creantur Imperatore in Imperio Romano; 3. Principes Anhaltini à Friderico I. ad Electoratum Brandeburgicum & Saxonicum evecti? ib. Regium quoque faſtigium dependet à majeſtate Imperatoriâ, 4. Reſpondetur ad quæſtionem: An Imperator recens creatis nobilibus facere poteſtatem poſſit exercendi ludos equeſtres? 5. *Conceſſio privilegiorum & immunitatis*, Th. 9. Poteſtas hæc penes ſolum Imperatorem; Expl. 1. Privilegiũ perſonale vel reale, 2. *Fundatio & conſtitutio Academiarum, Nundinarum, Poſtarum, vectigalium novorum:* Th 10. Ius fundandi Academias olim ſibi vendicarunt Pontifices Romani, Expl. 1. Nundinarum jura ſolus largitur Cæſar, 2. Vectigalium novorum inductio eſt penes Imperatorem, ſed accedentibus Electorum ſuffragiis, 3. Ius poſtarum ſolius Imperatoris, 4. *Ius legitimandi ſpurios, reſtituendi famæ infames, veniam ætatis concedendi.* Th. 11. Spurii quando dicantur legitimati, Expl. 1. An Princeps, exſtantib. legitimis liberis, naturales, ſeu illegitimos in legitimorum prejudicium poſſit legitimare? 2. Ætatis venia quibus concedatur, 3. Poteſtas legitimandi ſpurios etiam Principibus conceſſa, in Imperatore tamen eſt auguſtior: ibid. Ad poteſtatem Imperatori reſervatam etiam alia referuntur: 4. Reſpubl. Romana Monarchica, ſed non abſolutè, 5.

CAP. XXXIII.

De poteſtate communicatâ regi Romano, Cameræ Imperiali Spirenſi & judicio Rotvvilenſi.

Poteſtas Regi Romanorum communicata, Th. 1, 2. Regum Romanorum creatorum exempla, Expl. An rectè Imperatori adhuc vivo adjungãtur Rex Romanus? Ibid. *Poteſtas cameræ Imperiali com-*

municata, Th.3. Camera Imperialis quando, quare, & ubi inſtituta, Expl. 1. Obſervationes de Iudicio Cameræ: ibid. Mandata Cameræ ſine clauſulâ & cum clauſulâ, 2. *Poteſtas judicii Rotvvilenſi communicata*, Th.4. Autor judicii hujus. Expl.

CAP. XXXIV.

De poteſtate communicatâ ſtatibus imperii. von der Landes Fürſtl. Hoheit vnd Obrigkeit.

In poteſtate ſtatibus Imperii communicatâ obſervanda & conſideranda, Th.1. *Forma*, 2. Iuriſdictio ſtatib. Imperii communicata olim ſolas attinebat perſonas, Expl. *Partes poteſtatis hujus ſex*, Th. 3. Ex jure meri & mixti Imperii quid poſſint ſtatus? Expl. 1. Ius capitales pœnas reis condonandi, 2. Ius ſalvum conductum dandi, 3. Ius Iudæos recipiendi, 4. Ius inducias moratorias debitoribus dandi, 5. De hiſce induciis obſervanda, ibid. Ius ſuccedendi in bonis ſpuriorum ſine liberis decedentium, 6. Ius exercitium religionis mutandi, 7. Ius foreſtale, 8. Rationes hujus juris, ib. Ius ineundi fœdera, 9. *Argumenta jus territorii probantia*, Th. 4. *Effectus juriſdictionis communicata*, 5. Publicum Cæſaris patrimonium, Expl. Pontificis Romani patrimonium, ib.

CAP. XXXV.

De Electoribus.

Statuum Imperii claſſes tres, Th.1. Vt aliquis ſit Imperii ſtatus, quatuor requiruntur. Expl. *Electores in Imperio Romano ſeptem*, Th.2. Ratio numeri hujus: Expl. & annexa dignitas alia: ib. *Electorum origo*, 4. Sententiæ variæ de origine Collegii Electoralis, Expl. *Poteſtas Electorum in electione & degradatione Imperatoris*: Th.5.6. Cur ſex Electoribus additus ſeptimus? Expl. Rex Bohemiæ habet jus eligendi, ib. *Poteſtas Electorum extra electionẽ*, Th.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Th.7.8.9. Coram Electore Palatino, tanquam judice convenitur Cæſar, Expl.1. Electorum ſecularium officia peculiaria in ſolemnibus curiis, 2. Electores Regibus æquiparantur, 3.

CAP. XXXVI.

De Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, Archiducibis, Ducibus, Marchionibus, Landgraviis, Comitibus, Baronibus, liberis civitatibus.

Principes Eccleſiaſtici, Th. 1, 2. Furſt unde dicatur: Expl. *Archiepiſcopi*, 3. Superiores Archiepiſcopis Patriarchæ, Expl. *Epiſcopi*, Th. 4. Quot Archiepiſcopi & Epiſcopi Imperio ſubjecti, tempore Frider. III. Expl. *Abbates, Prælati*, Th. 5. Abbatum, Abbatiſſarum, Præpoſitorum & Commendatorum numerus, Expl.1. Duo de Eccleſiaſticis obſervanda, 2. *Status ſeculares*, Th.6. Principis appellatio lata: Expl. *Archiduces*, Th.7. Archiducum Auſtriæ familia. Expl. 1. Privilegia, 2. *Duces*, Th. 8. Magni, ib. Ducum dignitas modò hęreditaria, olim perſonalis, Exp. *Marchiones*, Th. 9. Marchia unde dicta? Expl. *Landgravii*, Th.10. Grave apud Germanos olim Iudex, Expl. *Comites*, Th.11. Comitum munus olim, Exp.1. Stemma Comitum Palatinorum & Ducum Bavariæ, ibid. Burggravii, 2. Stemma modernorum Brandeburgicorum, ibid. *Barones*, Th. 12. Etymon Baronis, Exp. *Civitates liberæ*, Th. 13. Duo genera civitatum liberarum, Expl. 1. Omnes liberæ Imperii civitates pari jure cenſentur: 2. Sunt tamen peculiaria quarundam privilegia: ib. An ſtatus Imperii ſuperiores ſint Imperatore? Defenditur negativa, 3. Solvuntur argumenta contraria, ibid. An omnes Imperii cives immediati ſint quoque ſtatus Imperii? 4. An civitates Imperiales ſeſſionem & votum habeant in Comitiis? Affirmatur, 5. Omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſtatuum Imperii territoria ſunt feuda Imperii, 6. Doctrina de feudis paucis comprehenſa, ib.

CAP. XXXVII.

De belli definitione, diſtributione & cauſis.

Bellum definitur: Th. 1. Belli Etymon, Expl. 1. An Magiſtratui Chriſtiano liceat bella gerere? Affirmatur, 2. Contraria arguméta ſolvuntur, 3. *In bello conſideranda,* Th. 2. *Diſtributio,* 3. *Cauſæ bellorũ: manifeſta, in defenſione,* Th. 4. 5. 6. *In invaſione,* 7. Belli offenſivi cauſæ, Exp. 1. Votum Germanorum veterum ad ultionem ſe inveſtigantium, 2. *Cauſæ occultæ,* Th. 8. Ambitio, Expl. 1. Avaritia, 2.

CAP. XXXVIII.

De belli apparatu: ubi de exercitatione ſubditorum in tractandis armis, pecuniâ, commeatu, armis ductilibus, machinis bellicis & clarigatione.

Apparatus belli, Th. 1. Apparatui bellico præmittéda exquiſita deliberatio, ob multas cauſas: Expl. *Subditi exercendi in tractatione armorum.* Th. 2. Vtilis & neceſſaria hæc exercitatio, Expl. 1. Apud Romanos uſitata, ib. Quomodo pedites, quomodo equites exercendi? 2. *Inſtrumenta apparatus bellici,* Th. 3. Pecunia, Expl. 1. Commeatus. 2. Arma ductilia, 3. Machinæ bellicæ vectiles, 4. *Clarigatio,* Th. 4. Clarigationis neceſſitas, ritus priſci & inſtrumenta, Expl.

CAP. XXXIX.

De belli ſubjecto: ubi de duce & militum conſcriptione, luſtratione, auctoratione & relatione in numeros.

Subjectum belli, Th. 1. *Duces,* 2. Eorum virtutes, ib, Ducum neceſſitas, Expl. 1. Requiſita, 2. *Militum ſeparatim conſideratorum delectus,* Th. 3. 4. 5. *Con-*

Conſcriptio, in quâ conſideratur modus, 6. 7. *Natio & conditio deligendi militis*, 8. E quibus regionibus & vitæ generibus miles deligendus, Expl. *Qualitates*, Th. 9. Militum corpora qualia requirantur, Expl. 1. Mores, 2. Militum modernorum mores à Lipſio deſcripti; ib. *Luſtratio militum*, Th. 10. Luſtratio à quibus fiat? Expl. *Auctoratio*, Th. 11. Iuramentum militare, Expl. *Relatio in numeros*, Th. 12.

CAP. XL.

De militum diſtinctione.

Diſtinctio militum, Th. 1. *Ratione variarum circumſtantiarum*, 2. Milites ordinarii, ſtationarii, limitanei, præſidiarii, prætoriani, ſubſidiarii, ſpontanei &c. Expl. 1. An equites peditibus præferendi? 2. An domeſtici exteris præferendi? 3. *Militum diſtinctio ex officiis*, Th. 3. *Gregarii*, 4. *Officiarii*, 5. *reſpectu totius exercitus*: 6. Nomina officiariorum in toto exercitu, Expl. *Officiarii reſpectu partis exercitus maioris*, Th. 7. 8. *Minoris*, 9.

CAP. XLI.

De exercitus diſtributione in ordines, & connexis artificibus & calonibus, nec non de objecto belli, nempe hoſte.

Militum collectim conſideratorum diſtributio, Th. 1. 2. *Secundum priſcam conſuetudinem*, 3. Legio undè dicta & quam valida: Expl. *Secundum recentem conſuetudinem*, Th. 4. Militum numerus in regimine pedeſtri & equeſtri, Expl. 1. De universo exercitu tria monita, 2. *Connexa exercitus digniora, opifices*, Th. 5. 6. *Minus digna, calones, lixæ, mulieres forariæ, &c.* 7. Fœminæ & præſertim meretrices è caſtris relegandæ, Expl. 1. Pernicioſa lixarum & calonum multitudo, 2. *Objectum belli, hoſtis*, Th. 8. De hoſte monita, Expl.

CAP. XLII.

De caſtrorum locatione, excubiarum conſtitutione & obſeßione.

Belli actus ſex conſtans partibus, Th.1. *Caſtra ubi locanda*, 2. *Excubiarum requiſita*, 3. 4. Olim nocturnæ vigiliæ in partes quatuor diviſæ, Expl. 1. Neceſſaria vigiliarum viſitatio, 2. *Connexa*, Th. 5. Inſignia vexillorum apud Romanos, Expl. *Obſeßio*, Th. 6. *Officia obſidentium*, 7. 8. *Obſeſſorum*, 9. De eruptione duo monita, Expl. 1. Quando facienda deditio, 2.

CAP. XLIII.

De prælio.

Prælii antecedentia; *Ducis præſentia*, Th. 1, 2, 3. Admodum neceſſaria Ducis præſentia, Expl. *Officia Ducis prælium antecedentia*, Theſ. 4. Quando cum hoſte prælio juſto confligendum. Expl. 1. Locus & tempus pugnæ, 2. Structio aciei, 3. Adhortatio militum, 4. *Claßicum*, Th. 5. Tympana, claſſicum, pugnæ ſignum, Expl. *Duellum olim prælio præmiſſum*, Theſ. 6. Duellis olim deciſæ controverſiæ, Expl. Dux cum Duce duello temerè non committendus, ibid. *Actus prælii*, Th. 7. *Conſequentia prælii*, 8. Vulneratorum cura, Expl. 1. Diffuſio in prædam poſt victoriam cohibenda, 2. Nimis pertinaciter & longè hoſtem inſequi conſultum non eſt. 3.

CAP. XLIV.

De inventione bellicâ, ubi de conſiliis bellicis.

Inventio belli directa conſilia, Theſ. 1, 2. Neceſſitas conſiliorum in bello, Expl. 1. Scopi, ad quos dirigenda conſilia, 2. *Obliqua conſilia acutiora, ſtratagemata*, Th. 3, 4. An ſtratagematis uti ſit licitum? Affirmatur: Expl. 1. Solvuntur argumenta contra-

contraria, 2. *Minus acuta conſilia*, Th. 5. Literarum perferendarum modi occultiores, literæ occultæ, Expl.1. Exploratores & proditores: 2.

CAP. XLV.

De diſciplina militari.

Diſciplina militaris, Theſ. 1. Neceſſitas ejus, Expl.1. Qualis noſtro ſit ſeculo ex Lipſio oſtenditur, 2. Eadem partibus ſuis ulterius explicata: ib. *Pœnæ militares exactæ à ſingulis non capitales*, Th. 2.3.4. Fuſtigatio, Expl.1. Miſſio ſanguinis, 2. Miſſio ignominioſa, 3. Aliæ militares ignominiæ, 4. *Capitales pœnæ*, Th.5. Fugitivorum pœnæ, Expl. *Pœna ab univerſis exacta*, Th.6. *Militum præmia, ſtipendia ordinaria*, 7, 8, 9. Stipendia veterum Romanorum, Expl.1. Frumentum militi datum, 2. Datæ & veſtes, 3. *Extraordinaria ſtipendia*, Th.10. Coronæ variæ, Expl. *Militum privilegia*, Theſ.11.

CAP. XLVI.

De adjunctis & effectis belli: ubi de victoriâ, induciis, obſidibus & dimiſſione exercitus.

Adjuncta belli, Theſ. Cædes, Expl.1. vaſtationes, incendia, rapinæ, 2. Captivitates, 3. *Effecta belli*, Th.2. *Victoriæ uſus*, 3, 4. *Agnitio & prædicatio divini auxilii*, 5. Victoriæ à DEO ſunt, Expl. *Moderatio ipſum concernens victorem*, Theſ. 6, 7. Pauci victores moderatè felicitatem poſſunt ferre, Expl. *Moderatio victos hoſtes concernens*, Th.8. Laudata victorum erga victos clementia, Expl. *Perſecutio victoriæ*, Th. 9. In perſecutione victoriæ opus fortitudine & prudentiâ, Expl.1. Officium victi, 2. *Declaratio victoriæ*, Theſ.10. *Triumphus*, 11. In triumphis olim ducti, Expl.1. Triumphator monitus ne honoribus tantis inſoleſceret. *Tropæa*, Th.12. *Ovatio*, 13. Diſcrimen ovationis & trium-

triumphi: Expl. *Pacificatio*, Th.14. *In pacificatione intervenientes perſonæ, quæ pacem tractant*, 15. 16, 17. Tractatio pacis non ab ipſis peragenda principibus, ſed à legatis eorum, Expl. *Perſonæ, quæ pacem vel inducias confirmant, obſides*, Th.18. Ius in obſides, Expl. *Requiſita pacis*, Theſ.19. Pax tempeſtiva, Expl.1. Pax honeſta, 2. Pax ſimplex, 3. *Dimiſſio exercitus*. Th.20. Dimittendus miles, & quo modo? Expl.

LIBRI TERTII,

de everſione Reipublicæ,

CAP. I.

De cauſa everſionis efficiente principali & minus principali ex parte ſolius magiſtratus, & magiſtratus atque ſubditorum ſimul: ubi de injuſtitiâ, diſcordiâ, ambitione, avaritiâ, abdicatione intempeſtivâ, &c.

IN *everſione conſideranda*. Theſ.1. *Efficiens prima, DEVS*, 2, 3, 4. Mutationes Rerumpub. à DEO ſunt: Expl. *Cauſa ſecunda magiſtratus*, Theſ.5, 6. Injuſtitia, Expl. 1 Diſcordia, 2. Ambitio, 3. Abdicatio intempeſtiva, 4. *Magiſtratus & ſubditi ſimul*, Th.7. *Violatio diſciplinæ publicæ*, 8. Tyrannis religioſa, Explic. 1. Idololatria, 2. Libidines, 3. Luxus, 4. Pauperum oppreſſio, 5.

CAP. II.

De violatione juriſdictionis per facta manifeſta: ubi de factionibus, defectionibus, ſeditionibus & bellis civilibus.

Violatio Iuriſdictionis per manifeſta hominum facta, Th. 1, 2, *Factiones*, 3. Pernicioſæ factiones,

Expl.

Expl. *Defectiones*, Th.4. *Seditionum cauſæ*, 5 (Seditio malorum omnium graviſſimum, Expl.) Th. 6. Mutata & coacta religio, Expl. 1. nimis rigida tributorum exactio, ibid. Indulgentia magiſtratus & lenitas nimia, ibid. Otium, 2. Calamitas publica, 3. *Ad ſeditionem proclives*, Th. 7. Inopes, obærati, malefici, ambitioſi, Expl. *Progreſſus ſeditionum*, Theſ. 9. Vis eloquentiæ in moderenda plebe; Expl. *Bella civilia*, Th. 10. Perniciosiſſima bella civilia, Expl. 1. Cauſæ remotæ, 2. Deciditur quæſtio: quî gerat ſe in bello civili vir bonus: quieſcatne, an in partes abeat? 3.

CAP. III.

De violatione Iurisdictionis per facta hominum occulta: ubi de proditione, conjuratione & inſidiis.

Violatio Iurisdictionis per facta occulta, Th. 1. *Proditiones*, 2. *Proditorum mores*, 3. *Pœna*, 4. Rigidiſſimè puniendi proditores, Expl. *Conjuratio*, Th. 5. *Autores conjurationum*, 6. Catilinæ mores, Expl. *Divulgatio conjurationis*, Th. 7. *Pœna*, 8. *Inſidiæ*, 9. Earum evitandarum ratio, ibid. Exempla inſidiarum, Expl. 1. Remedia, 2, 3. Cauſæ everſionis ad duo ſumma capita revocatæ, 4. Peculiares everſionis cauſæ, 5.

CAP. IV.

De everſionis causâ formali, ſubjecto, adjunctis, effectu & contrariis.

Forma everſionis Reipubl. Theſ. 1. Ab everſione differt converſio, Expl. Converſionum variç cauſæ, 2. Deciſa quæſtio: an populo liceat Reipubl. formam mutare & magiſtratum deponere? 3. *Subjectum everſionis eſt Reſpublica*, Theſ. 2. *Secundum urbes*, 3. Exempla everſarum urbium per incendia, Exp. 1. Per terrę motus, 2. Per diluvia. 3.

 Secun-

Secundùm homines, Theſ.4. Memorabiles hominum interitus, Explic. *Adjuncta everſionis*, Th.5. *Tempus*, 6. Periodi Regnorum & Rerumpubl. fatales variæ, Expl.1,2. *Signa antecedentia*, Theſ.7. Cometæ, Expl. *Effecta*, Theſ.8. Migrationes gentium, Expl. *Contraria everſionis remedia*, Theſ.9.

PRO-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

- Politicæ conſideratur
  - Procœmium, quod agit de politicæ
    - Definitione:
    - Cauſis:
    - Partitione:
  - Tractatio, abſolvitur explicatione partium, quæ ſunt Reipublicæ
    - *A.* Conſtitutio cujus conſiderantur
      - Ortus, lib. 1. cap. 1.
      - Incrementa
        - In genere, cap. 2.
        - In ſpecie in conjunctione
          - Pauciorum, quæ eſt
            - Maritalis. Cap. 1.
            - Patria. Cap. 2.
            - Herilis. Cap. 3.
          - Plurium, qui devinciuntur inter ſe jure
            - Naturali; ut familia, cap. 4.
            - Civili, oriturque conjunctio ex
              - Sodalitate, ubi de Collegiis, 5.
              - Vicinitate, quæ conſideratur ratione
                - Territorii, Civitatis: cap. 6.
                - Vrbis. cap. 7.
      - Forma, quæ conſpicua eſt in
        - Monarchiâ:
        - Ariſtocratiâ:
        - Democratiâ:
        - Cap. 8.
    - *B.* Adminiſtratio
    - Everſio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Pag. 3

cap. 6.

.7.

PROOEMIUM

Continens

PROLEGOMENA

Doctrinæ Politicæ, quæ numero tria ſunt, (1.) Definitio (2.) Cauſæ (3.) Partitio.

THESIS I.

POlitica eſt prudentia benè de Republ. judicandi, eamque rectè conſtituendi, & ad ſalutem civium adminiſtrandi.

EXPLICATIO.

I. *Politica* vox primitiva græca eſt πόλις, quæ civitatem ſignificat: Vndè patet ab *objecto* ſuo diſciplinam hanc ſortiri nomen ſuum. Verſatur enim *prudentia politica* circa adminiſtrationem civitatis, quam veteres Latini plerunque *Rempublicam* appellant.

II. *Politica Doctrina* tota ad Praxin refertur, unde genus ejus conſtituitur *Prudentia*; quæ eſt rectè agendorum cognitio: Adeoque *Politica* erit cognitio de Republ. rectè judicandi, eam rectè conſtituendi, & tandem ad ſalutem civium rectè adminiſtrandi.

III. De Republ. rectè judicant, qui ex doctrinâ ſeu prudentiâ *Politicâ* norunt, an rectè vel ſecus ſit conſtituta, & an rectè vel ſecus adminiſtretur? Iudicium hoc docet & profitetur *Politica*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. II.

Inter cauſas *Politicæ* prima eſt *Efficiens* : Cuius nomine veniunt adjumenta, quibus prudentiam politicam aſſequimur , quæ præcipuè quinque ſunt (1) Vſus. (2) Hiſtoriarum cognitio. (3) Peregrinatio (4) Converſatio cum ſapientibus & prudentibus. (5) Præcepta fideliter tradita & explicata.

EXPLICATIO.

I. *Vſus* eſt experientia , quâ quis res vel ipſe geſſit varias, vel ab alijs geſtas vidit & obſervavit: Eodem ſenſu *Lipſio* definitur , notitia humanarum rerum ex viſu vel tractatu. Hic primus & præcipuus eſt *Politicæ prudentiæ* fons, è quo omnes quoque manarunt artes. Commendatur ab *Ariſtotele* 10. Eth. cap. ult.

II. *Hiſtoria* eſt rerum ab alijs geſtarum cognitio, hauſta vel ex libris, vel ex aliorum relationibus & narrationibus. *Heic omnis exempli documenta in illuſtri poſita intuemur , ut inde nobis noſtræque Reipublicæ quod imitemur , capiamus. Inde quod fœdum inceptu , fœdum exitu vitemus, Livius libr.* 1. *Memoriâ* heîc opus , quæ audita vel lecta promtè ſubminiſtret : Sin hac nihil novimus , nihil noſtrum eſt. Igitur hiſtoria mente repoſita , *lux veritatis, magiſtra vitæ eſt.* Cicero. *Hæc veriſſima diſciplina & exercitatio ad res civiles.* Polybius. *Vtilis ad publicas deliberationes.* Ariſtot.

III. *Peregrinatio* modica (Nam immodica mentis minus compoſitæ argumentum eſt *Senecæ*) experientiam quandam apud exteros colligit circa mores , conſuetudines & actiones cùm politicas & publicas, tùm privatas : Vnde inſignia capi poſſunt documenta ad Rempub. rectè conſtituendam & adminiſtrandam.

IV. *Con-*

IV. *Converſatio* cum ſapientibus & præcipuè viris politicis ad hanc prudentiam acquirendam plurimum habet momenti. Dum n. dicta & facta eorum attentè audimus, videmus, obſervamus, quaſi mentes ipſorum induimus, & paulatim in ipſos transformamur. Vnde tritum illud: *Talis quiſque evadit, quales ſunt, quibus cum verſatur.* Ex *Euripide* Plin. lib. 4. Epiſt. 17.

V. Deniq; *pracepta* ex *Vſu, Hiſtoria, Peregrinatione* & *Converſatione* cum ſapientibus extructa, prima jaciunt prudentię politicę fundamenta in juventute, priuſquam ad res gerendas adhibeatur. Hæc *Vſum, Hiſtoriam, Peregrinationem & Converſationem* antecedunt, etiamſi ordine inventionis ſunt poſteriora.

THES. III.

Materia circa quam, ſeu *objectum* eſt Reſpubl. quæ eſt ordo regiminis hominum, certis jubendi parendique legibus, inter ſe bono publico devinctorum.

EXPLICATIO.

I. Patet ex hâc Reipubl. definitione, ad conſtituendam Rempubl. propriè & verè ſic dictam, requiri quatuor.

(1.) *Homines:* Eſt enim Reſpubl. ordo hominum, non brutorum. (2.) *Gradus hominum*, reſpectu quorum alii ſunt ſuperiores, qui jubent ſeu imperant: alij inferiores, qui jubentibus parent. Illi Magiſtratus, hi Subditi appellantur. (3.) *Leges*, ſecundùm quas jubetur & paretur. (4.) *Studiũ boni publici conſervandi,* quo & privatum cujuſq; bonum continetur. Ab alijs definitur: *familiarum rerumque inter ipſas communium cum ſumma poteſtate moderata multitudo.* In hac qui vivunt, *vitam* dicuntur vivere *civilem*: quam nempe in

in hominum ſocietate mixti degimus ad mutua commoda: ſic definire *Lipſio* libuit. *Ciceroni*, lib. 3. de Republ. citante *Auguſtino*, lib. 2. de C. D. cap. 21. *Reſpublica eſt res populi: Populus autem non eſt omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus juris conſenſu & utilitatis communione ſociatus.* Pulchrè Plutarcho: *Reſpublica eſt corpus quoddam concinnatum membris, quod divini muneris beneficio animatur, & ſummæ æquitatis agitur nutu, regiturque quodam lumine rationis.*

II. *Cauſæ*, quæ homines olim impulerunt, & etiamnum impellunt ad faciendam ſocietatis coitionem, duæ ſunt præcipuè: quarum una eſt *ſumma & prima, ipſe* DEVS, qui in ſocietate & ſub certis jubendi & parendi legibus vivere homines voluit, adeoque in diſtinctos cœtus eos congregavit, pro ſapientiâ ſuâ. Paſſim obvia hanc in rem ſunt *Scripturæ* teſtimonia, inter alia, 1. Paralip. 29. v. 11. Dan. 4. v. 14. & 2. v. 21. & 5. v. 18.

Altera cauſa *ſubordinata primæ* eſt hominum, ad ineundam ſocietatem, inclinatio naturalis. Vnde *Ariſtoteles* ait, *hominem eſſe animal politicum & ſociabile*: & πόλιν eſſe τῇ φύσει.

Alii alias recenſent cauſas, inter quas *eloquentia Oratorum & Poëtarum*, qui putantur homines pecudum inſtar in campis palabundos ad colendam ſocietatem civilem permoviſſe: *Studium excolendæ religionis, & in cultu numinis ſe invicem informandi.* Vnde verſiculi noti:

Vtque alios alii de Relligione docerent,
Contiguas pietas juſſit habere domos.

Metus potentiorum, adverſus quos, coitione facta, ſe defenderent. Nam etſi duce naturâ, inquit Cicero, lib. 3. de off. congregabantur homines: tamen ſpe cuſtodię rerum ſuarum urbium præſidia quærebant. *Neceſſitas varia vitæ ſubſidia comparandi*, quæ mutuas plurium requirunt operas.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Forma interna, quatenus eſt in mente hominis ıæc prudentia, eſt ipſa ratio Rempublicam pruſenter conſtituendi & adminiſtrandi. *Externa*, ղuatenus in libro & ſcripto eſt, conſiſtit in me:hodica præceptorum verorum & utilium, ad ıabitum prudentiæ politicæ acquirendum, diſpoſitione & tractatione.

THES. V.

Finis principalis & proprius eſt ſalus civium ›olitica, quam procurant jubentium & parentiım, ſecundùm leges, officia mutua fideliter præſtita.

EXPLICATIO.

I. Vt enim Gubernatori curſus ſecundus; Meſico ſalus; Imperatori victoria: Sic moderatori ʀeipubl. beata civium vita propoſita eſt: Vt opi›us firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute ıoneſta ſit. *Salus populi ſumma lex eſto:* Cicero.

II. Ex cauſis hactenus explicatis patet pruden:iæ & doctrinæ Politicę præſtantia: maximè verò :x *Objecto* & *Fine*: Superat enim omnes alias ſcien:ias & artes prudentia politica. (1) Ratione *objecti*; ղuia verſatur circa Rempubl. ordinandam & adminiſtrandam, qua in hoc mundo nihil præſtan:ius. (2) Ratione *finis*: Quia per ſe & naturâ ſuâ :ommune omnium civium ſpectat bonum; cum ıliæ artes & diſciplinæ ſpectent potiſſimũ cujuſղue privatum bonum. Hinc *Architectonica* ap›ellatur Politica, quia quaſi dictatrix omnibus ıliis diſciplinis præſcribit leges, quatenus & quomodo in Republ. ſint excolendæ & tolerandæ, omneſque proſcribit artes humanæ ſocietati & ›ono civium publico noxias. Pertinet huc eximium illud Politicæ diſciplinæ encomium, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quod in præfatione librorum de Republ. *Bodinus* promulgavit. *Hujus*, inquit, *ſcientiæ tot & tantæ ſunt utilitates, ut omnia omnium imperia cætusque jure ſociati ejus unius ope ſtare, eaque ex omnibus diſciplinis ſola principibus, ſola claris viris, ſola Regibus digna eſſe videatur.*

Ad hoc veluti oraculum confugiendum *Principibus*, vt benè & ſalutariter poſſint præeſſe: confugiendum *ſubditis*, ut rectè poſſint ſubeſſe: utriſque ut humani generis conſervetur ſocietas, quæ ſine imperantium & parentium officiis nulla eſt.

III. Nobiliſſimi *ſtudij Politici* gloriam obfuſcat & infamat quorundam *Pſeudopoliticorum* malitia, quæ *Politicam* fingit pietati & probitati inimicam, è fraudibus & dolis conſutam, in qua fidei candoriſq; minimum, quæ tota ſcatet *ſimulatione* & *diffidentia*, ridetque *ethicæ* & *theologiæ* monita, & ab omni *æquitate* & *pietate* alieniſſima non excuſat tantùm, ſed & laudat, *per rationem ſtatus, par la raiſon d' eſtat*, vel *ragion di ſtado*: Politicam huiuſmodi profeſſus eſt ſuperioribus annis *Machiavellus Florentinus*, qui parum abeſt, quin aſſentientem quoque *Lipſium* habeat: cujus 4. Polit. cap. 13. hæc ſunt verba: *Faſne eſt, ut leviter admiſceatur aliquid fraudium*; *Ego puto: quicquid* Zenones *quidam mihi abnuant, quibus unum illud ad laudem cum virtute directum iter probatur*. Addit: *Vinum vinum eſſe non deſinit, ſi aqua leviter temperatur: nec prudentia, prudentia, ſi guttula in ea fraudis:* quam definit, *argutum conſilium à virtute & legibus devium, regis regnique bono*. Lipſio multi ſuffragantur è modernis politicis, quibus in *virtute* non videtur eſſe ſatis præſidij ad gubernandam rempublicam: adjuvanda *vitio virtus* videtur, miſcendę *luci tenebræ*, jungẽdus *Chriſto Belial*. Hanc nos politicam ſuis autoribus

bus remittimus, qui pro certo habemus, *non* *ſe facienda mala,ut eveniant bona*, Rom. 3. v. 8. *enecam* laudamus, qui inſtabile ait eſſe regnum, bi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, fides. nterim *Lipſius* quoq;, quando ad DEI legem ocu- ú torquet, hæſitat & maledictionis fulmen hor- et. Non ignoro ſubinde ingeminari illud ex *Tac. Annal.* 14. *Magna exempla habent aliquid ex ini- uo, quod adverſus ſingulos utilitate publica re- enditur*, cui iterum illud ex Dei depromtum ſchola oppono: *Non ſunt facienda mala, ut eve- iant bona*. Viderint iſti Politici, ne, *dum terram lefendunt, cœlum amittant*. Certè *in beatam il- lam Dei urbem non intrabit quicquam quod inqui- nat, aut abominandum quippiam patrat, vel men- dacium loquitur*. Apoc. 21. v. 27. Bellum *Ma- chiavello* & *Lipſio* indicit *Adamus Contzen* Ieſui- ta Polit. libro 2. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & lib. 3. c. 4. Quantò religioſior olim iſtis pſeu- dopoliticis ethnicus fuit *Cambyſes*, cujus ad fili- um *Cyrum* in Medos profecturum hæc ſunt ver- ba. *Hoc unum præcipuè commendo, idque tanquam pretioſum theſaurum à Patre donatum in tua me- moria recondi cupio. Dei eſto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediare, niſi divino Numine im- plorato. Imbecilla eſt enim & hebes mortalium na- tura: nihil autem Dei ſapientiam latet: omnia ex ſententia cedunt ijs, quibus illa præſto eſt.*

THES. VI.

Hactenus cauſa Politicæ: Sequitur *partitio* in tria membra, quorum (1.) de Reipublicæ *conſtitutione*. (2.) De *Adminiſtrati- one*. (3.) De *Everſione*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

LIBER PRIMUS

DE

REIPUBLICÆ CONSTI- TUTIONE

Caput I.

De Ortu Reipublicæ, ejuſque incrementis in genere, & in ſpecie de conjunctione maritali.

Thesis I.

C*onſtitutio* Reipub. abſolvitur conſideratione (1.) *Ortus* (2.) *Incrementorum* (3.) *Formæ* (4.) *Finis.*

Thes. II.

Ortus Reipubl. eſt à gemino principio, *Divino & Humano* : ſiquidem Deus pro ſapientia ſua, omnis boni ordinis author, ſocietate ordinatâ ſub certis jubendi parendique legibus homines congregat, qui divinæ auræ particulam trahentes, ipſi quoque naturâ ad hanc ordinatam ſocietatem inclinant.

Explicatio.

Eſſe à Deo Reſpublicas & Magiſtratum expreſſis conſtat ſcripturæ teſtimoniis. Rom. 13.1. *Omnis poteſtas à DEO eſt,* Dan. 2. v. 21, *Ipſe transfert regna & conſtituit reges.* Proverb. 8. v. 15. 16. *Per*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Per me reges regnant & dominatores decernunt juſtitiam, per me principes geſtant principatum & ingenui omnes judices terræ. Vnde Reges & Principes appellantur *DEI vicarii*, *Imagines divinæ majeſtatis*, *Deorum diſcipuli*, *Deorum filij*, *imò Dij*.

THES. III.

Incrementa in genere conſiderantur, vel in ſpecie.

THES. IV.

Incrementa Rerumpubl. in genere ad cauſas principales octo referuntur, quæ ſunt (1.) *vicinarum Rerumpubl. Ruina* (2.) *Conceſſio libertatis* (3.) *Diſparitas civium* (4.) *Studium armorum* (5.) *Concordia civium* (6.) *Deductio coloniarum* (7.) *Conceſſio immunitatum* (8.) *Invitatio civium ad condenda variis in locis ædificia.*

EXPLICATIO.

I. Incrementorum per cauſas haſce procuratorum exempla paſſim in hiſtoriis occurrunt priſcis & recentibus. *Romæ* olim prima dedit incrementa vicinæ civitatis *Albæ* ruina: quod alijs multis civitatibus contigit: ſiquidem *corruptio unius eſt generatio alterius.* Sic etiam ex ruinis Monarchiæ *Babylonicæ* ſurrexit *Perſica*; ex *Perſicæ* ruinis *Græca*; ex *Græcæ* ruinis *Romana*; quæ ipſa quoque debilitata *Turcicæ* incrementa dedit.

II. *Romanam* Rempubl. auxit quoque *promiſſio & conceſſio libertatis*, à conditore Romulo promulgatæ, cujus obtinendæ ſpe plurimi ad eam cives confluxerunt. Ita etiamnum, qui novas moliuntur civitates, promiſſione libertatis, immunitatum & privilegiorum allicere cives conſueverunt.

III. Per *civium diſparitatem* intelligimus non tantùm, quæ in artium, ſive liberalium, ſive mecha-

mechanicarum, nec non commerciorum, ſed etiam nationum & linguarum varietate conſiſtit. His enim ſingulis diſparitatum modis creſcunt Reſpublicæ.

IV. *Armis* maximè proferri Rerumpubl. fines exemplo ſunt omnium ſeculorum Monarchiæ, Regna, Principatus.

V. *Concordiâ*, ut notum eſt, res parvæ creſcunt, uti diſcordiâ magnæ dilabuntur.

VI. Deductæ quoque olim è civitatibus vel regionibus populoſis *Coloniæ*, egregias & magnas Reſpubl. pepererunt, quales & hodiè in utraque *India* excitantur, miſſis eò ex *Europâ* Colonis ſive *Germanis*, ſive *Belgis*, ſive *Hiſpanis*, ſive *Anglis*. Nata hinc quoque celeberrima *Germaniæ* Reſpubl. *Colonia Agrippinenſis*, quæ in originis ſuæ memoriam *Coloniæ* nomen retinuit: *Vbiis* olim ab *Agrippâ*, *Auguſti* Imperatoris genero, vel *Agrippina*, nepte *Agrippæ*, ad locum, quem hodiè occupant, traductis, ut à *Suevis* in poſterum tutiores eſſent.

VII. Ad *ædificia* varia condenda facilè invitantur cives, ſi ædificandi materiam magiſtratus ſuppeditet vel gratis, vel pretio tolerabili.

VIII. Rerumpublicarum incrementa impediunt (1.) *diſciplina laxa*, quæ legum parit contemtum (2.) *avaritia* (3.) *morum pravitas* (4.) *luxus*.

THES. V.

Incrementa in ſpecie conſiſtunt in conjunctione *paucorum* vel *plurium*.

THES. VI.

Paucorum conjunctio eſt vel *maritalis*, vel *patria* vel *herilis*.

THES. VII.

Maritalis conjunctio eſt inter maritum & uxorem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

em; Vbi conſideranda matrimonij *conſtitutio* *diſſolutio*.

EXPLICATIO.

Maritalis conjunctio uti antiquiſſima & ſan-iſſima eſt, Ita primum eſt Reipubl. fundamen-m & columen. Hinc enim cives Reipubl. na-untur, ſine quibus nec conſtitui nec conſervari oteſt. Vndè perpetuus *cælibatus* olim inviſus uit legiſlatoribus & Rerumpubl. rectoribus.

Cenſores in Romana Republ. expreſsè *cælibatum* prohibuerunt Cic. lib. 3. de LL.

Camillus & *Poſthumius* Cenſores in ærarium ertam æris mulctam inferre juſſerunt ſenes cæli-es; neque potuerunt cælibes ex *Romanorum* te-tamentis quicquam capere.

Corinthij cælibes honore ſepulturæ privabant.

Lacones eoſdem, mediâ brumâ, veſtibus ſpolia-os ex edicto jubebant forum obire.

Argivi nullis muneribus eos præficiebant,

Apud *Athenienſes*, feſto die, circum aram tracti cædebantur flagris.

THES. VIII.

Circa matrimonij conſtitutionem obſervan-da (1. *electio uxoris* (2.) *ritus nuptiarum* (3.) *officia conjugum*.

THES. IX.

In *uxoris electione* circumſpectè conſideranda veniunt (1.) *genus* (2.) *forma* (3.) *ætas* (4.) *mores* (5.) *res familiaris*.

EXPLICATIO.

Vxor ab ungendo dici creditur, quaſi *Vnxor*. Novæ enim nuptæ mariti domum intrantes adipe inungebant poſtes: *Plin.* lib. 28. cap. 9.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. X.

In *genere* requiritur (1.) *æqualitas* (2.) *parentum futuræ uxoris pietas & probitas.*

EXPLICATIO.

I. *Æqualitas* reſpectu *generis* eſt, qua uxor futura ſtatum & conditionem mariti dignitate non nimis excedit, nec vilitate infra eam nimis deprimitur. Ratio hujus præcepti eſt, quia *firmiſſima inter pares amicitia eſt. Curtius* lib. 7. Vxor, quæ generis ſplendore longè ſuperior eſt marito, facilè contemnit maritum. Et viciſſim maritus uxorem ſe longè viliorem. Vnde prudens illud *Ovidij* monitum:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

II. Spectanda quoque inprimis *parentum pietas & probitas,* quia promittit ea piam & probam filiæ educationem: Vt enim in ſobolem parentum virtutes: Ita & vitia ſolent deſcendere. Vnde illud: *Mali corvi malum ovum.*

THES. XI.

Formæ quoque habenda ratio, ne nimis deformis eligatur: Vbi tamen proprio potius, quàm alieno ſtandum judicio.

EXPLICATIO.

I. *Formam Plato* appellat Naturæ privilegium: *Diogenes*, Fortunæ bonum: *Socrates*, modici temporis tyrannidem: *Ariſtoteles*, mutam commendationem: *Theophraſtus* ſilentem fraudem: *Theocritus*, eburneum detrimentum: *Carneades*, regnum non egens ſatellite. Hæc ideo in electione conjugis non negligenda (1.) quia egregia corporis ſpecies plerumq; ſolet eſſe ſimulacrum bonæ mentis, & figura probitatis: Siquidem hoſpitator animus præclarus plerumque domicilium ſibi deligit eximium: Ita monſtroſum corpus

orpus animum plerumque loquitur monſtro-um (2.) quia amoris conciliatrix eſt formæ ele-antia; Vnde illud:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

II. In hâc autem formæ æſtimatione proprio otius quàm alieno ſtandũ judicio, & oculîs po-ius quàm auribus fidendum, ne decipiaris, aut, quam alterius ſuaſu elegeris, temerè repudies, propter formam ab alijs vituperatam. Nunquam autem ita in formam defigendi oculi, ut hone-ſtatis abjiciatur cura, neque temerè ex formâ pronunciandum de honeſtate: cui explorandæ aures quoque inprimis ſervire debent.

THES. XII.

Ætas matura ſit, & conjugij oneribus & fructibus ferendis idonea: Vnde nec nimis ju-vencula, nec nimis vetula eligenda: quia neu-tra eſt idonea.

EXPLICATIO.

Nubendi annos fœmellis præſcribit *Ariſtoteles* ab anno decimo octavo ad quinquageſimum. *Plato* à viceſimo ad quadrageſimum. *Heſiodus* prohibet fœmellis nubere ante annũ decimum-quintum. *Iuſtinianus* etiam anno duodecimo eas admittit. Rationi tamen magis conſoni ſunt an-ni ab *Ariſt.* & *Platone* præſcripti: Siquidem teſta-tur experientia, ante annos illos contracta ma-trimonia & parentes & ſobolem enervare; *Ari-ſtoteles* 7. Polit. cap. 16.

THES. XIII.

Mores in electione uxoris ſpectandi ſunt (1.) *ornandi ſtudium non nimium (2.) pudicitia & verecundia.*

EXPLICATIO.

I. Non omne *ornandi ſtudium* vitio fœmellis datur: Vnde *Valer. Max.* ait: *Mulieribus olim per-*

permiſſus eſt ornatus, ut formam ſuam concinni rem efficerent. Sed *immodicum*; quod fucum quo que accerſit, & levitatis ac laſciviæ ſuſpicione ingerit: Vndè apud *Plautum* eleganter fœmina:

> *Bono animo me ornatam, quàm auro multo malo.*
> *Multa ſunt mulierum vitia; ſed hoc è multis maximum eſt,*
> *Cum ſibi nimis placent, nimiſque operam dant, ut placeant viris.*

II. *Pudicitia*, quæ in fœmellis requiritur, ut & juvenibus, eſt conſtans abſtinentia ab amore prohibito.

Pudor ſeu *verecundia* eſt metus reprehenſionis.

Morum horum experimenta capiuntur ex *ſermone*, ſi ſit parcior & timidior: Ex *oculorum obtutu*, ſi ſit demiſſior: Ex *inceſſu*, ſi ſit tardior & ſimplicior. Ex *veſtitu*, ſi ad modeſtiam & honeſtatem magis ſit compoſitus: Denique ex fuga *ſuſpectæ converſationis*, & *crebræ diſcurſitationis.*

THES. XIV.

Rei familiaris cura dotem potiſſimum concernit, quæ & ipſa in uxore eligenda non eſt negligenda: Etſi non nimis rigidè exigenda, vel pro potiſſima matrimonij causâ habenda.

EXPLICATIO.

Hinc etiam leges volunt, *maritum habere levamen onerum, ut de dote datâ compenſentur moleſtiæ.* Vndè apud pleraſque nationes certæ de *dotibus* conſtitutæ ſunt Leges. Monent verò prudentes in moderata acquieſcendum *dote*, nec affectandam eam, quam difficulter poſſis obtinere. Nam qui nimiam affectant *dotem*, & tandem conſequuntur, plerunque libertatem vendunt (ſecundum tritum illud: *Dotem accepi, libertatem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tem vendidi) & ſobolem ſæpè ad inopiam redigunt, viduis, loco dotis, omne patrimonium exhaurientibus.

Ex *Lycurgi* olim inſtituto *Spartanæ* feminæ nubebant indotatæ; quod prudentiores improbant.

THES. XV.

Hactenus electio uxoris: ſequuntur *ritus nuptiarum*, qui inter populos *Europæos* cultiores hodiè ferè iidem ſunt, omnibus noti. Et continent *ſponſalia, proclamationem, copulationem publicam, mutuam arrharum porrectionem, officij conjugum mutui commemorationem, convivium nuptiale & deductionem ad domum ſponſi.*

EXPLICATIO.

Varii & admirandi ritus veterum circa nuptias videantur in Auctore cap. 6.

Prætermiſſa heîc ab auctore mentio *conſenſus*, qui ad conſtitutionem matrimonij planè neceſſarius eſt: isque geminus (1.) *partium contrahentium*, ſponſi & ſponſæ. (2.) *Parentum* vel eorum, qui ſunt parentum loco.

De *prioris conſenſus* neceſſitate nulla eſt controverſia; *poſterioris* neceſſitatem qui negant ſequentibus argumentis convincuntur.

(1.) Quia DEVS jubet filios parentibus in omnibus *ſubjectos* eſſe: Epheſ. 6. verſ. 1. 2. 3. Coloſ. 3. v. 20.

(2.) Quia præcepta *de liberis elocandis* DEVS dedit parentibus: Exod. 22. verſ. 17. & 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. Ierem. 29. v. 6.

(3.) Quia etiam vitiata filia non niſi *patre conſentiente* duci potuit per legem DEI: Exod. 22. verſ. 17.

(4.) Quia *votum* etiam DEO factum non eſt ratum contradicente patre. Num. 30. v. 5.

(5.) Quia ipſe *Imperator* parentum conſenſum ait ſuaderi *ratione civili & naturali.*

THES. XVI.

Officia conjugum ſunt *mariti* & *uxoris* conjunctim, vel utriusque ſeorſim.

THES. XVII.

Officia *marito* & *uxori* communia ſunt (1) *ſedula divini numinis invocatio*, ut conjugio benedicat (2) *procreatio ſobolis* (3) *mutuum in omni vita & quâcunque fortunâ adjutorium* (4.) *religioſa fidei conjugalis obſervantia.*

EXPLICATIO.

I. *Sedula divini numinis invocatio* neceſſaria eſt, quia abſque eâ ſalutare & felix conjugium eſſe nequit: Conſcientia tranquilla nulla, nec in adverſis vel proſperis moderatio ulla.

II. *Sobolis procreatio* præcipuus eſt conjugii finis: ut patet ex primâ conjugij inſtitutione. Voluit enim DEVS humanum genus per conjugium propagari, ideoque ordinem hunc in ipſo ſanxit Paradiſo, ante omnes alios.

Cum hic conjugij præcipuus ſit finis, monent *Politici.*

(1) *In matrimonio non eſſe copulandas perſonas ad procreationem ſobolis ineptas, vel per ætatem vel alia vitia,*

(2) *Non eſſe contrahendas nuptias ad perpetuam fovendam virginitatem:* quales contraxit *Henricus* II. Imperator cum *Cunigunde* Franconicæ ſtirpis Palatinâ. Et *Boleslaus* Poloniæ Rex cognomento pudicus, cum *Cunigunde* Belæ Regis Hungariæ filia.

III. *Mutuum in omni vitâ ſive proſperâ ſive adverſâ adjutorium* ipſe DEVS in primâ inſtitutione præcepit, quando dixit, faciendum eſſe homini

mini *adjutorium*. Conſiſtit autem *adjutorium* hoc, in ferendis & ſublevandis matrimonii oneribus, in re domeſticâ promovendâ, in ſobole educandâ, in ſolatio mutuo ſuggerendo.

IV. *Religioſa fidei conjugalis obſervantia* opponitur adulterio utriuſque conjugis, quod capitale eſſe leges divinæ & humanæ volunt. Vnde meritò damnandi *Augylæ* populi, qui uxores ſuas primis noctibus adulteris cogebant parere, mox ad perpetuam pudicitiam legibus adſtringebant ſeveriſſimè: *Solinus* cap. 41.

Lacones, qui in communicandis uxoribus erant facillimi. *Xenophon* de Spartanâ Republ.

Saraceni & *Arabes*, qui uſuarias habebant feminas, *Strabo*, lib. 16.

Babylonij, qui conjuges filiaſque ſuas advenis hoſpitibus permittebant. *Curtius* lib. 5.

Germani veteres, qui uxorem ut mercem permutabant: *Cæſar* de bello Gallico.

Thes. XVIII.

Officia *mariti* propria ſunt (1) *ſubminiſtratio alimentorum* (2) *Deffenſio uxoris* (3) *gubernatio domeſtica*.

Explicatio.

I. *Alimenta* hîc intelliguntur duplicia, nempe, quæ nutritioni, & quæ cultui ſeu amictui inſerviunt: quorum illa propriè dicuntur *alimenta*: hæc *veſtimenta*. Vtraque vxori debet maritus ex lege divina, naturali & civili. Vnde *Apoſtolus ait* 1. Tim. 5. v. 8. *Fidem eum abnegare & Ethnico deteriorem eſſe, qui ſuos non alit.* Et de ſententia *Baldi: Lucro dotis privandus eſt maritus, qui alimenta uxori denegat.*

II. *Deffenſionem* uxorum maritis quoque injungunt divinæ & humanæ leges, quæ in ſpecie agendi poteſtatem permittunt, ſi qua injuria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

uxori ſit illata, lib. *Inſtitut.* 4. titulo. 4. etſi viciſſim per leges defendere maritum uxor non poteſt, nempè in judicio publico.

III. *Gubernatio domeſtica* eſt regimen, quod viro incumbit, qui auctoritate & conſilio ſuo Oeconomica procurat, mandatque, quod fieri vult: adeoque ſub ſuo habet imperio uxorem; quod qui uxori in ſe permittit, abjectiſſimi cenſetur eſſe ingenii. Vnde eleganter *Plinius* in Panegyrico *Trajani: Multos foris claros domeſtica deſtruxit infamia, & ne maximi cives haberentur, hoc effecit, quod mariti minores eſſent.* Hinc γυναικοκρατούμενοι h.e. qui mulierum parent imperiis, & muliebria tractant, peſſimè à ſcriptoribus traducuntur, ſive integri populi: ut, *Seres, Seguſiani*: ſive Reges & Principes, ut *Ninus, Sardanapalus* & ipſe etiam *Iuſtinianus Imperator.* Monent tamen heîc, cùm divinæ tùm humanæ Leges, in hoc regimine domeſtico moderationem & lenitatem adhibendam eſſe, ne ſit violentum, tyrannicum, ſed paternum. Vnde ad verbera raro deſcendendum; quia, ſecundùm leges civiles, maritus & uxor ſunt una perſona, & uxor eſt pars corporis mariti. Præceptum *Apoſtoli* eximium eſt, Ephe. 5. v. 25. 28. Col. 3. v. 18. 19. Vnde plus quam barbara & ſervilis conſuetudo apud *Moſcovitas* invaluit, ubi uxor mariti amorem è crebis verberibus æſtimat.

THES. XIX.

Officia *uxoris* propria ſunt (1) *Exhibitio honoris & obedientiæ.* (2) *Cohabitatio.* (3) *Sobolis ſive in lucem nondum editæ, ſive editæ ſingularis cura, & in primis lactatio* (4) *grata viri defuncti memoria.*

EXPLICATIO.

I. *Honoris & obedientiæ exhibitionem mulieribus* præſcribit Paulus Eph. 5. v. 22. Col. 3. v. 18. Tit. 2. v. 4. 5. 1. Petr. 3. v. 2.

II. *Coha-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

II. *Cohabitatio* intelligitur, quâ unum idemque uxor cum marito domicilium habet. Vnde Iuriſconſultis domus mariti appellatur *domicilium matrimonii*, neque individua vitæ ſocietas permittit, ut aliud uxoris aliud mariti ſit domicilium. Idque adeò jura urgent, ut etiam maritum vagabundum ſequi uxor teneatur, ſi tempore contracti matrimonii eum talem eſſe noverit: Ita & bannitum ſequi tenetur.

III. *Cura ſobolis* in lucem nondum editæ eatenus incumbit uxoribus, ut ſtudioſè vitent, quæ abortui dare cauſam & occaſioné poſſunt: Qualis, *cinctura nimis ſtricta*, quæ abortum provocavit neptis *Coriolani*: *Saltatio immodica*, quæ nocuit *Curii* Triumphantis ſorori: *Variorum ciborũ ingurgitatio*, quâ abortivit ſoror *C. Duilii*: *Subita conſternatio*, qua læſa *Pompeii* uxor, filia *Cæſaris*.

Poſtquam in lucem edita ſoboles, ab uxore jam matre factâ, requiritur inprimis *lactationis officium*, ut ipſa lacte ſuo fœtum alat; quod priſcis *Germanis*, tàm nobilibus quam ignobilibus, in uſu fuit.

Mos hic peſſimis exemplis modò in *Italia* & *Gallia*, etiam apud plebeias, & in *Germania* noſtra apud Principes & nobiles in deſuetudinem abiit: Vbi officium hoc matres ingenuæ, honeſtæ & nobiles plerunque plebeiis & vilibus femellis, imò haud raró meretricibus demandant, adeoque *erubeſcunt fieri nutrices, quæ factæ ſunt matres*, quod *Chryſoſtomus* ipſis exprobat, Hom. in Pſalm. 50. Rationes, quibus ſuadetur matribus officium hoc lactandæ ſobolis propriæ, inter alias hæ ſunt

(1) Quia *Philoſtorgiæ*, hoc eſt, amori parentibus erga liberos à naturâ implantato adverſatur iſta ſobolis in lucem editæ ad aliena & plerunque ſervilia ubera abiectio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(2) Quia fini uberum omnibus matribus datorum repugnat illa ſobolis deſertio. Ideo enim data ſunt matribus ubera, ut fœtus ſuos iis nutriant.
(3) Quia lac, quod infantes trahunt, ad corporis habitum & formandos mores plurimum conferre ſapientibus putatur. Vnde experientia teſte, multi ex iis, qui à ſervilibus impudicis & famoſis nutricibus ſunt lactati, quamuis ex honeſtiſſimis nati eſſent parentibus, tandem nutricum ſuarum mores induerunt: Imo & morbos ex iis contagioſos unà cum lacte traxerunt. Exempla paſſim ſunt obvia: Proverb. Germanorum eſt: was von Huren ſäugt / das iſt zu huren geneigt. Aures hic arrigite, qui, nullâ urgente neceſſitate, filios veſtros meretricibus lactandos præbetis! quâ de re graviter diſſerentem vide *Favorinum* philoſophum, apud Gell. libr. 12. c. 11. & *Adamum Contzen* Polit. lib. 4. c. 3.

IV. Denique *grata defuncti viri memoria* requiritur quoque ab uxore vidua, quæ conſiſtit non tantum in mentione ejus honeſtâ, ſed in luctu quoque decente, ad certum uſque tempus, quod legibus vel conſuetudine definitum eſt.

Olim apud *Romanos* luctui huic annus dabatur, quem *Theodoſius* Imperator quoque præſcripſit.

Thraciæ fœminæ amoris & deſiderii ſui declarandi cauſa in flammas, ſeu rogos, quibus maritorum cadavera comburebantur, præcipites ſe iniiciebant. *Solinus* cap. 15. Vxor *Senecæ*, cum maritus à *Nerone* diſcipulo, venis inciſis in balneo, necaretur, ipſa ſibi venas quoque unà cum illo curavit incidi.

Hæc tamen exempla ad imitationem non ſunt trahenda. Non immerito autem vel hoc nomine mari-

maritorum defunctorum gratam memoriam retinent viduæ: quia, quantiſper in eo manent ſtatu, defuncti mariti dignitatem retinent, ſecundum leges civiles.

Thes. XX.

Hactenus matrimonii conſtitutio: Sequitur ejuſdem ſolutio: quæ fit, vel per mortem alterutrius conjugis vel inter vivos per divortium, cujus duæ potiſſimum ſunt cauſæ legitimæ, *Adulterium* & *deſertio malitioſa.*

Explicatio.

I. Legitimam divortii cauſam *adulterium* eſſe, Chriſtus docet Matt. 5: v. 31. Et 19. v. 19. Pulchra eſt *Chryſoſtomi* ſententia: *Sicut crudelis & iniquus eſt, qui caſtam dimittit uxorem: ſic fatuus eſt & iniuſtus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis eſt qui celat crimen uxoris. Deſertionem* quoque malitioſam eſſe cauſam legitimam probatur ex Paulo 1. Cor. 7: v. 15. Eaſdem cauſas agnoſcunt quoque leges civiles. Extra haſce divortii cauſas vix aliæ à piis & religioſis judicibus admittuntur. Vnde nec ob ſævitiam intolerabilem mariti, nec ob conjugis alterutrius furorem, nec ob morbos contagioſos, nec ob ſterilitatem diſſolvi matrimonium leges etiam civiles permittunt. Etſi *Solon* olim in Republ. *Atticâ* ſteriles matrimonio exemit.

Obſervandum: diſſolutionem matrimonii propter *deſertionem malitioſam* debere *ſolemnem* eſſe, hoc eſt, cum autoritate magiſtratus conjunctam: requiritur igitur ad eam

(1) *Cognitio cauſæ* an ſit malitioſa deſertio?
(2) *Citatio publica deſertoris.*
(3) *Solutio & abſolutio partis innocentis.*

II. *Adulterii* pœna capitalis eſt ex l. Iuliâ §. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Inſtit. de Iudiciis publicis. Veteres tamen *Romani* adulteras fœminas morte nunquam puniverunt.

Parthi contrà nulla delicta adulterio gravius vindicabant.

Zeleucus legiſlator oculis privari adulteros voluit.

Ægyptii narium mutilatione eos puniverunt.

Veteres *Germani* verberatione ignominioſâ.

Iuſtinianus tandem in Novellis caſtigationem cum fuſtibus & detruſionem in monaſterium introduxit.

Hodie plerunque adulteri capitis diſcrimen ſubeunt: Non nunquam etiam fuſtigatione & pœna pecuniariâ mulctantur; pro varietate circumſtantiarum. De adulteris capitaliter puniendis lex divina videatur. *Levit.* 20. v. 10. *Deut.* 22. v. 22. 23.

CAPUT II.

DE CONJUNCTIONE PATRIA.

THESIS I.

HActenus *conjunctio maritalis*: Sequitur *patria*, inter Patrem & liberos. Vbi utrorumque officia in conſiderationem veniunt.

EXPLICATIO.

Ex conjunctione *maritali* proximè oritur conjunctio *patria*, inter patrem & liberos, qui fructus & fines ſunt conjugii. Fit enim ex marito Pater. Et ideo maritus fit, ut pater fiat: Pater autem ſine liberis eſſe nequit.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Thes. II.

Officia *patris* quatuor potiſſimum ſunt (1) *alimentorum præſtatio* (2) *educatio* (3) *elocatio.* (4) *dotatio.*

Thes. III.

Alimentorum præſtatio victus & amictus complectitur procurationem.

Explicatio.

I. *Victum* & *amictum* pater liberis debet: quia ſunt viſcerum ejus partes, alioquin ſine alimentis interituræ. Vnde in *jure Canonico* anathematis damnatur, qui naturalia alimenta liberis non præbuerit. Et per *leges civiles* auctoritate Magiſtratus, ad debitum hoc perſolvendum coguntur, qui id facere negligunt. Gaudent hoc jure, etiam qui ex injuſto nati ſunt matrimonio.

II. Olim tamen temporibus *Maximini* Imperatoris, urgente neceſſitate, etiam liberorum permiſſa fuit venditio: *Auctoritate*, ut *Ambroſius* loquitur, *generationis, non voce pietatis.* Sed inter Chriſtianos modo hæc abolita eſt conſuetudo. *Quia iniquiſſimum eſt, eodem cum liberis agi, quo cum merce; quando liberi hominis nulla poteſt eſſe æſtimatio,*

Thes. IV.

Educatio conſiſtit vel in diſciplina domeſtica, vel in corporis animique rectè formandi curâ.

Thes. V.

Domeſtica diſciplina eſt liberorum intra debiti obſequii limites coërcitio, quam moderatam & temperatam eſſe decet.

Explicatio.

I. Nimis ſevera liberorum coërcitio aliena eſt

à pietate & Philoſtorgia Patris: Cujus ut dulciſſimum liberis eſſe nomen debet: Ita ut rigore nimio illa ſtorgarum flammula in liberis ne extinguatur, parentum eſſe cura debet. Minimè tamen cum affectu paterno pugnat coërcitio moderata & ratione temperata, quam ubique Scriptura inculcat: Inſigne dictum eſt. *Prov.3.v.12 Quem diligit Iehova, corrigit, & quidem ut Pater filium, cui bene vult.*

II. *Ius vitæ & necis*, quod olim in liberos habebant & uſurpabant parentes, apud *Romanos*, *Celtas Perſas, Gallos* & *Indos*, nimis inhumanum erat, inimicum *legi divinæ* & *naturali*. Vnde temporibus *Pauli & Vlpiani* ICtorum, non amplius eſt uſurpatum. Quod ſi verò gravius deliquiſſet filius, à patre Iudici caſtigandus offerebatur, qui ex præſcripto ſententiam dixit: Quod in DEI quoque populo olim obſervatum legimus, Deut. 21. v. 19. & ſeq. Tandem etiam civilibus legibus cautum fuit, ut, ſi nimis iniquè filium pater tractâſſet, emancipare eundem cogeretur: Cum ne in Dominis quidem ſævitiam erga ſervos ferrent leges, quæ in pœnam dominorum vendi ſervos jubebant.

THES. VI.

Corporis animique rectè formandi cura pro ætatis ratione diſtincta & varia eſt: ſiquidem alia *Infantiam*; alia *Pueritiam*, alia denique *Adoleſcentiam* exercitia & ſtudia decent.

EXPLICATIO.

I. Tres potiſſimum *ætatis* ſunt gradus, qui domi apud parentes partim abſolvi, partim aliquouſque perduci ſolent. *Infantia*, quæ à ICtis nonnullis primo ſeptennio circumſcribitur: *Pueritia* ſecundo: *Adoleſcentia* tertio: Quæ *Iure Saxonico* finitur 21. *Iure civili* quinto.

Nihil tàm neceſſarium eſt in Republica, quàm

recta

recta pueritiæ & adoleſcentiæ inſtitutio : tales enim cives habitura eſt Reſpublica, quales dederit inſtitutio. Vnde *Crates* olim optabat altiſſimum civitatis locum conſcendere, ſummâque animi & vocis contentione exclamare : *Quo feremini ô mortales, qui ad poſsidendas opes magno ſtudio incumbitis, filiorum verò, quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis!* *Ego*, inquit Plutarchus, *ſumma complexus dico, & oracula potius fundere, quàm hortari poſsim videri : nempe primum, medium & poſtremum eſſe inſtitutionem accuratam doctrinamque legitimam.* Oraculum quoque *Platonis* eſt lib. 6. de Republ. *Homo rectam nactus inſtitutionem diviniſsimum manſuetiſsimumque animal effici ſolet, ſi vero vel non ſufficienter vel non benè educetur, eorum, quæ terra progenuit, ferociſsimum.* Graviſſimam *Ariſtotelis* ſententiam de neceſſitate inſtitutionis vide Polit. lib. 8. cap. 1. Demonſtrat idem Polit. lib. 5. c. 9. Legum nullum eſſe uſum ſine inſtitutione. Præcipua verò cura optimatum adhibenda filiis, ſumma principum. His enim tandem habenæ Reipubl. committuntur : Interim nec plebis negligendi filii, ut rectè aliquando parere poſſint.

II. Infantem formandorum cura ſequentibus præceptis deſcribitur. (1) *Lacte materno nutriantur* : cauſas ſuprà recenſuimus. Videatur *Ariſtoteles* Pol. 7. cap. 17. (2) *Moderato motu corpora ipſorum exerceantur, vel in Cunis, vel in Vlnis* Vt nativus in iis calor excitetur, & vitioſi humores diſſipentur. (3) *Accurata membrorum ratio habeatur, ne qua deformitas oboriatur*, qualis in gibbo, & diſtorſione partium. (4) *Aërem duriuſculum ferre doceantur* : ne poſtmodum à frigore facilè lædantur : Vnde *Auſones* quondam infantes recens natos in frigidam aquam immergebant, ut frigori tolerando redderentur idonei,

nei. (5) *Rectè fingere ſermonem doceantur.* (6) *Sermonibus & fabulis jucundis & utilibus demulceantur,* (7) *Ploratus etiam vehementiores ne illicò prohibeantur*; quia in iis eſt quædam virium corporisque contentio: Vnde roboris acceſſio. (8) *Abjectis & propudioſis vitiorum mancipiis ne permittantur*; quia flexanima ætas hæc facillimè corrumpitur. *Puerorum infantia primo errorem cum lacte bibit. Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.* (9) *Ad picturas turpes & Comœdias amatorias ne admittantur*: Vnde *Iuvenalis*:

Nil fœdum dictu viſuq; ea limina tangat.
Intra qua puer eſt.

III. Puerorum cura ſequentibus præceptis deſcribitur.

(1) *Ad ſcholas publicas ducantur*: Vt una eadem & communis omnium ſit inſtitutio: Quam in rem egregia eſt *Quintiliani* ſententia 1. de Oratore 3. *Excitanda mens & attollenda ſemper eſt, quæ in ſecretis aut langueſcit, & quendam velut in opaco ſitum ducit: aut contra inani perſuaſione tumeſcit. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat.* Idem alibi ait: *Eos qui iiſdem ſtudiis initiantur, ad ſenectutem uſque firmiſſimas colere amicitias.*

(2) *Optimis artibus imbuantur*: ratio, quia quibus exercitiis tranſacta pueritia, iisdem etiam virilis ætas detinetur.

(3) *Ingenia eorum non nimis onerentur*: ſed reſerventur quædam donec judicium & ætas maturuerit. Impingit in hanc legem ſeculum noſtum, quod pueris Cothurnos Herculis aptare geſtit, & judicio non expectato, fructus ante florem flagitat: ad ſumma ſine gradibus eniti imbellem ætatem jubet: Oratores, Diſputatores & Philoſophos requirit pueros. Malè quoque ſuis conſulunt, qui, quos certæ alicui

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ad dixerunt facultati, negligere omnia jubent alia: quaſi excellere in uno poſſint, qui omnium aliorum ſunt rudes. Multi, qui filios juri deſtinant, parum iis commercii eſſe volunt cum *Theologia*, cum *Philoſophia* & *linguis*, præſertim *græcâ*: quaſi cum *impietate* & *barbarie* probe conveniat *Iurisprudentia* & divinarum humanarumque literum commercio ea inquinetur. Impingunt in hoſce ſcopulos è nobilibus multi. Illud etiam planè præpoſterum & peſtiferum, tanta diſcendorum varietate primam pueritiam obruere, ſingulasque diei horas diverſis occupare lectionibus, quibus ſingulis ſolidi menſes potius, iique plures impendendi erant, & cogitatio in unam defigenda rem unicè, non diſtrahenda & impedienda tam diverſis objectis: quibus hoc tandem aſſequimur, ut poſt multos annos de multis aliquid, de toto nihil, adoleſcentia reportet & ſerò tandem mutare curſum & ignorantiæ monſtra non ſimul omnia, ſed diverſis temporibus ſingula aggredi cogatur: ita verò longe tardius ſolidæ eruditionis metam contingit: quia recto curſu non progreditur, ſed regredi quoque tandem, poſtquam erratum agnovit, cogitur. Pluribus ſimul & feliciter in pueritiâ & adoleſcentiâ operari non niſi feliciſſimis datum ingeniis; quale illud fuit juvenis XX. circiter annorum, qui ante annos ferè CC. nempe anno M. CCCC. XLV. *Lutetiam Gallorum* appulit, omnesque, in ſui admirationem rapuit. Artium, Medicinæ, Legum & Theologiæ Doctor erat, & diſputando in Collegio Navarreno, præſentibus quinquaginta doctiſſimis viris, & ter mille ſtudioſis tam ſubtiliter & acutè ad propoſitas quæſtiones reſpondit, ut omnes quaſi attoniti obſtupuerint,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

rint. Exactè inſuper callebat & loquebatur *Latinam, Græcam, Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam*, pluresque alias linguas. Erat quoque Muſicę inſtrumentalis & vocalis ſcientiſſimus, adeò ut par in urbe totâ regiâ non exſtiterit. Deniq́ue armorum tractandorum peritiâ omnes ſuperabat, in adverſarium ſaltu ad 20. & 24. pedes irruere poterat. Hominis modulum & menſuram exceſſit.

IV. *Adoleſcentum* cura ſequentibus præceptis continetur.

(1.) *Cum ætas matura ſit virtuti & vitio, omnibus modis à vitio retrahenda & ad virtutem inflectenda:* Etſi nonnunquam aliquid ei indulgendum, ut juvenilis fervor paulatim tepeſcat, modò in licentiâ nimiam effrænis ne feratur. Adoleſcentiæ vitia egregiè deſcribit *Horatius:*

Imberbis juvenis tandem, cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusque & aprici gramine Campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis cupidusque & armata relinquere pernix.

(2.) *Certa ſtudiis & vitæ inſtituto meta eſt præfigenda, ad quam præcipui conatus dirigendi.*

Adoleſcentiæ formandæ opportunum eſt medium Schola publica vel *Academia*, ad quam amandare Filios Muſis conſecratos, iisque neceſſarios ſumtus, ſi facultates admittant, ſubminiſtrare tenentur parentes, non minus quàm in matrimonium elocandos dotare, de ſententiâ Doctorum. Vbi quæſtio occurrit de ſumtibus in ſtudia factis, *an mortuo patre conferre eos filii ſtudioſi teneantur*. Plerique negativam tuentur cum hac exceptione, *niſi comprobatum fuerit, credendi animo à Patre miſſos eſſe ſumtus*. Vide *Limnæ.*

de

de I. P. lib. 8. cap. 7. n. 4. &c. Interim filios, qui hujuſmodi ſumtibus hæreditatem attenuarunt Fratribus & Sororibus ad auxilia tantò liberaliore manu ferenda obligare ipſa dictat ratio & æquitas naturalis.

THES. VII.

Fuit educatio : Sequitur *elocatio* in matrimonium, quæ & ipſa patri incumbit, ita tamen, ut liberum liberis conſenſum relinquat.

EXPLICATIO.

I. De *elocatione liberorum* in matrimonium ideò ſolicitus eſſe debet pater (1.) Quia hâc ratione per familiæ propagationem ſibi diuturnitatis memoriam comparat. (2.) Quia hoc modo Oeconomicam iis curam injungit.

II. *Liberrimus* verò *conſenſus* in contrahendis matrimoniis relinquendus eſt liberis : quia plerumq; difficiles ſolent habere exitus coacta matrimonia. Et, ut *Plautus* monet : *Hoſtis eſt uxor, invita quæ ad maritum nupta datur.*

THES. VIII.

Denique *dotatio* paterni officii quoque pars eſt, legibus ſancita : Ad quam tamen non tenetur pater per leges, ſi filia vel turpiter vixerit, vel, inſcio patre, ante annum ætatis viceſimum quintum marito indigno nupſerit.

THES. IX.

Hactenus patris officia : *Liberorum* officia duo potiſſimum ſunt. (1.) *Exhibitio reverentiæ & obedientiæ* (2.) *Antipelargia*, hoc eſt, ſtudium compenſandi beneficia à parentibus accepta in victu, amictu, & aliis neceſſariis ſubſidiis procurandis, ſi neceſſitas flagitet.

EXPLICATIO.

I. *Reverentiam & obedientiam filialem* erga paren-

parentes ſanciunt divinæ & humanæ leges. Omnium inſtar una eſto, quæ in Decalogo ordine quinta eſt. *Honora patrem & matrem.* Honor autem ille potiſſimum conſiſtit in reverentia & obedientia. Igitur ne reſiſtere quidem patri caſtiganti permiſſum eſt filio, Iure *Canonico* & *Civili.* Vnde egregia conſtitutio *Alberti* Imperatoris: Welcher Sohn ſeinen Vatter an ſeinem Leibe freventlich angreifft / oder ihn verwundet vnd ſchmähet / derſelbe ſoll Ehrloß vnd Rechtloß ſeyn ewiglich / vnd zu keinen Ehren oder Rechten nimmermehr kommen mögen. Sic olim L. *Serviâ* capitaliter plectebatur filius, qui patrẽ verberaſſet. Pœna lege DEI conſtituta in immorigeros filios *lapidatio* erat. Deut. 21. v. 18. Si tamen pater ad interficiendos liberos delendamque patriam properet, defendere ſe filius per leges poteſt modò terminos legitimæ defenſionis non exceſſerit: Neque tum parricidii pœnam incurrit. Habet quoque *obedientia* liberorum erga parentes juſtam *exceptionem*, ſi injuſta & impia jubeant parentes: Tum enim DEO potius & legi obediendum: neglecto parentum imperio. Pertinet huc illud Chriſti: *Qui patrem & matrem magis diligit, quàm me, non eſt me dignus.*

II. *Antipelargia* divinis quoque & humanis legibus eſt præcepta. Vnde *Solon* infames pronunciavit liberos, qui parentibus egentibus opem non tuliſſent: Exceptis tamen iis, qui artem à parentibus non didiciſſent. *Diogenes Laërtius* in *Solone.*

Cur officium hoc ἀντιπελαργία appelletur ex *Ariſtophane* Poëta cognoſci poteſt: Sic ille lepidè:

Sed eſt nobis avibus hæc antiqua lex
Deſcripta in legum tabulis, quas ciconiæ
Habent: Parvas nam cum pater ciconias
Nutrivit & jam factæ ſunt volatiles

Opor-

Oportet natos hanc referre gratiam
Parentibus, ut ſenes viciſſim nutriant.

Ciconia græcis πελαργὸς appellatur: unde *antipelargia*, quam *Ariſtophanes* deſcribit. Egregium pietatis hujus filialis ſpecimen habetur in *AEnea* apud *Virgilium* 2. lib. Æneidos:

Eia, age, care pater, cervici imponere noſtræ.
Ipſe ſubito humeris; nec me labor iſte gravabit:
Quo res cūq; cadēt, unū & commune periclū,
Vna ſalus ambobus erit.

Cum hâc *Antipelargia* extremè pugnat *parricidium*: in quod Leges animadverterunt, non gladio, non igne, non rota, vel alio uſitato ſupplicio; ſed planè ſingulari: Vivi enim parricidæ inſuuntur culeo, vel bovis corio, cum vivis animantibus, *cane*, *gallo gallinaceo*, *vipera* & *ſimiâ*: ſic in vicinum flumen projiciuntur, ut omnium elementorum uſu vivi carere incipiant, cælumque ſuperſtitibus, terra vero mortuis auferatur. §. 6. *Inſtit.* de publicis Iudiciis.

III. De *liberis* porro heîc nonnulla ſunt obſervanda (1.) *Liberi ſequuntur familiam paternam, & ſūt participes omnis dignitatis & honoris, qui familia annexus eſt.* (2.) *Omnia à liberis, quantiſper in poteſtate patris ſunt, acquiſita, non ipſorum, ſed patris ſunt.* (3.) *Filius familiâs omnium honorū, munerum & dignitatum perindè capax eſt, atq; Paterfam. quilibet, non ſolū ignorante ſed & invito patre:* *L. ſi filiusfam.* 3. Cod *Ne filius pro patre.* Neque tamen tollitur obedientia, quam liberi parentibus debent, iſto honore publico: quia, etſi in publicis congreſſibus filius magiſtratum gerens præfertur, in privatis tamen jus domeſticum obſervatur. *Fabius Gurges*, cum Conſul eſſet, & patrem proconſulem ſibi obviam haberet, juſſit patrem equo deſcendere. & pro more peditem ad ſe venire. *Plutarch.* in *Fabio Maxim.* De reſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

reſpectu, qui inter filium magiſtratum & patrem privatum eſt, elegans videatur diſſertatio Philoſophi *Tauri.* ap. *Gellium*, lib. 2. cap. 2. Ratio cur in publicis filius magiſtratus præferatur patri privato à legibus hæc affertur; *quia filiusfam. in cauſis publicis habetur loco patrisfam.* (4.) *Probatio filiationis* quæ incerta quandoque & dubia videtur, è quatuor potiſſimum indiciis ab ICtis accerſitur.

1. Si quis ex viro & uxore ſimul habitantibus domi natus dicatur.

2. Si ab iis, quos ſuos fuiſſe parentes affirmat, filiorum more tractatus & educatus oſtendatur.

3. Si filius à parentibus ſit nominatus.

4. Si in vicinia ab aliis quoque talem fuiſſe habitum conſtet.

IV. Obſervandi denique *gradus* & *nomina cognationum* in lineâ *aſcendente* & *deſcendente*, quarum illa *parentum*, hæc *liberorum* eſt:

Fundamentum ſunt *Pater* & *Mater.* Supra hos ordine ſunt & aſcendunt 1. *Avus* & *Avia.* 2. *Proavus* & *Proavia.* 3. *Abavus* & *Abavia.* 4. *Adavus* & *Adavia.* 5. *Tritavus* & *Tritavia.*

Infra *Patrem & Matrem* deſcendunt. 1. *Filius* & *Filia.* 2. *Nepos* & *Neptis.* 3. *Pronepos* & *Proneptis.* 4. *Abnepos* & *Abneptis.* 5. *Adnepos* & *Adneptis.* 6. *Trinepos* & *Trineptis.*

Frater Patris eſt *Patruus*, Matris *Avunculus* Frater Avi eſt *Patruus magnus*, Aviæ *Avunculus magnus*, *&c.* qui pertinent ad lineam lateralem &c.

CAP.

CAPVT. III.
DE CONIUNCTIONE HERILI.

THESIS I.

Hvcuſque conjunctio *patria* : ſequitur *herilis*, quæ eſt inter dominum & ſervum. Quorum ille imperat in Oeconomiâ, hic expers omnis dominii paret. Sunt hîc conſideranda (1.) *Diſtinctio ſervorum* (2.) *Officia dominorum & ſervorum.*

EXPLICATIO.

Conjunctio *Servilis* & *Herilis* in Republ. omnino eſt naturalis; quia patresfam. non ſemper omnia ſua ipſi conficere negotia poſſunt : Vnde eorum vicem ſupplent ſervi, & rem familiarem augent.

THES. II.

Diſtinguitur ſervitus in *naturalem* & *legalem*.

THES. III.

Naturali ſervitute ii ſunt ſervi, qui minus ingenii & plus roboris habent : Vnde ad parendum ſunt aptiores, quàm ad imperandum.

EXPLICATIO.

Hæc *ſervitutis naturalis* deſcriptio eſt *Ariſtotelis*, cui repugnare videntur I Cti, qui negant aliquem naturâ ſervum eſſe. *Diſſidentes ita nonnulli conciliant.* Homo conſideratur *ante lapſum* vel *poſt lapſum* : *Ante lapſum*, naturâ nullus fuit ſervus : quia nec ingenium, nec ſufficiens cuiquam robur defuturum erat: *Poſt lapſum* alii ſunt naturâ ſervi, alii liberi. Sed nec *Ariſtoteles* nec I Cti-

hanc

hanc videntur attendiſſe *diſtinctionem*, ſed naturam, qualis à corruptione quoque eſt, intellexiſſe. Qui naturalis *Ariſtoteli* ſervus dicitur, civiliter quoque herus eſſe poteſt, & ſæpe numero eſt. Etenim *ingenium ſervile* in multis obſervare eſt populorum rectoribus: Servitutem alio ſenſu accipiunt ICti.

THES. IV.

Legali ſervituti ii ſunt ſervi, qui certis ex cauſis dominorum poteſtati ſunt ſubjecti, & ad nutum eorum vitam ſuam componere coguntur. Suntque *liberi* vel *non liberi*.

THES. V.

Liberi ſunt, quorum labores certa mercede & compenſatione dominis ſunt addicti, corpora non item: Vnde pro arbitrio mutare dominos, & ipſi tandem proprias habere familias & dominorum uti fruique jure poſſunt.

EXPLICATIO.

Hujuſmodi ſervos hodiè univerſa ferè *Germania* habet, cæpitque habere ab anno Chriſti 1200, teſte *Bodino*, lib. 1. de Republ. cap. 6. Vnde noſtris ſervis jura iniquiora non ſunt, quàm dominis.

THES. VI.

Non liberi ſunt, quos vulgò *mancipia* appellamus; Germanicè, Leibeygene/ in quos domini jus vitæ & necis habent: Iique *naſcuntur* aut *fiunt*.

THES. VII.

Servi *naſcuntur* ex ſervâ; quia partus matrem ſequitur, quo ad ſtatus conditionem & dominium: Et propriè appellantur *Verna*.

THES.

Thes. VIII.

Fiunt (1.) captivitate (2.) venundatione (3.) damnatione in metallum.

Explicatio.

I. Servitutem olim inducebat *captivitas* in bello cum hoſtibus juſto, qui *ſervi* dicebantur; quia partâ victoriâ capti non trucidabantur, ſed ſervabantur: Et credebantur jure in perpetuam ſervitutem poſſe redigi: quia occidi jure poterant. Hodiè tamen captivi Chriſtiani vel gratis dimittuntur, vel certo lytro vel permutatione aliorum captivorum. Mancipiis hujuſmodi olim repleta fuit *Germania Hlodovæum*, *Francorum* regem, qui primus ſuum Chriſto nomen dedit. Hic cum *Allemannos* ingenti prælio ad *Rhenum*, propè *Coloniam Agrippinenſem*, viciſſet, gentiſque gloriam deleviſſet, ſervitutis jugum ferre Germaniam coëgit, cui ſuperioribus ſeculis, teſte *Cæſare* & *Tacito*, non adſueverat. Interim cum ſeruitute hac introducta ſimul in *Germaniam* religio Chriſtiana, *Francorum* auſpiciis.

II. *Venundatio* heîc intelligitur ſui ipſius venditio, quâ quis dolo malo ad pretium participandum ſe venundari patitur.

III. *Damnati ad metalla* olim dicebantur, qui duriſſimos in fodinis metallicis propter admiſſa flagitia & enormes culpas cogebantur labores exantlare. Vnde *ſervi pœnæ* appellabantur.

Thes. IX.

Hactenus ſervorum diſtinctio: Officia dominorum erga ſervos in ſpecie ſunt. (1.) *Humaniter ſervos tractare.* (2.) *Ad inhoneſta ſervicia eos non adigere.* (3.) *De ſufficiente victu iis proſpicere.* (4.) *Non pati ſe ab uxoribus in ſervos inſtigari.*

Expli-

EXPLICATIO.

Vulgò officia dominorum in ſervos dicuntur eſſe: Præſtare ſervis opus, cibum, animadverſionem. Nam cibus ſine opere facit ſervum *porcum*; Opus ſine cibo, *Aſinum*: Caſtigatio ſine utroque: *Canem.*

THES. X.

Officia *ſervorum* ſunt (1.) *Amare dominos.* (2.) *In opere faciendo fidelitatem & ſedulitatem adhibere, etiam abſentibus* dominis. (3). *Ne in extrema quidem fortuna dominos deſerere* (4.) *A dominorum bonis furtivos oculos manuſque abſtinere, & dominorum arcana non prodere.*

EXPLICATIO.

I. *Apelles* ſervorum officia delineavit, quando in pictura iis tribuit, *Aures aſininas*; *Nares porcinas*, *Manus omni inſtrumentorum genere refertas, Humeros patulos, Ventrem macilentum, pedes cervinos, labia duabus ſeris clauſa.*

II. Monent *Politici* operam eſſe dandam, ne nimis multi in Republica vel Oeconomia ſint ſervi; Idque duabus de cauſis

(1.) Quia ſecundum illud Horatii:

Segnius expediunt commiſſa negotia plures.

(2.) Quia ſervorum, præſertim mancipiorum, nimia multitudo Dominis eſt periculoſa. Siquidem libertatis acquirendæ cauſa facilè conſpirant in dominos. Vnde *Tyrios* legimus à ſervis ejectos: Et *Scythas* ex Media redeuntes patriæ aditu prohibitos per ſervos.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPUT IV.
DE FAMILIIS.

Thesis I.

H*Actenus coniunctio pauciorum, qua incrementa ſumit Reſpublica*: Sequitur coniunctio plurium, qui deuinciuntur inter ſe jure *naturali* vel *civili*.

Thes. II.

Naturali iure inter ſe deuinciuntur *familiæ*. Eſt autem *familia*, ut hoc loco conſideratur, certum corpus hominum agnationis neceſſitudine inter ſe devinctorum.

Explicatio.

Familiarum in Republ. neceſſitas magna eſt: quia ſunt Rerumpublicarum quaſi compendia & rudimenta. Vnde maximoperè Reſpubl. *Platonis* improbatur, quæ communione uxorum introductâ familias non tantùm miſcet, ſed & planè tollit. Eadem & *Scytharum* fuit conſuetudo, inter quos ex promiſcuo concubitu geniti liberi iis adjudicabantur parentibus, quibus formâ quam ſimillimi eſſent.

Thes. III.

In familiis conſideranda veniunt. (1.) *Conſtitutio*. (2.) *Conſervatio*. (3.) *Diſtinctio*. (4.) *Communio*. (5.) *Everſio*.

Thes. IV.

Conſtituuntur familiæ *naturâ* vel *lege*. *Naturâ*, per cognationem, quæ eſt ex ſanguine juſtisque nuptiis. *Lege* per adoptionem.

Explicatio.

Genus & familia ſæpè confunduntur: ab aliis verò diſtinguntur. *Genus* dicitur tota hominum

ab

ab uno eodemque parente procreatorum profl[illegible] ens ſeries: ſeu collectio omnium inter ſe vincu[illegible] ſanguinis coniunctorum hominum.

Hoc ſenſu acceptum *genus* in diverſas abit *fa[illegible] milias*: *Familia* in diverſas diffunduntur *domos* quando fratres ex iiſdem nati parentibus ſeorſi[illegible] domos ſuas habent & familias novas propagant Igitur complectitur in ſe familia, tanquam *par[illegible] tes principales*, parentes & liberos; *minus princi[illegible] pales*, ſervos, qui de eſſentia *familia* non ſunt ſed quaſi forinſecus ei accedunt & accidunt Vnde in definitione familiæ nulla fit ſervorum mentio.

THES. V.

Conſervantur familiæ (1.) per *matrimonia fœcunda*, (2.) per *pacta familiaria*, quibus inducere conſuetudinem familia, ſtatutumque facere poteſt, vel ad deciſionem cauſarum, vel ad filias ſucceſſione legitimâ excludendas.

EXPLICATIO.

I. Familiarum conſervandarum præcipuum fulcrum & fundamentum eſt *matrimonium*, unde primum originem quoque ducit familia, cujus cognatio eſt ex ſanguine juſtiſque nuptiis. Igitur Magiſtratus eſt curare ut per matrimonia præclaræ familiæ in Republ. conſerventur. Vnde Oratoris *Hortenſii* nepotem *Auguſtus* liberalitate inſigni permovit, ut uxorem duceret, liberoſque ſuſciperet, ne clariſſima familia extingueretur. Siquidem è præclaris familiis cives naſci ſolent præclari, Reipubl. maximoperè neceſſarii.

II. Per *pacta familiarum* principalium & nobilium à ſucceſſione legitimâ ideò excluduntur filiæ, quia per eas familiæ, ex quibus ſunt,

non

non conſervantur. Tranſeunt enim per nuptias ex eâ familiâ, in qua natæ ſunt, in aliam, hoc eſt, mariti familiam, ſequiturque mulier mariti ſui conditionem.

THESIS VI.

Diſtinguuntur familiæ (1.) in *communes & proprias* (2.) in *plebeias* & *nobiles*.

EXPLICATIO.

Communis familia eſt agnatorum plurium inter ſe communem quidem agnationis ſtipitem & originem habentium: ſed in qua ſunt capita plura, quæ viciſſim familias proprias habent ex eâ-[illegible] io egreſſas.

Propria eſt, cujus caput & princeps unus eſt, qui cæteros, ſi qui ſunt ejuſdem familiæ, in poteſtate ſua habet, & *Paterfamilias* dicitur.

Familia *plebeia* eſt, quæ inferiorem in Republ. gradum obtinet. *Nobilis* eſt vel *Imperatorum*, vel *Regum*, vel *Ducum*, vel *Comitum*, vel *Baronum*, vel *Nobilium* & *Patriciorum*,

THES. VII.

Communionem habent familiæ (1.) Conſiliorum. (2.) Sacrorum. (3.) Nominis gentilitii. (4.) Inſignium. (5.) Honoris.

EXPLICATIO.

Præcipua communio *eſt nominis gentilitii, inſignium* & *honoris*. Vnde permittere non debet familia, ut commune totius familiæ nomen immutetur. Neque inſignibus communibus, quæ virtute majorum ſanctè ſunt parta, quicquam addendum vel demendum: Aut eorum uſus aliis ad familiam non pertinentibus permittendus.

Porrò injuria illata uni familiæ ab omnibus eſt vindicanda. Inprimis autem cavendum, ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

in familias irrepant, qui ad eas non pertinent, quique labem cognationi poſſint aſpergere: quod ſæpe fit. Vnde cautiores facti *Veneti*, eum, qui ſe patricia gente prognatum aſſerit, quingentos aureos cogunt deponere, donec certis teſtimoniis probet, ſe patricium eſſe.

THES. VIII.

Evertuntur familiæ deletione omnis maſculæ ſtirpis, quæ fit fatali quâdam annorum periodo, quâ circumſcribi ſolent familiæ: Eâ decursâ exſpirant vel in liberis, vel in abnepotibus & trinepotibus, ſive externâ vi, ut in bellis; in ſuppliciis de tota familia ob delictum unius vel plurium ſumtis; in ruinis ædificiorum; in terræ motibus, aut naufragiis: ſive morbis communibus aut hæreditariis.

EXPLICATIO.

Perſtringunt ſcriptores *Perſarum* crudelitatem, quâ ſæpè ob noxam unius omnis deleta propinquitas.

CAPVT V.

DE COLLEGIIS.

THESIS I.

H*Actenus conjunctio plurium naturali jure devinctorum:* Sequitur plurium civili jure devinctorum conjunctio, quæ oritur ex *ſodalitate* & *vicinitate*.

THES. II.

Ex *ſodalitate* oritur *collegium*, quod eſt legitima trium pluriumvè perſonarum ejuſdem conditionis & poteſtatis conſociatio.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Collegium à colligendo dictum, quia plures in eo colliguntur in ſocietatem unam. Alias appellatur cætus, conventus, ſodalitas, tribus: Germanis Geſellſchafft/ Zunfft/ Innung.

Plurium collegiorum conjunctio, qualis in civitatibus eſſe ſolet, corpus nominatur.

THES. III.

Collegiorum conſideranda (1.) *conſtitutio* (2.) *materia ſubjecta* (3.) *jus* (4.) *diſſolutio.*

THES. V.

Conſtitui Collegia non niſi auctoritate magiſtratus poſſunt l. 3. ff. de Colleg.

EXPLICATIO.

Vt nullum permittere collegium inhumanius eſt, quam ut à Principe admitti debeat: Ita poteſtatem cuivis privato conſtituendi collegium permittere periculoſum Reipubl. eſt. Siquidem per coitiones privatorum arbitrarias & crebras excitari facilè ſeditiones poſſunt, & contra Rembub. conſilia agitari. Quo nomine, ne religionis quidem cauſa, licet habere collegia, magiſtratu inconſulto.

Interim utilia & neceſſaria ſunt collegia: Vnde *Bodinus* ait, eum qui dubitat, *utrum collegiis & ſodalitiis vacare poſſit reſpubl.* videri dubitare, *utrum ſine charitate & amicitiâ, ſine qua nec mundus ipſe momento ſubſiſtit, reſpublica ſtare poſſit?*

Monent heîc *Politici*, prudenter facturum Principem, ſi non permiſerit ullum collegium à ſubditis inſtitui, cui ipſe non præſit auctoritate ſua per delegatam aliquam perſonam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. V.

Materia ſubjecta Collegiorum ſunt perſonę ad minimum tres. Duorum enim numerus ad hanc rem ſolennis non eſt.

EXPLICATIO.

In Collegiis qui eſt ſupremus, olim dicebatur *Primicereus*, reliqui ordine *Secundicerei*. Dictus autem *Primicereus*, quod in tabulis cereis, quibus inſcribebantur Collegarum nomina, primus eſſet ſcriptus.

THES. VI.

Ius collegiorum conſiſtit in communicatione (1.) *Rerum* (2.) *Operarum* (3.) *Iuris* (4.) *Conſiliorum*.

EXPLICATIO.

I. *Rerum* communicatio ex eo patet : quia collegia communem habent arcam , actorem , ſyndicum.

II. Ratione *operarum* poſſunt inire pactionem, quam volunt.

III. *Iuris* communicatio inter collegas certis pactis & legibus exprimi, confirmari & in certas tabulas ſeu libros inferri debet. Quos vocant Zunfftbücher. Inter jura illa & hoc eſt, *quod Collegiis debetur, non ſingulis debitum intelligitur*. Nec *quod Collegium debet , ſinguli debere dicuntur*. Item illud : *qui ſunt in Collegio alicujus artis , & artem non exercent ; non gaudent privilegiis Collegij*, ſecundum *Bartholum*.

IV. Communicatio *conſiliorum* eſt ex benevolentia: Vnde Collegæ hoſtilia conſilia agitare neutiquam debent: Siquidem *Dione* teſte animadverſum eſt, *Romæ* neminem, qui Collegam ſuum Magiſtratu dejeciſſet , ipſum annum ſupervixiſſe.

THES.

THES. VII.

Diſſolutio Collegiorum à Magiſtratu quoque eſt ob cauſas graves: ſine quibus diſſolvi non debent: Quia Rempublicam vehementer debilitat Collegiorum diſſolutio.

EXPLICATIO.

Hinc *Romani* victis *Achæis* concilia & collegia à Mumio conſule olim deleta reſtituerunt, poſtquam ipſorum Imperio acquieverunt.

CAPVT VI.

DE TERRITORIO ET CIVITATE.

THESIS. I.

FVit *conjunctio orta ex ſodalitate*: ſequitur ea, quæ oritur ex *vicinitate*, conſiderata reſpectu (1.) *territorii* (2.) *civitatis* (3.) *urbis* & ædificiorum in ea.

THES. II.

Territorium eſt ſpatium terræ armatum Iuriſdictione.

EXPLICATIO.

Territorium à terra dicitur, tanquam ſubiecto: Vnde & ſpatium terræ definitur. Aliis dici putatur à terrendo vel territando: quia magiſtratus intra ejus limites jus terrendi habet.

THES. III.

Territorii conſideranda (1.) *requiſita* (2.) *jura* (3.) *diſtinctio*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Requiſita territorii tria potiſſimum ſunt (1) Vt ſit continuum, alterius Principis vel magiſtratus dominio non interruptum (2) Vt ſit excultum frequentibus ædificiis pagorum, vicorum, caſtellorum & urbium (3) Vt habeat limites naturâ loci munitiores.

EXPLICATIO.

I. Ob territorii continuitatem *Galliæ* regnum felicius eſt Regno *Hiſpaniæ*. Siquidem *Gallia* nullo externo dominio eſt interrupta: *Hiſpania* verò, etſi amplior eſt *Galliâ*, tamen variis eſt interrupta dominiis: Vnde ad ſui conſervationem & defenſionem minus eſt idonea.

II. Propter ædificiorum frequentiam & incolarum numerum, *Germania* noſtra omnibus aliis antecellit *Europæ* partibus.

III. Ob limites naturâ loci munitiores aliis territoriis antecellunt Inſulæ, undique mari clauſæ; quo nomine feliciſſima eſt *Anglia*.

THES. V.

Iura territorii inter alia hæc ſunt (1) quod territorio alluvione vel fortunâ accedit, vaſalli commodo cedit. (2) Principes Imperium non recognoſcentes poſſunt in territoriis ſuis, ſi ſint ampla & ſeparata, contrà vicinum ſe præmunire extructione caſtellorum. (3) Territoria à malis hominibus ſunt purganda, ad tuendam popularium quietem. (4) Si in confinio duorum territoriorum aliquis occiſus reperiatur, cognitio ad utrumque pertinet. (5) Quicquid eſt in regno vel comitatu, præſumitur eſſe de Iurisdictione Regis vel Comitis illius niſi contrarium probetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Purgatio territoriorum à malis hominibus ad onera dominorum pertinet: Et jure requiritur, ubi vectigalia à tranſeuntibus exiguntur. Vnde ſi mercator, qui vectigal ſolvit (der das Geleit gibt) in territorio rapinam paſſus ſit, Dominus territorii tenetur vel ad refuſionem damni, vel ad exhibendum latronem. *Mynſing.* Cent. 5. Obſerv. 70.

Thes. VI.

Diſtinguitur territorium in anguſtius & latius: Illud eſt *Comitatus, Dynaſtia, Baronatus:* Hoc *Provincia, Ducatus, Regnum.*

Explicatio.

De hâc *Territorii* materia reſtant nonnulla aliquanto plenius explicanda, quæ paucis attingemus *Theodorum Reinkingk.* ſecuti: Eſto igitur:

(1.) *De juriſdictione, quæ fundatur in territorio:* Non enim omnis juriſdictio ſundatur in territorio. Eſt enim Iuriſdictio, quæ competit *jure Magiſtratus* qualis olim erat apud Romanos Prætorum, Proconſulum & præſidum provincialium: quæ fuit ſine territorio, reſpectu Prætorum, Proconſulum &c. etſi exercuerunt eam in territorio Populi Romani, tanquam miniſtri ejus.

Alia competit *jure dominii realis,* quam quis non alieno ſed ſuo exercet nomine: quæ non conſiſtit niſi cum territorio: quæ propriè competit *jure territorii* & *dignitatis regalis.*

(2.) *De acquiſitione & conceſſione Iuris territorialis, ejusque ſubjecto, ſeu, cui id competat,*

Ius ſeu *Iuriſdictio territorialis* non conceditur

tur niſi à ſolo *Imperatore*, tanquam fonte omnis dignitatis & Iurisdictionis : & præcipue confertur per modum *feudalis beneficii & inveſtituræ* ſub nomine & qualitate, der Landes oder hohen Ober- vnd Herligkeit : Et ſi acquiritur quoq; *præſcriptione* & *conſuetudine*, ut & ipſum territorium. Competit autem hæc *territorialis Iurisdictio*, non niſi iis, qui immediati ſunt Imperii ſubditi.

(3.) *De definitione ſuperioritatis territorialis*, quæ appellatur, die Landes Fürſtliche oder Landes hohe Obrigkeit : quæ hujusmodi eſt, jus & exercitium ſummi, poſt Imperatorem, Imperii, eique annexorum regalium, quod in omnes territorii iſtius ſeptis incluſos homines, tanquam ſubditos, regali juris præſumtione competit, donec probetur exemtio privilegio vel immemoriali tempore quæſita, ex notoriâ rei evidentiâ vel teſtibus aut documentis. Hujus *ſuperioritatis territorialis* partes videantur lib. 2. cap. 34. theſ. 3.

(4.) *De actibus relativis ſuperioritatis territorialis & ſubjectionis*, qui ſunt:

1. *Homagium*, ſeu *præſtatio juramenti ſubjectionis:* Erb vnd Landes Huldigung. Præſtatur plerumque quando promiſit Dominus territorii ſe jura, libertates & privilegia ſubditorum ſarta tectaque conſervaturum.

2. *Protectio*, quam debet Dominus territorii ſubditorum ſuorum bonis, rebus & perſonis: hanc ſi præſtare non poſſit, alterius protectionem implorare ſubditi poſſunt, ſub certis tamen cautelis & conditionibus : de quibus videatur *Theodorus Reinkingk*, lib. 1. claſs. 5. cap. 4. n. 50. 51. & ſeqq.

3. *Iuſtitiæ adminiſtratio*, ad quam pertinet ſubditorum convocatio ad conventus pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

vinciales, eorum in judiciis comparitio, judicum, Scabinorum & prætorum conſtitutio, conſtitutionum provincialium ſanctio & promulgatio, mulctarum & pænarum irrogatio, appellationum receptio &c.

4. *Onerum exactio & præſtatio*, cum pro adminiſtranda juſtitia, tum pro ſuſtentanda dignitate magiſtratus: hujusmodi onera ſunt tributa, collectæ, labores corporis & animi &c.

5. *Cura religionis*: quo pertinent miniſtrorum verbi vocatio, confirmatio, Eccleſiarum viſitatio, Conſiſtoriorum conſtitutio, &c.

THES. VII.

Hactenus territorium: ſequitur *Civitas*, quæ eſt hominum, in varios ordines diſtinctorum, & ſecundùm eaſdem leges viventium certa ratione moderatus cœtus.

EXPLICATIO.

Civitas differt à *Republ*, & ab *urbe*. A *Republ*, quia *civitas* eſt quaſi materia, in quam Reſpubl. tanquam forma inducitur. Vnde *Iſocrates* Rempubl. vocat civitatis animam.

Ab *urbe* differt; quia *urbis* termini muri ſunt: Civitas autem non in parietibus aut muris, ſed in hominum multitudine poſita eſt. Vnde cives alicujus Reipubl. eſſe poſſunt, etiam qui in urbe non habitant. Sic multi cives *Romani* olim morabantur ruri. Quandoque tamen *Vrbs* & *Civitas* ſynonyma ſunt.

THES. VIII.

Civitatis conſideranda 1. (*Natura* (2.) *Iura*.

THES. IX.

Natura civitatis in eo conſiſtit, quod ſit veluti corpus myſticum ad corporis vivi verique modum;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

dum: Cui opibus armiſque florenti plerumque vicini principes vehementer invident. Ab *Ariſtotele* definitur perfecta ſocietas ſecundùm naturam ex pluribus pagis conſtans, omnibus rebus ad vitam neceſſariis inſtructa benè vivendi cauſa inſtituta. Pars civitatis *Civis* definitur, qui cum ſua familia certæ civitati eſt adſcriptus, cujus fruitur privilegiis.

EXPLICATIO.

I. *Civis* propriè dictus eſt *originarius* vel *aſſumtus*: *Ille* nativitatis jure civis eſt ex patre vel avo cive natus: *Hic* alibi natus conſenſu & ſuffragio magiſtratus civitatis jus eſt adeptus.

Sunt quoq; cives *extranei* & *honorarii*: *Illi* jus civitatis habent, etſi in ea non habitant. Sic *Genevenſes* ſunt cives *Bernates* & viciſſim *Bernates* ſunt cives *Genevenſes*. Sic & *Toruninenſes* & *Dantiſcani* in Boruſſia habent mutua civitatis jura.

Honorarii cives appellantur, quibus honoris cauſa jus civitatis tributum eſt, ita ut nullius teneatur imperio, munere vel onere. Ita honorarius civis *Helvetiorum* & *Venetorum* eſt *Rex Galliæ*. Civis German. ein Bürger/ ſic dictus von der Burg: qui eſt locus muro vel alio munimento firmatus.

Sunt autem duo heîc obſervanda;

(1.) *Decere quemvis pium hominem virumq; bonum certæ alicujus Reipubl. aut civitatis eſſe civem & membrum.* Hoc enim requirit *natura hominis*, qui eſt animal politicum & ſociale, cui inviſa eſſe debet ſolitaria & vaga vita, qualis brutorum eſſe ſolet: requirit *officium hominis*, qui non ſibi ſed Reipublicæ eſt natus, & proximo charitatis debet officia, quæ in vita ſolitaria & vaga præſtari non poſſunt.

2.) *In politiâ Chriſtianâ neminem eſſe civem bonum, quin idem ſit & vir bonus:* de quo conſule *Danæum* Pol. lib. 2. c. 5.

II. Similitudinem inter civitatem benè conſtitutam formatamque, & vivum & præcipuè humanum corpus per partes eleganter explicat *Plutarchus*.

Caput eſt Magiſtratus. *Oculi* ſunt viri in Repub. boni, quos ſequimur. *Aures* ſunt cives ſubditi, qui imperata faciunt. *Lingua* ſunt viri eloquio & eruditione præſtantes. *Capilli de capite penduli* ſunt injuriâ affecti, qui magiſtratus opem implorant. *Manus & brachia* ſunt equites & nobiles, qui hoſtem reprimunt. *Pedes* qui omnia ſuſtinent & victum ſubminiſtrant, ſunt agricolæ. *Oſſa dura*, quæ corpus fulciunt, ſunt viri ſapientes, quibus nititur Reſpublica. *Corda* ſunt conſiliarii. *Collum* quo capiti corpus adhæret, eſt mutuus amor magiſtratus & ſubditorum ex quibus conſtat civitas.

III. Ad invidiam vicinorum Principum declinandam prudenter faciunt Civitates, ſi maturè proſpiciunt, quâ ratione vicinum Principem ſibi benevolum reddere & officiis demereri poſſint.

IV. *Civitate* prior eſt *pagus*, qui definitur prima ſocietas naturalis ex pluribus domibus non quotidiani ſolùm uſus gratia conſtituta. Apud *hiſtoricos Romanos* latiore ſignificatu pagus accipitur pro multorum vicorũ collectione aliquot milliaria comprehendente. Hinc *Iulii Cæſaris* temporibus *Helvetia* in pagos eſt diſtributa, in pagum *Tigurinum, Bernenſem* &c. Dictus eſt *pagus* è Græco πηγὴ ſeu παγὴ, *doricè* quod fontem ſignificat: Vndè *pagani* olim dicti, qui ex diverſis agrorum partibus & prędiis ad aquam ex eodem & communi fonte hauriendam convenerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. X.

Iura hoc loco intelliguntur, quibus vel civita ſingulariter pro ſe, vel alii contra civitatem ut poſſunt.

EXPLICATIO.

I. Hujuſmodi jura inter alia ſunt ſequentia:

(1.) *Civitas res ſuas, urgente neceſſitate, alienar. poteſt.*

(2.) *Civitas adverſus contractum communi conſenſu celebratum poteſt reſtitui; ſi probetur læſio.* Vtitur enim jure & beneficio *minorum.*

(3.) *Civitas omnibus aliis Chirographariis creditoribus præfertur, & bona debitoris à quocunque poteſt vindicare, niſi obligata ſint alteri.*

(4.) *In conficiendis negotiis civitatis conſenſus majoris partis habetur pro conſenſu omnium.*

(5.) *Civitates ex contractibus ſuis non minus obligantur, quàm alios obligatos habere poſſunt. Ex mutuo autem non aliter obligantur, quàm ſi probatum ſit pecuniam eſſe in uſum civitatis verſam.*

(6.) *Civitas tenetur ex facto ſui magiſtratus*: quia cives intelliguntur ſcire, quod ſciunt hi, quibus ſumma Reipubl. commiſſa eſt. l. 14. ff. *ad municipia.*

(7.) *Civitas obligatur ex delicto ſi vel communicato conſilio ſit admiſſum, vel major civium pars deliquerit:* Et tùm ob delicti gravitatem ſeriò animadvertendum in civitatem. Pro diverſitate circumſtantiarum vel tota civitas luit: vel præcipui delictorum autores: vel ſortitione facta non nulli ſuppliciis deſtinantur: Vt metus ad omnes, pœna ad paucos perveniat.

II. Primaria civitas, quam veluti filiæ matrem

[..]em reſpiciunt minores, appellatur *Metropolis*, [G]ermanicè Hauptſtatt. Hanc munitam eſſe oportet, ut tempore belli minores perfugium ad eam [h]abere poſſint.

Politici in *metropoli* requirunt ſex:

(1.) Vt in uno regno vel Republicâ nobili ſit *una*, κατ' ἐξοχὴν ita dicta: quia repræſentat *unitatem Majeſtatis*: Exempla ſunt in Regno *Iudaico*, *Romano*, *Gallico*, *Anglico* &c. & hodiè in plerisque aliis Rebuspubl. ut & priſcis olim.

(2.) Vt ſit *populoſa*, cum ad Majeſtatem conciliandum, tum ad Magiſtratum defendendum.

(3.) Vt ſit *ſacrarium Iuris & religionis*; quam in rem omnium facultatum doctiſſimis viris inſtructa eſſe debet: ad quos veluti oracula confugi in rebus dubiis poſſit.

(4.) Vt ſit *ſplendidis exornata ædificiis*, pro Majeſtate Principis vel Magiſtratus.

(5.) Vt ſit *probe munita* contra vim hoſtilem & [i]nternos quoque motus.

(6.) Vt ſit *Cuſtos archivi*, hoc eſt, documentorum publicorum, juris publici, legum fundamentalium, Actorum & hiſtoriarum Reipublicæ: quæ ſemper ad manum eſſe Magiſtratui debent.

CAPUT. VII.
DE VRBE, ET ÆDIFICIIS IN EA.

THESIS. I.

HVcuſque *civitas*: ſequitur *urbs* ejuſque ædificia: *Vrbs* eſt ordinata plurium ædificiorum pro recipienda civitate ſeries muro cincta.

Ex.

EXPLICATIO.

Vrbs dicta veteribus ab Vrbo, quod eſt aratri curvatura: ſiquidem olim aratro futuræ urbis magnitudinem ſpatiumque muro cingendum deſtinabant. Aliis tamen urbs ab *orbe* dicitur, quod in orbem circumduceretur aratrum cum prima mænium fieret deſignatio, teſte *Varrone.* Vrbs prima à *Caino* Adami filio condita multis ante diluvium ſeculis, *Geneſ.* 4. v. 17. *Anſam* Caino præbuit metus & trepidatio ex fratricidio, cujus ultionem cum metueret, præſidio urbis ſe munivit. Appellata urbs hæc poſtmodum *Henochia,* quam ad montem *Caucaſum* ſitam docti augurantur: quia populi *Caucaſi* accolæ, autore *Stephano*, *Heniochii* olim ſunt appellati & regio *Heniochia.*

THES. II.

Vrbs conſideratur reſpectu *totius* vel *partium.*

THES. III.

Vrbi toti condendæ deligendus eſt locus (1.) Salubris (2.) Planus (3.) Civibus egreſſu facilis, hoſtibusque acceſſu difficilis (4.) Aquis & quidem ſalubribus abundans (5.) Non nimis amplus (6.) Non nimis mari magnoque flumini vicinus: Nec nimis ab eo remotus (7.) Fertilis.

EXPLICATIO.

Loci, in quo condenda urbs, requiſita evidentibus nituntur rationibus. Eſt igitur deligendus locus.

(1.) *Salubris:* ad ſanitatem civium conſervandam, & multitudinem procurandam. Eſt autem ſalubris locus potius ad *Orientem* & *Septentrionem,* quam ad *Meridiem* & *Occidentem;* quia

quia venti Orientales & Septentrionales ſunt ſicciores & puriores, quàm Meridionales & Occidentales. Non ergo deligendus paluſtris & uliginoſus locus, qui propter putridarum exhalationum copiam eſt inſalubris.

(2.) *Planus:* quia ad frequentanda commercia eſt commodior, quàm aſper & montoſus.

(3.) *Civibus egreſſu facilis & hoſtibus acceſſu difficilis*, propter ſecuritatem civium.

(4.) *Aquis ſalubribus abundans:* ne ab hoſtibus facilè ad aquarum inopiam redigi poſſit.

(5.) *Non nimis amplus:* ut cives familiariùs ſe noſſe, & contra hoſtes commodius ſe tueri poſſint: Magiſtratus quoque cura rectius vigilare pro omnibus poſſit. Itaque non probatur prudentibus amplitudo *Babilonis*, quæ in ambitu olim complexa fuit ſtadia trecenta ſexaginta octo h. e. milliaria germanica circiter decem.

(6.) *Non nimis mari magnoque flumini vicinus:* ne facilè repleatur peregrinorum hominum colluvie, & damnum ab aquarum eluvione capiat. *Neque nimis remotus:* ut terra maríque facilius comparare ſibi neceſſaria cives poſſint.

(7.) *Fertilis*; ut annonæ copia ſit inſtructior civitas, & commodius ali cives poſſint.

THES. IV.

Partes urbis ſunt ædificia, eáque *publica* vel *privata*.

THES. V.

Publica extruuntur à Republica, in uſus publicos & communes, vel *propter religionem & liberalem inſtitutionem*; ut Templa, Scholæ, Bibliothecæ: vel *propter commercia*; ut forum; vel pro-

pter

pter *defenſionem:* ut, Muri, armamentaria, turres: vel propter *aquationem*; ut aquæ ductus, fontes, balnea: vel denique propter *recreationem*: ut Nymphea, Theatra, Exoticotamiæ.

EXPLICATIO.

I. *Templa* in editioribus & celebrioribus urbis locis ſunt condenda, ut in omnium oculos facilè incurrant, & adiri ab omnibus facilius poſſint. Cumque in pleriſque urbibus *Aſylorum* jura habeant, cavendum, ne per ea impunitatem conſequantur, qui certa animi deliberatione enormiter deliquerunt, ut adulteri, homicidæ, proditores, &c. *quia beneficium legis non meretur, qui contra eam deliquit.*

Scholæ non iis in urbis partibus ſunt ædificandæ, quæ perpetuo civium ſtrepitu inquietantur: ſed quæ non adeo à vulgo frequentantur. Amant enim *Muſæ* quietem & ſilentium. Hinc videmus pleraque monaſteria muris urbium vicina eſſe.

Bibliothecæ (quarum nomine non libri tantùm, ſed & loca, in quibus libri aſſervantur, intelliguntur) veræ eruditionis ſeminaria ſunt, & ad *Orientem* collocandæ: quia ad *Occidentem* & *Meridiem* ab humoribus & tineis facilè corrumpuntur libri. Sunt autem ad augendas quotannis Bibliothecas communes, certi in Republ. reditus conſtituendi.

II. *Forum* eſt publicum & amplum ſpacium, ad commercia hominum exercenda pervium. Eſtque triplex: (1.) *Liberum* in celebriori civitatis loco, accommodatum deambulationibus & colloquiis honeſtorum civium & mercatorum. (2.) *Rerum venalium.* (3.) *Juſtitiæ & Magiſtratus*, in quo Curia, Archivum & Tribunal.

III. *Mu-*

III. *Muri* vel Aggeres ad ſecuritatem urbis pertinent, ut prohibeatur hoſtium irruptio. Apud hiſtoricos celebres ſunt muri *Babylonici*, quorum altitudo erat ducentorum pedum. Præſtant tamen muris aggeres, qui tormentis bellicis tàm facilè non quatiuntur, quam muri.

Adjuncta murorum tria ſunt:

(1.) *Sancti habentur*: Vnde hoſtili animo eos tranſcendere capitale eſt: Accipiunt hoc nonnulli de muris ſolius civitatis *Romæ*: quibus contradicentem vide Limnæ. de I. P. lib. 7. cap. 1. n. 17.

(2.) *Sine permiſſu Principis non exſtruendi nec reficiendi.*

(3.) *Non habitandi*, nec alia iis ædificia jungenda vel imponenda.

Armamentaria publica ſunt inſtituenda, ut belli tempore armari inde cives poſſint.

Turres ornandæ & muniendæ urbi ſerviunt. Hodie celeberrima eſt *Argentinenſis*, quæ ædificari cæpta Anno 1377. abſoluta annis viginti octo. Poſt hanc proxima eſt *Viennenſis*, quæ cæpta exſtrui Anno 1340. completa ſpatio annorum 60.

IV. *Aquæ ductus* neceſſarii ſunt urbibus, quæ aliundè aquam derivare neceſſe habent. In hos maximi olim à Romanis ſumtus facti: neque licuit cuivis de aquæ ductu publico ad prædium ſuum derivare aquam.

Fontium inprimis habenda ratio in urbe: quia uſus eorum creberrimus & maximè neceſſarius.

Balneis publicis carere urbs commodè non poteſt: Faciunt enim ad corporis ſanitatem & munditiem: Privata verò excitare, cujusvis privati non eſt. Olim quoque *Romani* ingentes impenſas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

penſas in balnea fecerunt. Debent autem balne pro diverſitate ſexus eſſe diſtincta, quæ mixta o lim ſuſtulit *Adrianus* Imperator.

V. *Nymphéa* appellantur ædificia publica nuptiis celebrandis idonea; ſiquidem privatorum ædium anguſtia plerunque huic rei minu eſt idonea. Has ædes templo contiguas eſſe debere, monet *Ariſtoteles*, ut ſobrietatis rationem habere admoneantur convivantes. 7. Polit. cap. 12.

Theatra ædificia ſunt ludis publicis celebrandis deſtinata; quæ ſumtuoſiſſima & maxima olim Roma habuit. Erant quæ ſexaginta millia civium ſimul caperent. Anno poſt natum Chriſtum 27. theatrum *Fidenenſe* oppreſſit 50000. hominum. Hodie in Germania potiſſimum nullus eorum eſt uſus.

Exoticotamiæ ſunt ædes plerunque Principum & Regum, in quibus res peregrinæ ex orbe hinc inde advectæ, precioſæ, artificioſæ & antiquæ aſſervantur. Germanicè, Kunſtkammern.

THES. VI.

Privata ſunt, quæ in uſus privatos extruunt cives, ad rerum propriarum defenſionem & conſervationem.

EXPLICATIO.

I. *De privatis ædificiis* ſequentia obſerventur monita Politica. *Ad communionem & confuſionem poſſeßionum vitandam; cives ſinguli proprias ſuas habere ædes debent:* idque ob ſequentes rationes:

(1.) Quia major adhibetur induſtria in rebus propriis, quam in communibus: cum naturale vitium ſit negligi, quod communiter poſſidetur.

(2.) Quia

2.) Quia amoris & amicitiæ natura hæc eſt, ut in plures diſperſa vim ſuam amittat.
3.) Quia major in bonis propriis & liberior eſt delectatio, quam ſi communis aliquid cum aliquo poſſideamus.
4.) Quia in communione bonorum *Platonica* præmia pro ratione laborum iniquè diſtribuuntur: æque de fructibus participant, qui nihil quam qui plurimum operæ impendunt.
5.) Pro poſſeſſionum proprietate contra communionem *Platonicam* efficaciſſimum eſt argumentum ex Dei lege petitum, quæ *furtum* prohibet. Quæ enim *furtum* prohibet lex, ea bonorum propriorum poſſeſſionem præcipit vel præſupponit: *furtum* enim non eſt niſi *contrectatio rei alienæ vel alterius propriæ*. Sic ad ſanciendam poſſeſſionum proprietatem Devs promiſſam terram populo ſuo diſtribuit, & certam ſingulis tribubus poſſeſſionem vel portionem aſſignavit.

Excipitur: *Atqui* ob meum, tuum, hoc eſt, *ob diſtinctas & proprias bonorum poſſeßiones moventur & aluntur contentiones, jurgia, bella.*

Reſpondeo: Malorum horum cauſa eſt non proprietas poſſeſſionum ſed hominum avaritia & iniquitas.

II. *Magiſtratus eſt providere, ne ſubditi nimis ſuperbè & ſumtuosè ædes ſtruant & inſtruant*; quia non dominus domo, ſed domus domino eſt honeſtanda. *Cicero*: Et maximè deſipiunt, qui omnia potius viſenda, quàm ſemet efficiunt. Quilibet igitur in extruendis ædibus ſe intra conditionis ſuæ limites contineat.

III. *Ædificia à civibus ſarta tecta ſunt conſervanda, & quæ vetuſtate collapſa inſtauranda.* Vnde olim, ſi quis per incuriam collabi domum
ſuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſuam paſſus eſſet. area lapſarum ædium fiſco a-dicebatur: *l. ultima. Cod. de jure Reipubl.*

IV. *Ædificia in loco urbis publico contra o-natum & commodum civitatis extructa diruen-ſunt: Et qui juxta ædes publicas ædificare vult, ſp-tium quatuordecim pedum relinquere tenetu-juxta mœnia, ſpacium decem pedum.*

V. *Magnum ædificiis noſtris em lumentum a-cedit, ſi vicinitas contigerit, non infuſcata malev-lentiâ, non adſueta mendaciis, non fuca, non fa-lax:* Vnde priſcum illud : *Magnum malum, ma-lus vicinus.*

VI. *Id cujusque cenſetur domicilium ; ubi ſe-dem fortunarum ſuarum fixit, ſive ſit propria, ſi-ve conducta, ſive gratuita domus : quæ cuilibet tu-tiſsimum præſtare debet refugium, ut violenter in-de extrahi non poſsit.*

CAPVT VIII.

DE FORMA ET FINE REIPVBLICÆ.

THESIS I.

HActenus *incrementa Reipublicæ :* Sequitur *forma*, quæ conſiſtit in modo regiminis triplici, *Monarchico, Ariſtocratico* & *Democratico*. Vnde Reſpubl. dicitur vel *Monarchia*, vel *Ariſtocratia*, vel *Democratia*.

EXPLICATIO.

Gradibus hactenus explicatis, ventum tandem eſt ad Rempublicam, de cujus forma & admi-niſtratione deinceps nobis agendum. Quæ ve-rò à nobis prolixius dicta ſunt hactenus de in-crementis Reipubl. & gradibus ad eam, pau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

complectitur *Cicero*, lib. 1. de officiis. *Cum hoc naturâ commune omnium animantium, habeant libidinem procreandi; prima ſocietas in eſt coniugio: proxima in liberis: deinde una do-us, communia omnia. Id autem eſt principium bis & quaſi ſeminarium Reipubl. ſequuntur fra-um conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrino-mque, qui cum unâ domo jam capi non poßint, alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequ-ntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plu-s propinqui, quæ propagatio & ſoboles origo eſt erumpublicarum.*

THES. II.

In *Monarchia* unus omnib. imperat. Qui Rex vel Princeps appellatur.

THES. III.

In *Ariſtocratia* plures, iique optimi & pru-dentiſſimi, qui optimates nominantur, & reli-quis in conſilium non adhibitis imperant.

THES. IV.

In *Democratia* ex omnibus populi ordinibus aliqui delecti imperant, plebe totâ in magni mo-menti negotiis ad conſilium & ſententiam di-cendam dictandamque adhibita. Vnde Populi ſtatus hic appellatur.

EXPLICATIO.

I. Omnes Reipublicæ formæ legitimæ ad haſce tres rediguntur, ita ut nulla ſit Reſpubl. benè conſtituta, quæ non adminiſtretur, vel *Mo-narchicè*, vel *Ariſtocraticè*, vel *Democraticè*, hoc eſt, vel à principe, vel ab Optimatibus, vel à po-pulo. Etſi in eadem Republ. miſceri quandoque hæ formæ ſolent. Vt poſtmodum videbimus.

Paucis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Paucis & eleganter expreſſit formas haſce *Ta-tus: cunctas*, inquit, *nationes & urbes Populus, a Primores, aut Singuli regunt.*

II. Tribus hiſce legitimis Reipubl. form opponuntur tres illegitimæ. *Monarchiæ Tyrannis*; quâ unus omnibus imperat non ex certa le & conventione: ſed abſolutè pro arbitrio, ſu que poteſtate plerunque impunè abutitur. *Re legitimi* & *Tyranni* hoc tradunt diſcrimen Po tici: quod *Rex* ſubditorum & publicum, *Tyrannus* ſuum & privatum ſpectet bonum. *Rex* lege pro normâ imperandi habet, vel certe rationen *Tyrannus* libidinem & impotentiam animi: Bre viter obſerventur indicia tyrannidis, quæ ſur (1) ſi juſtitiam & clementiam ſimulet. (2) ſi vi ros eximios è medio tollat. (3) ſi puſillanime reddat ſubditos. (4) ſi rerum agendarum pote ſtatem iis auferat. (5) ſi ſubditos, amicos, prin cipeſque inter ſe committat, ſibique invicen ſuſpectos reddat. (6) ſi ambitioſos, crudeles & avaros ad honores evehat. Vide lib. 2. cap. 10.

Ariſtocratiæ Oligarchia, h. e. paucorum dominatus; quando habenas Reipubl. pauci iique potentiores, nulla dignitatis & prudentiæ habita ratione, ad ſe rapiunt, & non tàm ex lege, quàm libidine ſua imperant. Subditorum benevolentiam optimates ſibi conciliant humanitate, liberalitate & ſtudio procurandæ annonæ.

Democratiæ Ochlocratia, quæ aliàs appellatur *Anarchia*: Cum promiſcuè plebs imperium affectat & uſurpat, nulla ratione vel ordinis, vel dignitatis, vel legis habita, ut cuique affectus dictat. De ſpeciebus his plura vide lib. 2. c. 28.

III. Quæritur heîc: *An detur miſtus Reipubl. ſtatus*; Exempli gratiâ, qui ſit partim *Monarchicus*, partim *Ariſtocraticus*: Item: partim *Ariſtocrati-*

ſtocrati-

ſtocraticus, partim *Democraticus*.

Reſpondeo : contra *Bodinum* 2. de Republ. c. 1. Quæſtionem affirmant pleriq́ue Politici : Ita tamen, ut facilè concedant, in miſtione fere ſemper formam aliquam ſimplicem præponderare, nempe vel *Monarchiam*, vel *Ariſtocratiam*, vel *Democratiam* : A quâ jure nomen tribuitur miſtæ : ubi obſervandum ita inſtituendam & temperandam eſſe miſtionem, ut univerſa *Majeſtatis jura*, ad ſummam poteſtatem pertinentia non ſingulis vel etiam duobus tantum ſtatibus communicentur ; hæc enim confuſio eſſet, quæ in ἀναρχίαν deſineret : ſed ut ſeparentur jura & diverſa diverſis ſtatibus tribuantur, ne uni omnia liceant, vel ſingulis omnia, ſed omnibus ſimul omnia; Miſtum hunc ſtatum maxime durabilem & ſalutarem eſſe prudentes judicant.

Receptam hanc ſententiam probat autor noſter inductione exemplorum : Inter quæ præcipua ſunt.

(1.) *Imperium modernum Romano-Germanicum* eſt partim *Ariſtocraticum* reſpectu Collegii Electoralis potiſſimùm, quod, ut Imperatorem eligit, ita autoritatem quoque una cum Imperatore de magni momenti rebus ſtatum Imperii concernentibus deliberandi & concludendi ſibi aliiſque ſtatibus reſervat, & Ephoratu fungitur : Partim *Monarchicum* : quia pleraque ſumma *Majeſtatis* jura & inſignia penes ſolum ſunt Imperatorem : Vt *extrema appellatio*, *inveſtitura principalis*, *Regale Solium*, *Corona*, *Sceptrum*. Videantur quæ hac de re lib. 2. cap. 32. theſ. 11. expl. 5. dicuntur.

(2.) Olim ſub *conſulibus* Imperii Romani miſta quoque forma fuit ex *Ariſtocratia & Democratia* : erantque majeſtatis jura penes populum. Adminiſtratio penes optimos. Vnde na-

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tum illud: SENATVS POPVLVSQV ROMANVS.

(3.) Regni *Poloniæ* miſtus quoque ſtatus eſt *Monarchiâ* & *Ariſtocratiâ*. Vnde *Chriſtia. Ladislai* I. Regis uxor dixit, *Ius & Autorit tem Monarchiæ apud Polonos eſſe umbratiler*. Et *provocatio*, quæ ſummæ majeſtatis nota e non tàm ad Regem, quàm ad conventı Regni terminatur. Ita *Sigiſmundus* Auguſtı hoc ſibi imponi paſſus eſt Anno 1548. *nunquam commiſſurum, ut non communica to cum Senatoribus conſilio ulla de re quicquai ſtatuat*.

In Regnis *Angliæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Daniæ Scotiæ*, etſi præponderat *Monarchia*: tamen *Ariſtocratiæ* quoque aliqua in iis eſt facies, ol magnam *Parlamentorum* & Ordinum autoritatem, quam negligere Regibus per *capitulatione.* nefas eſt.

Imò è tribus quoque formis compoſitæ dantur Reſpublicæ, qualem eſſe *Venetam* ſcribit *Caſpar Contarenus* de Republ. Venet. lib. 3. ſub initium. Hanc miſtionem in *Poloniæ* regno nonnulli quoque contendunt eſſe. De hiſce miſturis prolixè agentem vide Keckerm. lib. 2. polit. cap. 4. 5. 6.

Adamo Contzen ſi fides habenda, tres Republic. ſpecies ita ferè hoc tempore ſunt temperatæ, ut nuſpiam vel *Monarchia* pura, vel *Ariſtocratia*, vel *Politia* reperiatur. Omnes enim, inquit, Imperatores, Reges, Principes, certis legibus poteſtatem habent circumſcriptam, multis ſe ſacramentis ſuæ Reipublicæ obſtrinxerunt, & multò magis, qui inter optimates, & à populo Magiſtratus capeſſunt. Itaque omnia penè Regna Chriſtianorum ſunt *monarchiæ*, *Ariſtocratiæ* & *Politiæ*. Pro exemplo ſubjicit Imperium

rium Romanum . in quo admirabilem agnoſcit trium Rerumpublic. commiſtionem. *Caput* Imperator eſt : *Optimates* Electores : Populus civitates, quæ & ipſæ ſunt ſtatus, habentque communicata Majeſtatis jura, & in Comitiis ſuffragia. Polit. lib. 1. c. 14. §. 9. Et hanc cauſam eſſe putat, quod formæ Rerumpubl. Chriſtianarum rarius commutentur : quia alterius partis exceſſu olim magis peccabatur. Tandem c. 21. probat idem optimam Reipub-. formam eſſe Monarchiam ex Ariſtocratiâ & Politiâ temperatam.

Thes. V.

Hæc forma Reipublicæ eſt : *Finis* eſt commodum, ſecuritas & ſalus civium vel ſubditorum.

Explicatio.

Vnde tritum illud : *Salus Populi ſuprema Lex eſſe debet.* Et apud Romanos illud : *Ne quid Reſpub. detrimenti capiat.* Peſſimi igitur illi & execrandi, qui in Imperio non niſi imperium cogitant, & ad Rempubl. accedunt velut ad Meſſem auream, non niſi civium intenti ſpoliis. Pulcherrima heîc obſervetur *Ciceronis* ſententia ex 5. Lib. de Repub. *Vt Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria: Sic huic Moderatori Reipubl. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit Respublica.*

Nos verò *Chriſtiani* ſalutem hanc non de *Politicâ* tantùm & terrenâ, ſed & de *cœleſti*, nunquam deſitura accipimus & interpetamur.

Et hic primus eſt liber, de reipublicæ conſtitutione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

LIBER II.

DE REIPUBLICÆ ADMINISTRATIONE.

CAP. I.

DE ELECTIONIS UTILITATE & Forma.

THESIS I.

H*Actenus Reipublicæ Conſtitutio:* Sequitur ejusdem adminiſtratio, quæ eſt *togata* vel *militaris.*

EXPLICATIO.

Adminiſtratio Reipub. aliàs *Imperium* quoque appellatur, quod eſt certus ordo in jubendo & parendo. *Iſtud vinculum eſt*, inquit Seneca, *per quod Reſpubl. cohæret. Ille ſpiritus vitalis, quem huc tot millia trahunt: nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur.*

THES. II.

Togata pacis ſpectat tempora, vigetque in Republicâ pacatâ Hujus conſideranda (1.) *Efficiens.* (2.) *Materia.* (3.) *Forma.* (4.) *Adjuncta.* (5.) *Species.*

THES. III.

Efficiens eſt modus Magiſtratum (1.) *deferendi* (2.) *inaugurandi* (3.) *per juramentum obligandi.*

EXPLI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

1.) Ety-
tilitas.
mmati-
irca ety-
Miniſter à
giſtri po-
m indi-
tificum
l maxi-
& *poli-*
i *Magi-*
etſi ad
refer-

gitimè
ad uti-
defini-
u homo
aliqua
& ad-
licè &
ſideret

ap. 19.
exter-
orporis
ue am-

u *m* *le* *v* *P* *n* *tr* *pl*

Magiſtratus gra-
vi ſententiâ explicat Cicero lib. 3. de L L. *Videtis Magiſtratus hanc eſſe vim, ut præſit præſcribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Vt enim Magiſtratui Leges: ita Populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem: Legem autem mutum Magiſtratum.*

 Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

DE

DI

latur, … n-
do. *Iſt* … od
Reſpubl … ot
millia t … &
preda, …

Togat … e-
publicè … i-
ens. (2.) [illegible] (3.) *Forma.* (4.) *Adjuncta.*
(5.) *Species.*

THES. III.

Efficiens eſt modus Magiſtratum (1.) *deferendi* (2.) *inaugurandi* (3.) *per juramentum obligandi.*

EXPLI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

- A. Adminiſtratio Reipublicæ eſt
  - Togata: cujus conſiderantur
    - Efficiens in modo Magiſtratum
      - Deferendi, qui eſt
        - Legitimus, per
          - Electionem, cap. 1. 2.
          - Succeſſionem: cap. 3. 4.
        - Illegitimus, cap. 4.
      - Inaugurandi & obligandi: cap. 5.
    - Materia, ſeu ſubjectũ, quod eſt magiſtratus ſeu princeps
      - Probus, cap. 6. 7. 8. 9.
      - Improbus, cap. 10.
    - Forma quæ conſiſtit in
      - Sanctionelegum, c. 11.
      - Cuſtodiâ diſciplinæ publicæ, cap. 12.
      - Exercitio Iuriſdictionis: cap. 13.
    - Adjuncta, ubi in conſiderationem veniunt
      - Perſonæ, quæ adminiſtrationem
        - Iuvant, ut
          - Conſiliarii: cap. 14.
          - Legati: cap. 15.
          - Miniſtri in ſpecie ſic dicti: cap. 16.
        - Patiuntur, qui ſubditi ſunt, c. 17. 18. 19.
      - Munimenta
        - Extranea, ubi de fœderibus: c. 27.
        - Domeſtica, quę ſũt Res ſerviẽtes Reip.
          - Conſervandæ, quæ ſunt
            - Sacræ, cap. 20.
            - Religioſæ, cap. 21.
            - Sanctæ, cap. 22.
            - Publicæ, cap. 23.
          - Augendæ, & conſiſtunt in acceſſione
            - Hominum per colonias, Armorum, Propugnaculorum: cap. 23.
            - opum, cap. 24. 25.
            - conſiliorum. cap. 26.
    - Species, quæ conſiderantur in
      - Modis generalibus, Monarchiâ, Ariſto cratiâ, Democratiâ, cap. 28.
      - Applicatione modorum ad Imper. Rom. cujus conſiderantur
        - Corpus quoad
          - Conſtitutionem, Tranſlationem ad Germanos: cap. 29.
          - Præeminentiam, diſtributionem, immunitionem, cap. 30.
        - Membra, quæ ſunt
          - Cæſar, cujus conſideratur
            - Electio: cap. 31.
            - poteſtas
              - reſervata, c. 32.
              - cõmunicata. c. 33. 3
          - Status, qui ſunt
            - Electores, cap. 35.
            - Principes, cap. 36.
            - Civitates, cap. 36.
  - Militaris, ubi conſiderandi belli
    - Definitio & diſtributio, c. 37.
    - Apparatus, c. 38.
    - Subjectum, c. 39. 40. 41.
    - Objectum, c. 41.
    - Actus, c. 42. 43. 44. 45.
    - Adjuncta, cap. 46.
    - Effecta, cap. 46.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Magiſtratus breviter heîc obſervetur (1.) Etymon (2.) Definitio (3.) Neceſſitas & Vtilitas.

Etymon quod attinet, *Magiſtratus* Grammaticis dicitur à *Magiſtro*: *Magiſter* iis qui circa etymologias non ineptiunt, à *magis*, uti *Miniſter* à *minus* vel *minor*: unde vel *etymon Magiſtri* poteſtatem aliquam, *Miniſtri*, ſubjectionem indigitat. *Magiſtri* autem appellatio non Artificum & præſertim liberalium eſt propria, ſed vel maximè quoque ad curas refertur *œconomicas* & *politicas*: unde *Magiſter equitum* &c. Politici *Magiſtri* officium appellatur *Magiſtratus*: etſi ad perſonam quoque vox eadem ſæpiſſimè refertur.

Definitur Magiſtratus à Thoma, *is qui legitimè inſtitutus eſt in rebus humanis procurandis ad utilitatem populi*. Quæ aliquanto latior eſt definitio: Strictior eſt illa Danæi; *Perſona, ſeu homo mortalis, cui vel tota Reſpubl. vel pars ejus aliqua domi foriſque, quod res humanas, gerenda & adminiſtranda cum dignitate & poteſtate publicè & legitimè data eſt*. In qua tamen, quod deſideret vel *logicus* facilè inveniet.

A Martyre definitur in libro Iudic. cap. 19. *Perſona divino inſtituto delecta, ut, quoad externam diſciplinam, leges cuſtodiat, pœnâ corporis transgreſſores plectendo, & bonos foveat atque amplectatur.*

Neceſſitatem atq; *utilitatem* Magiſtratus gravi ſententiâ explicat Cicero lib. 3. de L L. *Videtis Magiſtratus hanc eſſe vim, ut præſit præſcribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Vt enim Magiſtratui Leges: ita Populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem: Legem autem mutum Magiſtratum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Nihil porrò tam aptum eſt ad ius conditionemque naturæ, quam Imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum uniuerſum genus ſtare nec rerum natura omnis, nec ipſe Mundus poteſt.

Miſera ſervitus eſt inquit Ambroſius, *cui vagum ius eſt: plures enim Dominos habet qui unum non habet.* Et *præſtat*, inquit Chryſoſtomus, *Dominum aliquem, etiam Tyrannum, habere, quàm omnino nullum.*

Plato lib. 6. de LL. docet, *Omnino inutiles & ridiculas futuras leges, quantumuis bonas, niſi creentur Magiſtratus, qui eas ſervari curent.*

Datos eſſe Reges & quoſuis in eminentiâ conſtitutos, *ut tranquillam & quietam degamus vitam, cum omni pietate & honeſtate*, docet Paulus 1. Timoth. 2. verſ. 2.

THES. IV.

Modus, quo *defertur* Magiſtratus eſt *legitimus* vel *illegitimus*.

THES. V.

Legitimus conſiſtit in mediis honeſtis & lege conceſſis, quæ ſunt *Electio*, vel *ſucceſſio*.

THES. VI.

Electionis conſideranda (1.) *Adiuncta utililtas* (2.) *Forma* (3.) *Subjectum* (4.) *Effectus*.

EXPLICATIO.

Quæritur *An Electio ſit prior ſucceſſione?* Reſp. Magni momenti hæc quæſtio eſt, è cujus reſolutione axiomata depromi poſſunt egregia: *Affirmativam* omnes ſani amplectuntur Politici, qui cum *Chryſoſtomo* hom. 7. ad Popul. Antioch. negant *principatum Politicum* (à quo diſtinguunt *tyrannicum* & *œconomicum imperium*) poſt peccatum,

catum, à naturâ eſſe conſtitutum: ſed ex hominum electione primos eſſe Principes & Reges factos: quod cùm hiſtoriæ teſtantur, tùm regnorum & principatuum conſtitutorum *inpulſiua cauſa*. Cum enim primi mortales, qui ex diverſis familiis confluxerant, vidiſſent maximas ex æqualitate & anarchia oriri confuſiones, ob defectum Legis & Regis tanquam Iudicis, inſuperque à potentioribus infirmiores opprimi, ad incommoda hæc evitanda, Principem vel Regem futurum elegerunt, cui, inito ultrò citroque contractu, & mutuâ officii præſtandi ſponſione præeunte, ultrò ſe ſubmiſerunt. Et quo quæſo jure in diverſiſſimas familias *Politicum Imperium* affectare primus Rex vel Princeps potuiſſet (non loquimur *de violenta invaſione*, quæ jure affectandi imperii non potuit niti) ſi abſque populi conſenſu, electiõe & ſpontanea juris ejus ceſſione fuiſſet? *Electionem* ſecuta poſtmodum *ſucceſſio* (de legitima loquimur) quæ & ipſa primam debet originem favori populi ad Regum & Principum hæredes dignitatem transferentis. Ex hac prima imperii Politici origine, ſequentia ſpontè fluunt axiomata:

(1.) *Legitimos Reges & Principes primos fuiſſe ſubditis poſteriores.*

(2. *Legitimos Reges & Principes eſſe propter ſubditos, non ſubditos propter Principes: & his quidem præcipuã debere curam eſſe de ſubditorum ſalute.*

(3.) *Legitimorum Regum & Principum non eſſe abſolutam & plane exlegem in ſubditos poteſtatem, ita ut liceat quicquid libet.* Quod de *jure Regis* dicitur, 1, Sam. 8. v. 9. & ſeqq. non accipiendum de jure dato vel à Deo, vel à populo: ſed à Regis libidine uſurpato. De hiſce pluribus diſſerentem vide *Danæum* Pol. Chriſt. lib. 1. cap. 4. & *Adam Contzen* lib. 2. polit. c. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. VII.

Vtilitas electionis ea eſt, ut ſit adminiſtrationis deferendæ ratio, ſaluti Reipubl. non adverſa.

EXPLICATIO.

I. *Vtilem eſſe electionem probatur ſequentibus argumentis.*

(1.) Quia per electionem nullis illaquea tam præjudiciis optimus quiſque reperitur, ſi rectè inſtituta ſit ſuffragatio. Eligitur enim, qui eligentium & prudentium judicio à natura & arte ad Rempubl. benè adminiſtrandam eſt inſtructus. *Optimum quemque*, inquit Tacitus, *invenit Electio.* Vnde Plinius in Paneg. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus.*

(2.) Quia inter eligentes & electum mutua conſtituitur & confirmatur benevolentia. Siquidem eligentes favore & amore eum proſequuntur, de quo ſpem bonam conceperunt. Electus verò propenſo & benigno ſolet eſſe animo in eligentes, à quibus imperandi poteſtatem accipit.

(3.) Quia per electionem aurea libertas conſervatur. Siquidem electo leges præſcribuntur, quas in gubernatione Reipubl. ſequi tenetur, & quarum metas excedere nefas eſt. In has jurare leges cogitur, priuſquam Reipublicæ capeſſat frena.

II. Contra electionis *utilitatem* excipitur.

(1.) *Ex electione ſæpè pullulant diſſidia propter diverſa eligentium ſtudia & ſuffragia. Vnde plures nonnunquam electi inter ſe colliduntur, & Remp. graviſſimè affligunt, Ergo: Electio non eſt utilis.*

Reſp. Negatur *conſequentia* (1.) Quia & ſucceſſio hoc modo damnanda eſſet: propter quam maxima & periculoſiſſima haut rarò oriuntur diſſidia.

diſſidia. (2.) quia præcaveri poſſunt diſſidia iſta per leges Eligentibus præſciptas. (3.) quia non electioni per ſe imputanda ſunt iſta diſſidia: ſed eligentium perverſitati.

(2.) *Sæpè emendicata & empta ſuffragia indignum ad Reipubl. gubernaculum collocant. Ergo: Electio non eſt utilis.*

Reſp. 1. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt: Etiamſi enim quandoque unius aut alterius eligentis corrumpi poteſt animus: tamen rarò omnes eodem corruptionis ſe conſtringi laqueo patiuntur: quia electioni non niſi viri boni & graves præficiuntur.

2. *Conſequentia* negatur: vitium enim, quod hujus vel illius electioni adhæreſcit, eligentium culpâ, electioni in genere omnibuſque eligentibus haut imputandum eſt. Sed & per ſucceſſionem ſæpius ad Reipubl. gubernacula evehuntur indigni, quàm per electionem: Siquidem in hac datur optio, cui in ill[illegible] locus non eſt.

(3.) *Eligentes ſæpè decipiuntur, & ſpes de eligendo concepta fallit: Quia nævi animorum occultari poſſunt. Ergo &c.*

Reſp. N. A. Nam ſi eligentes ſunt viri boni & prudentes, rarò ſpes ipſos fallit: quia variis explorationibus latentes animorum nævi poſſunt innoteſcere: quia non diu occultatur, quod ſimulatum eſt. Eſt & conſequentia minus firma pro ſucceſſione contra electionem: ſæpius Civem fallunt, qui ſuccedunt. quam qui eliguntur.

THES. VIII.

Forma conſiſtit in ſuffragio ſeu voto, quod eſt *liberum* vel *reſtrictum*,

THES. IX.

Liberi voti electio eſt ſuffragatio in perſonam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quamcunque, quæ ad obtinendum magiſtratum idonea videtur, cujuſcunque nationis vel conditionis ſit.

EXPLICATIO.

I. Eligitur *voto libero* is, cui major eligentium pars ſuffragatur: Si vel paria ſint vota pro duobus vel pluribus: vel alias inter eligentes exoriatur diſſenſio, *ſortitione* dirimi lis poteſt, quod probatur

(1.) Quia in rebus dubiis ſortitiones adhibitas & præceptas eſſe legimus in Sacris literis: videantur loca *Levit.* 16. v. 8. *Num* 26. v. 55. *Ioſuæ* 14. v. 2. Et in ſpecie quidem *Saul* electus eſt Rex per ſortem. 1. *Sam.* 10. v. 20. 21. ſic *Matthias* ſorte eligitur in Apoſtolum. Act. 1. v. 26. De ſorte inſignis eſt locus *Prov.* 16. v. 33. *In gremium coniicitur ſors, à Iehova autem eſt tota ratio ejus.*

(2.) Quia civilibus quoque legibus earumque præſcripto in cauſis dubiis ſortitio adhibetur, ut patet è ff. & C.

(3.) Quia apud gentes varias olim uſitatæ fuerunt ſortitiones. Apud *Syracuſanos* in electione Sacerdotum. Apud *Romanos* olim ferè omnes dignitates per ſortem ſunt diſtributæ. Vnde Phraſis illa nata. *Provinciam ſortiri.* Apud veteres *Germanos* ſortibus explorabatur, utrum committendum eſſet prælium. Apud *Græcos Alexandri Magni* ſucceſſores ſorte diviſerunt regna & provincias. *Iuſtinus* lib. 13. Hodiè quoque in militia frequens eſt uſus ſortitionis, cum vel hoſtis invadendus, vel munita oppugnanda, vel præſidia collocanda.

II. Contra ſortitionem excipitur.

Sors arbitriis fortunæ regitur, nec prudens ſe fortunæ ſubiicit: ſed conſilio res expedit. Ergò ſortitioni non eſt committenda electio.

Reſp.

Reſp. *Antecedens* de ſorte in rebus dubiis & omentoſis cum invocatione divini nominis hibitâ negatur : hujuſmodi enim ſortem non rtuna vel caſus, ſed divina providentia tempet. Vt patet ex *Prov.* 16. v. 33.

Tum autem potiſſimum adhibenda ſors eſt, u eligentium votis ſunt nominati duo vel plus, qui genere, virtute & opibus pares ſunt, vel on admodum impares.

THES. X.

Reſtricti voti electio ſpectat certas & determinatas *perſonas* vel *leges*.

THES. XI.

Electio ad certas *perſonas* reſtricta dicitur, uando non licet eligere magiſtratum, niſi ex ac vel illa *gente* aut *familiâ*.

EXPLICATIO.

Sic olim populo DEI per legem DEI non poerat præfici Rex extraneus *Deut.* 17. v. 15. Fuitque tandem electio reſtricta ad tribum *Iudæ*, & n ſpecie ad familiam *Davidis*.

In aurea Bulla Carolus IV. ſanxit, ne ad Imperium *Romanum* admittatur alius, quam qui ſe ex *Germano* ſatum ſanguine docere poſſit.

THES. XII.

Inter certas *leges*, ad quas reſtricta eſt electio, pręcipua ferè eſt de Magiſtratus officio vel in perpetuum vel ad certum duntaxat tempus conferendo.

EXPLICATIO.

I. Quæritur heîc. *Vtrum præſtet ambulatorium habere magiſtratum, an perpetuum?*

Pro *ambulatorio* hæ militant rationes

 (1.) Quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(1.) Quia *nihil eſt tàm utile, quàm brevem poteſtatem eſſe, quæ magna ſit.* Seneca. Et *libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna Imperia diuturna non ſint.* Livius.

(2.) Quia hac ratione pluribus civibus ad honores datus aditur, & anſa ſeditionum tollitur: quando paria ſperant præmia, qui paria ferunt onera.

II. Pro *perpetuo* magiſtratu hæ pugnant rationes.

(1.) Quia crebra Magiſtratus mutatio non permittit, ut benè Remp. adminiſtrare diſcas.

(2.) Quia *perpetui* provinciarum gubernatores cum majeſtate imperare poſſunt: Non enim illis metuendum, ne aliquando privati privatorum contumelias cogantur ferre.

(3.) Quia *perpetuus* Magiſtratus ſubditorum mores exploratiores habere poteſt.

(4.) Quia facilius ſubditi parent, cui ſe perpetuo ſubjectos eſſe norunt, quàm quem ad tempus tantum præeſſe ſciunt.

III. Lis hæc *diſtinctione* deciditur (1.) *Magiſtratus majoris & minoris.* (2.) *formarum Reipublicæ. Majores* magiſtratus præſtat perpetuos eſſe, quàm ambulatorios: Contrà: *Minores* præſtat ambulatorios quàm perpetuos eſſe.

Monarchia gubernatorem requirit perpetuum: *Democratia* ambulatorium: *Ariſtocratia* ex utroque participat. Inprimis tamé videndum, quid cujuſque ferat loci conſuetudo, & quid facilius admittant ſubditorum mores & ingenia. De hac quæſtione adverſus *Machiavellum* diſputantem vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 7. cap. 10.

IV. Cæterùm leges quæ magiſtratui electo præſcribuntur, *poßibiles, juſtas,* & *autoritati ejus conſentaneas* eſſe par eſt: Siquidem injuſti & deſipientis eſt ad impoſſibilia, injuſta & indecora

magi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

magiſtratum obligare: cujus autoritatem ſacroſanctam & verendam eſſe decet. Vnde iniquiſſima & ſtultiſſima eſt *Regis Iaponiæ* obligatio, quâ jurare ſubditis cogitur, *ſe effecturum, ut juſto tempore pluat, & juſto iterum tempore ſit ſerenitas, ne imbres, grandines & ſimilia noceant frugibus.*

CAPVT. II.

DE SUBIECTO ELECTIONIS ſeu iis, qui ad Rempubl. adminiſtrandam ſunt eligendi: nec non DE EFFECTV.

THESIS I.

HVcusque *forma electionis*: ſequitur *ſubjectum*, h. e. ii qui eligendi ſunt. Vbi ratio habenda (1.) *Generis* (2.) *Nationis* (3.) *Exiſtimationis* (4.) *Ætatis.*

THES. II.

Genere eſto non obſcuro, qui in magiſtratum eſt eligendus.

EXPLICATIO.

I. Rationes aſſertionis hæ ſunt
(1.) Quia ſecundùm Claudianum:
Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.
(2.) Quia è fortibus boniſque creari fortes & bonos: Ex abjectis verò imbellibus & humilibus plerunque abjectos & imbelles, conſentaneum eſt; ſecundum illud *Horatii*:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus; Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

(3.) Quia qui præclaris & nobilibus nati ſunt parentibus, plerunque literis quoque ſunt exculti: quorum in electione vel inprimis quoque habenda ratio: quia de ſententia *Socratis* abſurdum eſt ad publicos magiſtratus admitti, qui nunquam dederunt operam diſciplinis, ſine quibus nemo rectè poteſt magiſtratum gerere.

II. Sunt tamen exempla haud infrequentia eorum, qui humili ſordidoque progreſſi loco ad Rerumpublicarum gubernacula ſunt evecti, non tàm electione prudenti, quàm vel favore aut furore militari aliovè caſu.

Helvius Pertinax Imperator patre libertino natus fuit.

Macrinus Imperator libertinus *Maurus* fuit aure perforatâ.

Maximus Imperator *Thrax* fuit loco natus infimo.

Valerius Aurelianus Imperator, matre ſacrificulâ ſolis prognatus eſt.

Anaſtaſius Imperator ſcriba aulicus fuit.

Iuſtinus Imperator patrem habuit armentarium.

Agathocles Siciliæ Rex figulo patre natus fuit.

Amaſis Ægypti Rex adhuc privatus, paraſiticâ & furandi celeritate ſe aluit.

Herodes Aſcalonita, qui *Iudæorum* pueros interfecit & ad necem Chriſtum recens natum quęſivit, teſte *Ieſepho*, avum habuit æditum in templo *Apollinis*.

Servius Tullius Rex Romanorum matre Serva creatus eſt,

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. III.

Natione ne extraneus eſto, qui in magiſtratum eſt eligendus.

EXPLICATIO.

I. *Extraneos* ad Reipubl gubernacula non eſſe collocandos probatur ſequentibus argumentis:

(1.) Quia extranei ad Reipubl. gubernacula & faſtigium per electionem admiſſi, plerunque fiunt avari, & non tam ſunt de Regni & Reipub. viribus conſervandis & augendis ſoliciti, quam de commodis ſuis privatis.

(2.) Quia Principis externi jugum moleſtiſſimè ferunt ſubditi. Hinc *Scythæ* ad *Alexandrum M. Vt fortior ſis quam quisquam; tamen alienum dominum nemo pati vult.*

(3.) Quia vix tutus à periculo eſſe poteſt peregrinus Princeps, niſi validiſſimo præſidio ſe & arces ſuas muniat. Vnde plurimum Reip. infertur detrimenti: quia admodum ſumptuoſa ſunt præſidia perpetua.

(4.) Quia domeſtici in ipſo illo ſolo, ad quod regendum accedunt, ſati natique morum animorumque provinciæ gnari res patriæ notas melius curant, ſubditoſque majori amore & benevolentia proſequuntur. Hinc apud *Helvetios* nulli extraneo committi vllum munus publicum ſolet.

II. In contrariam ſententiam *pro extraneorum* electione obiicitur

(1.) *Exteris ad Reip. gubernacula collocatis, inter cives tollitur æmulationis ſtudium, quod oriri ſolet quando aliis unus ex eodem ordine præfertur. Ergo; Tutius eſt extraneum quàm domeſticum eligere.*

Reſp.

Reſp. 1. *Antecedens* univerſaliter verum non eſt: teſte experientia: Qui enim prudentes ſunt, ſympatriotis ſuis dignitatem juſta electione delatam non invident, ſed gratulantur potius: Imò laudabili æmulatione accendi ſolent ad virtutum ſtudia, per quæ aditum ad Remp. fieri intelligunt.

2. *Conſequentia* quoque negatur: quia incommoda, quæ extraneorum electionem conſequuntur, longè majora ſunt, ut antè vidimus.

(2.) *Per extraneorum electionem augentur vires Reip. acceſſione potētiæ principis externi. Ergo &c.*

Reſp. 1. *Antecedens* univerſaliter verum non eſt: ſæpè enim vires Reip. labefactantur & nervi inciduntur per avaritiam exterorum, & auxilia quoque, quæ exteris ferenda ſunt Principibus, ſi hæreditarii eorum principatus bello petantur.

2. *Conſequentia* negatur: quia acceſſio potentiæ & divitiarum haut rarò peregrinos inducit mores & luxum: unde evertuntur Reſpublicæ.

(3.) *Multa ſunt exempla hominum & Principum externorum ad gubernandam Rem. admiſſorum.*

Trajanus natione Hiſpanus ad Imperium Romanum admiſſus fuit.

Severus Maximinus & Philippus Imperatores omnes fuerunt exteri.

Poloni quoque exteros ſæpe elegerunt. Vt Iagellones ex Lithuaniá, Henricum Valleſium ex Gallia, Stephanum Bathoreum ex Tranſſylvaniâ, Sigiſmundum ex Sueciâ. Idem & Bohemi fecerunt.

Reſp. Non tàm exempla quàm rationes in contrariam allatæ attendi debent. Olim in Republic. *Romanâ* adImperium evecti ſunt plerique favore & furore militum.

Polonorum conſuetudo ad imitationem temerè non eſt trahenda: notat *Keckermannus. Poloniæ* proceres cauſis graviſſimis non carere,

cur

tur exteros ſubinde ad regni gubernationem advocent; nempe, *ut paritatem & æqualitatem libertatis inter ſe poßint conſervare.* Eſt enim gens illa ad libertatem nimis proclivis, quæ domeſtico fræno non adeo videtur coërceri poſſe. Interim ſcribit *Herbertus*, Chron. Polon. lib. 11. in proœmio, per nongentos & plures annos *Poloniam* ad *Caſimirum* uſque Regem, excepto *VVenceslao Bohemo*, ſemper ſui generis Reges & Principes habuiſſe.

Denique obſervetur *Lipſii* ſententia: *Vt, in quam domum veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris: Sic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.* Et hæc quidem ex Autoris noſtri ſententia: cui non refragamur, niſi extraneos ſimpliciter excludat, & quemvis domeſticum cuivis extraneo præferendum judicet. Sanè *ſi domeſticus deſit idoneus, præſtat idoneum eligere extraneum, quam ineptum domeſticum*: ut omnium Regnornm electivorum docent hiſtoriæ: vide Danæ. polit. Chriſt. lib. 6. c. 3.

III. Quæritur: *An etiam Eccleſiaſticæ perſonæ ad ſecularis Magiſtratus evehi faſtigium poßint?* Poſſe, omnium temporum docent hiſtoriæ, cùm ſacræ, tùm prophanæ, quæ eoſdem *Reges* & *Sacerdotes* teſtantur fuiſſe olim in populo Iſraëlitico & inter Gentiles quoque præſertim *Ægyptios* & *Romanos*. Hodie in *Europâ* inter *Pontifices* nihil eſt frequentius. Exemplo ſuo omnibus præit *Romanus Pontifex*, non magis *Petri clave*, quàm *gladiis* potẽs. De hac miſcellâ videantur judicia *Theologorum* & *Politicorum Evangelicorum*: inter alios *Danæus* lib. 6. Polit. Chriſt. c. 3. Qui exiſtimat, ſumpto magiſtratu politico, deſerendam eſſe dignitatem Eccleſiaſticam: quia vix eſt ut utrique muneri unus ſufficiat: quod locupletiſſima teſtatur experientia: ſiquidem in plurimis *Ec-*

cle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

eleſiaſtico-Politicis, præter paucula religioſæ profeſſionis externa & accidentalia ſymbola, vix quicquam Eccleſiaſtici muneris eſt deprehendere.

THES. IV.

Exiſtimatio eligendi magiſtratus integra, illibata & ſine macula eſto.

EXPLICATIO.

I. Integræ illibatæ exiſtimationis magiſtratum & in primis Principem eſſe decet; adeo, ut virtutem quaſi proprium ſibi bonum faciat.

Ratio eſt: Quia omnium oculi in eum ſunt fixi, & in vitam ejus veluti ſpeculum intuentes, dicta ſimul & facta animadvertunt. Vnde cupiditas imitandi & ſequendi, ſive ad virtutes, ſive ad vitia facem præferat. Hinc egregiæ veterum ſententiæ.

Senecæ: *Multa contra Principes lux eſt: Omnium in ipſos converſi ſunt oculi.*

Quintiliani. *Ea Principum conditio eſt, ut quicquid faciant, præcipere videantur.*

Valleii. *Principes rectè facere cives ſuos faciendo docent.*

Claudiani. *Componitur orbis Regis ad arbitriũ.*

Theodorici Regis ad Senatum: *Facilius eſt ſi dicere fas eſt, errare naturam, quam diſſimilem ſui Princeps poſſit formare Remp.*

II. In ſpecie vero cavendum, ne eligantur:

(1) *Qui ſordidas exercent artes, ſordidosque & abjectos quæſtus faciunt:* quia *ſublimes & generoſos ſpiritus non concipiunt, qui parvis & vilibus rebus occupantur.* Demoſthenes. Vnde hoc nomine digniſſimus reprehenſione *Heliogabalus*, qui omnes & ſcenicos & theatricos artifices nec non aurigas & comicos ad maximas Reipu-

eipublic, dignitates promovit.

.) *Qui vitæ morumque turpitudine ſunt inquinati*, & ſine dedecore ac rubore in publicum prodire non audent ex infamiæ conſcientiâ.

.) *Qui ære alieno nimis ſunt gravati, aut nimia paupertate preſſi, victum nocturno diuturnoque labore ſibi quærere coguntur.* Quia ut ajunt: *Paupertas meretrix eſt*. Et, ut *Horatius* canit:

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere & pati
Virtutisque viam deſerit arduæ.

4.) *Qui ſunt ambitioſi*, quia cum ambitione conjuncta eſt imperandi libido & inſolentia.

THES. V.

Ætas nec nimis juvenilis, nec nimis ſenilis ſto.

EXPLICATIO.

I. *Iuvenes* ante annum viceſimum quintum ad honores publicos non admittunt leges civiles: & rationes ſunt evidentes.

(1.) Quia nimis juvenes regere non poſſunt animorum impetus. Adeoque inepti ſunt ad alios regendos, qui regere ſeipſos non poſſunt.

(2.) Quia nimis juvenes nullarum rerum experientiam habent. Vnde *Cicero*: *Iuvenibus nec animus rebus gerendis occalluit, nec ætas uſum dedit benè ſuadendi*. Qui verò in ætate juvenili ad magiſtratum ſunt evecti, quales nonnulli *Iudæorum* aliarumque gentium Reges, *ſucceſſioni* potius quàm *electioni* dignitatem acceptam tulerunt. Et electi quoque in ætate eâ, potius ad ſpem futuræ gubernationis, quàm ad habenas Reipub. illicò tractandas & regendas electi ſunt: quia puerilis ætas planè impar eſt tantæ moli ſuſtinendæ.

Hodiè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Hodiè in Imperio *Romano* Electorum filii ad hæreditarii electoraus adminiſtrationem non àdmittuntur ante annum ætatis decimum octavum.

II. *Nimis ſenes* eligendi quoque non ſunt. Exempli gratia, *Septuagenarij*, *Octogenarij*.

(1.) Quia ætas decrepita riſui & faſtidio eſſe ſolet.

(2.) Quia plerunque avaritiæ eſt obnoxia: Secundum illud *Comici*:

Senes attentiores ſunt ad rem omnes, quàm ſat eſt.

(3.) Quia omnia aliorum dicta & facta ſolent vellicare: Vnde illud *Cornelii Galli* de Sene.

Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos:
Hoc tantum rectum, quæ facit ipſe, putat.

(4.) Quia in illa ætate fons prudentiæ exaruit: Vnde illud: *Bis pueri ſenes* Non tamen intempeſtivè monent prudentes: *Non tam ætatem eſſe reſpiciendam, quam virtutem*: Vt enim multi ſenes ſunt pueri, ita non pauci ſunt juvenes, quibus eſt animus ſenilis, *Cicero*: & *Bernhardus*: *Multi antiquorum tempora præveniunt meritis, &, quod deeſt ætati, virtutibus compenſant.*

III. Requiſita in ſubjecto electionis pleraque complexus eſt *Latinus Pacatus* in Paneg. ad Theod. *Is ad regendam Rempub. deligendus eſt, cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui ætas integra, cui denique militarium & civilium rerum uſus contigit.* Ante omnia a. in Electione liberâ diſpiciendum de ſubjecto ad Rempubl. adminiſtrandam idoneo, in quo ſit concentus quidam virtutum, Principe dignarum, quales ſunt *Pietas*, *Magnanimitas*, *Prudentia*, *Iuſtitia*, *Humanitas*, &c. Harum major habenda ratio quam *Potentiæ*, *Divitiarum*, *Splendoris*, &c. Maximè habendam veræ Religionis rationem gravi-

er monet Danæus lib. 6, Polit. c. 3. ſub finem.

Hoc denique obſervandum in Electione magi-ratuum minorum, ut ejuſmodi creentur Magi-ratus minores, qui idonei quoque ſint, aut eſſe oſſint ad ſuſcipiendas dignitates majores. In romptu ratio eſt: Qui enim, in eodem præſer-im Collegio, majorum capaces non ſunt digni-atum, ad majores, per ſucceſſionem, ut fieri a-nat, evehuntur, aut non evehuntur: Si evehun-ur, detrimentum capit Reſpublica, ex ineptis ectoribus. Si non evehuntur, & tamen deberi ſi-bi ſucceſſionem opinantur, iterum Reſpublica detrimentum capit: quia neglecti, præſertim ve-rò inferioribus poſthabiti, ſe contemni putant: unde invidiâ exardeſcunt, commiſſa negotia ſeg-nius agunt, & pertæſi curarum publicarum pri-vatis incumbunt. Interim neceſſitati ſæpè mos gerendus, quando, ut volumus, non quimus.

THES. VI.

Fuit ſubjectum electionis: ſequitur *effectus*, qui eſt adminiſtrationis per electionem delatæ accep-tio; quæ laudabilior, ſi cum ſeriâ & modeſtâ recuſatione, quàm cum cupiditate & ſingulari lætitiâ ſit conjuncta.

EXPLICATIO.

I. Electio quandoque effectu ſuo caret, cum, qui electus eſt, à delato munere prorſus abhorret, vel vi quadam majore aut caſu impeditur & re-trahitur.

II. Ii verò, qui delatum munus accipiunt, vel *ſine recuſatione*, vel *cum recuſatione* quâdam acci-piunt. Qui *ſine recuſatione* ultrò cupidè & cum lætitiâ accipiunt, eoque nomine felices ſe prædi-cant, prudentibus non adeò probantur: Quia vel muneris difficultatem non intelligere, vel

nimiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

re, vel nimiæ ambitionis morbo laborare vide-
tur: & rarò benè præſunt.

Qui *cum recuſatione* accipiunt, vel *ſimulatè* re-
cuſant, vel *ſeriò*. *Simulatè* multi recuſant, q
ſub recuſationis ſpecie flagrantiſſimè cupiunt;
ne videantur cupere, rogari volunt. Huiuſmo
ſimulator erat *Tiberius* Imperator.

Quos *ſeriò* recuſare conſtat, omnibus pruden-
tes præferunt: quia ab ambitione ſunt alieni,
provinciæ difficultatem præſumuntur intellig
re. Vnde *Galba* equeſtria & Senatoria officia no
niſi recuſantibus dedit. Et *Epaminondæ* recuſan
omnia imperia ſunt ingeſta. *Severus* Imperato
ajebat, *invitos & non ambientes ad Rempublic. e*
evehendos. Interim prorſus invitos & reluctan
tes cogere conſultum non eſt, ſi delectus habe
poſſit, temporibus Reipublicæ tranquillis & l
beris.

CAPVT. III.

DE SVCCESSIONE LI-berorum & Agnatorum: Nec non de tutela illuſtrium Perſonarum.

THESIS I.

HActenus *electio*: ſequitur *ſucceßio*, quâ ſine electione certæ alicui perſonæ debentur Reipubl. gubernacula: Idque jure *(1.) Sanguinis (2.) Belli* (3.) *Connubiorum* (4.) *Donationis* (5.) *Teſtamenti*.

EXPLICATIO.

Quæritur an ex uſu Reipubl. ſit deferri Magiſtratum per *ſucceſſionem*?

Reſp.

Reſp. Affirmativa probatur ſequentibus argu-
mentis.

1.) Quia, teſte experientia,& de prudentum ſen-
tentiâ, *non claſſes, non legiones perinde firma im-
perii munimenta ſunt, quàm numerus libero-
rum. Tacitus.* Quod dici de liberis non poſſet,
ſi ex uſu Reipubl. non eſſet ſucceſſio.

2.) Quia major ſolet eſſe ſuccedentium autori-
tas, quàm electorum, qui olim in ordine vixe-
runt inferiore.

3.) Quia minus inſidiarum & ſeditionum eſt
extimeſcendum; pravæque aliorum ſpes cohi-
bentur, ſi certus ſit ſucceſſor: Qui in electione
non eſt.

4.) Quia uſitata in pluribus regnis eſt ſucceſſio.
In *Galliâ, Angliâ, Daniâ, Sueciâ, Scotiâ. Hi-
ſpaniâ*, *&c.* & omnibus *Germaniæ* principati-
bus, *Succeſſio* hactenus florentiſſima conſerva-
vit regna & principatus.

5.) Quia, qui ſpem habent ſucceſſionis certam,
quales ſunt Regum & Principum filii, maturè
imbuuntur artibus Remp. Adminiſtrandi.

II. Contra *ſucceſſionem* excipitur:

(1.) *Per ſucceſſionem quandoque indignis admini-
ſtratio defertur: E. ſucceſſio non eſt ex uſu Reipub.*

Reſp. Negatur *conſequentia*. 1. Quia inter-
dum per electionem quoque indignis defertur
adminiſtratio. 2. Quia non fit hoc cæco fortu-
næ impetu: ſed certo & definito DEI conſilio.
Vnde *boni Principes voto quidem expetendi: ſed
qualeſcunque tolerandi, non minus quàm ſterili-
tates, aut nimii imbres, aliaque naturæ mala.* Ta-
citus.

(2) *Sæpè in ſucceſſionibus adhibentur fraudes: ubi,
qui nomen & familiam mentiuntur, ad Remp.
admittuntur.* Exempla ſunt *in Pſeudo Smerde,
in Pſeudo VValdemaro, in Pſeudo Balduino. E.*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Reſp. N. C. quia fraudes illæ rarò obrepun[...] & prudenti conſilio & exploratione vita[...] poſſunt.

De quæſtione: *utrum præſtat hæreditarium* [...] *eſſe principem an eligi?* vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 1. c. 26. ubi præfert hæreditarium o[...]cto rationibus: ibidemque contrariæ ſenten[...]tiæ argumenta ſolvit.

THES. II.

Iure *ſanguinis* obveniens ſucceſſio eſt *certa* v[...] *ſuſpenſa*.

THES. III.

Certa in iis eſt, qui ſimul atque ſucceſſerun[...] per ætatem Remp. adminiſtrare poſſunt: Sun[...]que *liberi* vel *agnati*.

THES. IV.

In *liberis* conſiderandus (1.) *Ordo* prærogat[i]væ (2.) Sexus.

THES. V.

Ordo prærogativæ eſt (1.) in legitimè natis præ ſpuriis (2.) in primogentis præ aliis fratribus.

EXPLICATIO.

I. Quæritur 1. *Vter ex duobus Regis filiis, quorum alter ante, alter poſt acceptum à Patre regnum natus eſt, in ſucceßione ſit præferendus?*

Reſp. Vterque magnos habet adſtipulatores: Is quem naturæ felicitas & ætatis privilegium fecit primum, etiam ante regnum à patre acceptum, fautores habet *Menochium*, *Cujacium*, *Forſterum*. Alter *Alciatum*, *Niellium*, *Schraderum* & alios. Quæſtionem *Autor* non decidit. Plerique tamen pro eo deponunt, qui ſimpliciter primo-

primogenitus eſt: Et ita quoque Electorum filii ſuccedunt. *Quæcunque enim pater acquirit bona, tam corporalia, quàm jura, tam allodia quàm feuda, non magis naſcituris acquirit, quàm jam natis,* L. ſiquis, 8. C. de ſec. nupt.

II. Quæritur 2. *An etiam Spurii in Regno & Principatu debeant ſuccedere?*

Reſp. Negativa defenditur ſequentibus argumentis.

(1.) Quia Principem decet eſſe Magnificum, ut autoritatem apud ſuos obtineat. Atqui *Spurii* contemptui ſunt obnoxii. Vnde olim apud *Suecos* & *Gothos* ſpuriis vix licuit in virorum honeſtorum verſari conſortio.

(2.) Quia *ſpurios* divina ſanctio civili ſocietate repellit. *Deut.* 22. v. 2. Et ne decima quidem generatio eorum ad congregationem *Iehovæ* admiſſa eſt. *Solon* olim ſpurios voluit eſſe publica civitatis mancipia.

(3.) Quia *ſpurii*, cum patrem non habere intelligantur, ſecundum Leges civiles, & in bonis patris ſucceſſionem obtinere non poſſunt.

(4.) Quia *ſpuriorum* fides valdè lubrica eſt: Metuuntur enim in iis paterni criminis exempla. Vnde hodiè in Regno *Galliæ* ne legitimatus quidem ſuccedit: Neque apud *Helvetios* ad Rempubl. admittuntur *ſpurii*: Et in pleriſque *Germaniæ* civitatibus à communione tribuum excluduntur.

(5.) Quia peſſimi res eſſet exempli, ſi eodem loco habentur *ſpurii* cũ legitimis: Et aperiretur hâc ratione feneſtra adulterio & ſcortationibus.

III. Pro *ſpuriis* excipitur

(1.) *Sæpè magna virtutis documenta in iis deprehenduntur.* Ergo.

Reſp.

Reſp. N. C. Primùm enim rara ſunt illa vi-
tutis documenta. Deinde, non habitâ eoru
ratione, olim à DEO ſunt excluſi & hodie etiam
num à prudentibus excluduntur propter cauſ
quas diximus.

(2.) *Nullum ſpuriis poteſt imputari dedecus, qu nihil ipſi admiſerunt*. Ergo. N. C. propter labem à nativitate adhærentem, aliaſque cauſa de quibus ante, ſunt repudiandi, & à DE quoque repudiati.

(3.) *Exempla ſunt multorum ſpuriorum ad Remp admiſſorum. Inter eos in ſacris Iephte, in propha nis Hercules, Theſeus. Menelaus, Romulus, The miſtocles,* Demoſthenes, *Marcus Brutus: Imo & Conſtantinus Magnus Imperator laudatiſſimu ad hunc ordinem refertur*. Ergò.

Reſp. N. C. non exemplis, ſed legibus & rationibus judicandum eſt. Rara & ferè extraordinaria ſunt exempla generalia, ad imitationem non trahenda: niſi fortè extrema flagitet neceſſitas.

IV. Quæritur 3. *An probanda ſit conſuetudo, quâ primogenitus excludit à Regni & principatus ſucceſſione reliquos.*

Reſp. *Affirmativam* amplectitur Autor:

(1.) Quia expedit Reipubl. conſervare familiarum præſertim Illuſtrium ſplendorem & honorem. Quod fit, ſi ſucceſſio penes unum ſit, ubi opes & dignitas conjunctæ manent.

(2.) Quia attenuantur Patrimonia per diviſiones inter filios æquales; quod ne fiat publicè eſt utile.

(3.) Quia ſubditorum intereſt, non habere multos dominos: melius & humanius ab uno reguntur.

(4.) Quia adminiſtrationem decet reſidere apud prudentiorem: Qualis eſſe præſumitur primogenitus

genitus

genitus, quia ætate & uſu alios antecellit.

5.) Quia conſuetudo hæc recepta in maximis regnis, quę in hunc uſque diem per eam in flore & vigore ſunt conſervata: Vt *Anglia, Hiſpania, Gallia, Dania. &c.* Sic *Aurea Bulla* c. 25. expreſſè quoque prohibet *Electoratuum* diviſionem. Sic & in *familiâ Auſtriacâ* nec non in *Ducatu Bavariæ* primogenitus ſolus ſuccedit: quod introductum quoque in *Ducatu Brunſuicenſi* & *VVürtenbergenſi*. Et in *Haßiâ* hodie, ſingulari pacto & conventione, in utraque lineâ *Caſſellanâ* & *Darmſtadianâ*, receptum jus primogenituræ, quoad ſucceſſionem. In Angliâ, quod obiter annotamus, primogenitus & proximus in regno ſucceſſor appellatur *Princeps VValliæ*, In Galliâ D*elphinus*, à Delphinatu, provinciâ, *In Hiſpania Infans Arragoniæ, Caſtiliæ*, &c. quia fari ipſi non licet in adminiſtratione regni, vivo Rege: In Scotia, *Princeps Cumbriæ*: In Imperio Romano, R*ex Romanorum*.

Hoc modo etiam ſplendor familiarum nobilium adhuc conſervatur in *Angliâ* & *Galliâ*: Vbi primogenitus patris ex aſſe hæres eſt, & alimenta fratribus tamen procurat: Qui cum opibus non poſſint, virtute plerunque emergunt.

V. In contrariam ſententiam excipitur:

(1.) *Iniquum eſt inæqualiter tractari eos, quos æquales fecit natura, qui communes habent parentes & domicilium: Ergo ſoli primogeniti non debent ſuccedere, & in participatione patrimonÿ reliquis fratribus præferri.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt. Non enim iniquum eſt negligi privata commoda propter utilitatem publicam, & nativitate æquales pro inęqualibus cenſeri ex ætatis pręrogativa: Quam in lege quoque ſua Devs obſervari voluit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(2.) *Ex inæqualitate naſcuntur diſcordiæ int fratres germanos.* E.

Reſp. 1. *Antecedens* univerſaliter verum no eſt.

2. *Conſequentia* quoque negatur: quia diſcordi naſcuntur ex hoc inſtituto non per ſe, ſed ex viti & culpa eorum, qui publicis legibus non acqui ſcunt, & boni publici rationem non habent.

(3.) *Qui excluduntur à ſucceſſione in bona pater na, degenerant tandem ex inopia in paraſitos, & ad res illicitas ſe applicant. Ergo nullus eſt exclu dendus.*

Reſp. *Antecedens* univerſaliter verum no eſt. Teſtatur enim experientia in *Angliâ* & *Galliâ* natu minores fratres in familiis nobilibus ol defectum amplioris patrimonii, & immunitatem à curis Oeconomicis, ſæpè in viros evader præſtantiſſimos, & emergendi occaſiones petere ab *Arte* & *Marte*. Quam in rem primogeniti in re lautiori conſtituti neceſſarios iis erogare ſumtus tenentur: Ipſi interim in otio & luxu domi ſæpè marceſcunt.

Hodie tamen ex notoriâ & univerſali *Germaniæ* conſuetudine, in *feudis regalibus* Principum & Comitum (exceptis iis, quæ paulo ante expreſſimus) *jus primogenituræ* locum non habet, ſed feudi ſucceſſores pari jure ſuccedunt: & poſt diviſionem nihilominus ſunt & manent Principes univerſi principatus: quia *regalis dignitas* manet individua, ipſaque *dignitas ducalis* & *principalis* congenita eſt perſonis.

VI. Quæritur 4. *An filius primogeniti præferendus ſit patruo ſuo in ſucceſſione ex jure primogenitorum.*

Reſp. *Affirmativa* magis juri videtur conſona. Ratio eſt: quia filius in omnia patris ſui jura ſuccedit. Succedit igitur quoque in jus primo-

ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

enituræ & ſic repræſentat patrem ſuum, hoc eſt, rimogenitum, cui de jure debebatur ſucceſſio. nterim exempla ſunt in utramque partem, quæ ecenſentur à *Lipſio* in monitis Politicis pag. 95.

Solet tamen quæſtio, adhibitâ limitatione, ab liis ita proponi: *Si primogenitus, priusquàm regum adierit, vivo patre, relicto filio & fratre deeſſerit, uter mortuo patri ſuccedat, filius ne, an frater defuncti primogeniti?* Nam ſi primogenitus regnum jam tenuerit, planè nullum eſt dubium, quin filius ſit præferendus fratri: Quæſtio hæc admodum eſt controverſa, de quâ vel LXX. ICtos inter ſe diſcrepantes videas. *Patruum* prætulit Lex *Scotorum, Normannorum, Arabum antiquorum, Longobardorum.* &c. Pro *Nepote*, ſeu filio, pronunciavit *Anglia, Hiſpania, Moſcovia* &c. ut videre eſt apud *Arniſæum* Polit. lib. 1. c. 9. Pro quo ſolidiſſima militat ratio à *jure repræſentationis* petita: Succedit enim filius in jus patris, omni jure, tantumque accipit, quantum acciperet pater, ſi viveret, *Novell.* 118. cap. 3.

Thes. VI.

Ratione *ſexus*, mares feminis in adminiſtratione Reipubl. præferuntur perpetuò in *electione*, nec non *in ſucceſſione*: etſi regnorum nonnullorum fert conſuetudo, ut, maſculis deficientibus, etiam ſuceedant feminæ; quam ſuo loco relinquunt viri prudentes.

Explicatio.

I. Nec per *electionem* nec per *ſucceſſionem*, ſi maſculorum haberi poſſit copia, & ſingularia jura feminis non faveant, ad Reipubl. gubernacula admittendas eſſe feminas probatur ſequentibus argumentis.

 (1.) Quia

(1.) Quia ipſe DEVS malè cum Repub. agi teſt
tur, cujus habenas moderatur femina. *Ieſai*
verſ. 11. Quam in ſententiam *Stobæus*, ſer
7.. *Ea familia, quæ à muliere gubernatur, nu*
quam felix fuit.

(2.) Quia eſt contra pudicitiam ſexui mulieb
congruentem, virilibus conventibus & offic
is ſe miſcere: Vnde *Romani*, ne privatam qu
dem rem agere feminas ſine autoritate volu
runt.

(3.) Quia requiſita magiſtratus in iis non ſunt
ſiquidem expertes ſunt 1. *Virium* ad tolera
dos labores neceſſariarum. Vnde *Tacitus: no*
imbecillis tantum & impar laboribus hic ſexu
ſed, ſi licentia adſit, ſævus, ambitioſus. 2. *Pru*
dentiæ & conſilij, quia mollis & incautus e
hic ſexus, *cujus conſilium*, ut *Tacitus* loquitu
fere in deterius tendit: Vel, ut leges civiles lo
quuntur, *plerumq; adverſus propria cōmoda la*
borat. Vnde femina apud *Euripidem: Mulier*
ſumus. ad omnia bona conſilia ineptiſſimæ. Me
morabilis eſt *Ariſtotelis* ſententia, lib. 1. Poli
cap. 5, τὸ ἄῤῥεν ἄρχον, τὸ δὲ θῆλυ ἀρχόμενον. *Ma*
imperare, fœmina parere nata eſt: quam in ſen
tentiam *Plinius* in Panegyr. *Sufficiat fœmin*
obſequii gloria. Et hinc eſt, quod olim in perpe
tuâ tutelâ fuerint conſtitutæ. *Cic.* in Orat. pro
Murena. 3. *Virtutum aliarum*, quæ in impe
rantibus requiruntur: quibus oppoſita fami
liaria habent, *Iracundiam*, *Crudelitatem*, *Cre*
dulitatem, quando potentiâ ſe armatas ſenti
unt, *Inconſtantiam*, *Timiditatem* & in conſici
endis negotiis *Tarditatem*.

II. Pro Imperio cum feminis quoque com
municando diſputant nonnulli.

(1.) *Inſexu femineo ſæpe quoque deprehenſa eſt in*
ſignis fortitudo. Vnde plures feminæ virilibu
curi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

curis feminarum vitia exuerunt: Quales fuerunt olim femina Scythicæ, *quæ cum viris bella inierunt:* Spartanæ, *quæ Pyrrho fortiſſimè reſtiterunt:* Cymbricæ, *quæ adverſus Marium ſe ſtrenue defenderunt:* Germanicæ veteres, *quæ inclinatas & labentes virorum acies reſtituerunt:* Britannicæ, *quarum ductu bella ſunt geſta, Tacito teſte:* Argivæ, *quæ egregiè repulerunt Cleomenem Spartanorum Regem.*

2.) *Neque prudentia deſtituitur ſexus hic: Vnde ſæpe neceſſitatibus circumventæ fœminæ ſaluberrima conſilia cœperunt. Vt conſtat de Clœlia virgine Romana: De uxore Regis Numæ; De Agrippinâ Neronis uxore: De Pulcheriâ Theodoſii uxore:* quæ ſæpè *ſalutaria fratri conſilia ſuggeſſit.*

3.) *Non infrequentia quoque ſunt exempla* γυναικοκρατίας *ſeu Imperii muliebris apud Indos olim. Celebris eſt apud Aſſyrios,* Semiramis: Apud *Arabes* & *Syros* Zenobia. *Apud Ægyptios,* Cleopatra: *Apud Scythas,* Tomyris: *Apud Græcos,* Irene: *Apud Anglos ſuperiori ſeculo,* Eliſabetha: propter quam fœmineo ſexui favere *Caſus* videtur, quando Polit. 1. c. 3. ait: *Natura fœminam ſæpe ſolertem, induſtria litteratam, educatio piam, experientia ſapientem fecit:* quo pertinet & illud, quod *Lipſius* allegat ex *Tacito: Inveniuntur fœminæ, quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerunt.* Exempla plura vide apud *Adam. Contzen* Polit. lib. 1. c. 26. §. 9.

Reſpon. 1. Rara ſunt illa *fortitudinis* & *prudentiæ* muliebris exempla, quæ à communi lege exorbitant, & in ſequelam non ſunt trahenda.

2. Plus *audaciæ* & *temeritatis* in pleriſque illis feminis fuit, quam *fortitudinis* veræ.

3. Dubium non eſt, quin viri potuerint olim requiri, qui regnis iſtis adminiſtrandis aptiores fu-

fuiſſent, ſi à regnorum legibus fuiſſent admiſ
quod negari abſque inſigni ſexus virilis ignom
nia non poteſt.

4. *Prudentia*, quæ in feminis prædicatu
plerunque in factis quibuſdam ſingularibus i
que paucis, enituit. Ad regnum verò longè m
jor, amplior & confirmatior requiritur: quæ nc
niſi multo rerum uſu paratur. Interim ubi co
ſuetudine recepta eſt γυναικοκρατία, ſua popu
libertas eſt relinquenda, neque temere quicqua
immutandum. Et Regibus quoque præferenc
Reginæ, quæ prudentius & fortius regna adm
niſtrant, quàm Reges. Vide *Danæum* Polit. Chri
lib. 6. cap. 3. A ſucceſſione in *Regno Galliæ* ſin
pliciter excluduntur fœminæ, per Legem Sal
cam. Contra *Angli* ad ſucceſſionem admittu
fœminas, admittunt & *Sueci*: admittit *famil.
Auſtriaca*: admittit *Clivia* & *Ducatus Iuliace
ſis*. Eſt & *Montisbelgardia* feudum fœmininum
ut & Ducatus *Tzecenſis*. Lymn. de I. P. lib. 4.
8. n. 108. 109. 110. &c.

THES. VII.

Hucuſque ſucceſſio liberorum: ſequitur ſucceſſi
agnatorum, quæ locum habet in defectu libero
rum & nepotum: Eſtque vel in eadem familia, u
bi ſucceſſio agnatorum fit ſecundum gradus præ
rogativam: vel in diverſis, per *pacta gentiliti*
perſonarum illuſtrium.

EXPLICATIO.

1. *Pacta gentilitia* (Germanicè Erbverbrüde
rung / Erbvereinigung.) in illuſtribus familii
ſunt, per quæ, familia & ſtirpe una illuſtri ex
tincta ad aliam patrimonium ejus & principa
tus certa ſucceſſionis lege pervenit, ad familia
rum ſeneſcentium ſplendorem & dignitatem
con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

onſervandam. Vbi obſervanda (1.) Pactorum orum *Exempla*. (2.) *Confirmatio* (3.) *Obligatio* 4.) *Teſtificatio*.

II. *Exempla* pactorum horum in *Imperio Romano-Germanico* ſunt inter *Duces Saxoniæ*, *Landgravios Haſſiæ & domum Brandeburgicam*.

Inter Electores Brandeburgicos & Duces Pomeraniæ: quod tamen reciprocum non eſt: ſiquidem *Pomerani Duces Marchionibus Brandeburgenſibus* viciſſim non ſuccedunt. Lymnæ. lib. 4. cap. 8. n. 175.

Inter Duces Saxoniæ & Principes Hennebergicos: quorum jam extinctorum Principatus ad Saxoniæ duces ex hoc pacto tranſiit.

Inter Duces Bavariæ & Principes Palatinos.

III. *Confirmatio* pactorum eſt ab autoritate & abſoluta poteſtate Imperatoris, qui pro plenitudine arbitrii efficit, ut paciſcentes *fratrum* loco habeantur.

IV. *Obligant* hæc pacta non tantum eos qui pepigerunt, ſed & ſucceſſores eorum: qui præſumuntur ejuſdem eſſe voluntatis & affectus cum prædeceſſoribus. His invicem devincti pactis ad auxilia mutua obligantur. Vnde & hoc fine ſanciuntur, ut, qui q. in unam familiam coierunt, mutuam ſibi defenſionem præſtent.

V. *Teſtificatio* pactorum horum fieri & renovari ſolet per *Homagium*, quod principibus omnibus confœderatis præſtant ſubditi. Etſi præſtatio hæc, vivente naturali Domino, non infert ſubjectionem, reſpectu aliorum confœderatorum: vide Lymn. de I. P. lib. 4. cap. 8. nu. 122. & ſeqq. Sunt hæc pacta olim inita inter vicinos principes, qui, legitimis hæredibus deficientibus ſubditis ſuis benè conſultum voluerunt, ſibique maluerunt ſuccedere vicinos & amicos, quàm peregrinos & à ſubditis alienos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

VI. *Pactis gentilitiis* quodammodo affinis eſt *Ganerbinatus*, quo olim diverſæ nobiles familiæ ad ſe ſuaſque facultates, contra vim & incurſiones latronum & prædonum hoſtiles defenderent, das *confraternitates* certis pactis inter ſe conſtituerunt, & ſecuritati ſuæ certas arces deſtinarunt communibus locupletatas reditibus, qui ad omnes confœderatos certa lege redundabant, ita ut in eadem *fraternitate*, extincta una familia, ad reliquos *confratres* portio ejus tranſierit. Hujuſmodi pacta Imperatorum confirmatione quoque roborata ſunt.

VII. De ſucceſſione, quæ *jure ſanguinis* obvenit, hoc denique obſervandum: Liberos & Agnatos in Regnis quandoque ſuccedere & Regna tenere, non *jure hæreditario*, ſed *Lege Regiâ*, & tum non teneri obligationibus privatis & perſonalibus ſuorum *Anteceſſorum*. Exempla occurrunt in Regno Galliæ. *Ludovicus XII. Pater populi* cognominatus, ſanguine proximus *Carolo VIII.* ejuſque Succeſſor, repetentibus tormenta bellica, quæ *Carolus VIII.* commodato acceperat, reſpondit; *ſe Caroli hæredem non eſſe. Franciſcus II.* ad Helvetios *Patris Henrici II.* debita repoſcentes in hanc ſcripſit ſententiam: *Tametſi debita paterna ſolvere non tenemur, cum hæc ſceptra non hæreditario jure habeamus, ſed Regiâ Lege, quæ iam inde uſque à primis Francorum Regibus lata ad mares proximos Imperium detulit, quæ non aliter nos obligari patitur, quam ad ea fœdera pactave, quæ cum exteris principibus ac populis, ad hujus Imperii utilitates & commoda à Majoribus noſtris contracta fuêre: Nihilominus tamen ut patris optimi & chariſſimi fidem religioſe tueamur, legitima ejus debita exſolvere decrevimus &c. Bodinus* lib. 1. de Republ. cap. 8. Simile quid inter Principes quoque uſitatum in ſucceſſionibus.

Thes. VIII.

Hactenus ſucceßio jure ſanguinis obveniens cer- : ſequitur *ſuſpenſa*, quæ in minorennibus, in ıtorum poteſtate adhuc conſtitutis locum ha- ːt. Hi enim ad Reipubl. adminiſtrationem, præ- rtim in Imperio & *Electoralibus familiis*, non dmittuntur, antequam, ad minimum, ætatis nnum decimum octavum compleverint.

Explicatio.

I. *Electorum* filiis minorennibus, defuncto pa- re, in *Aurea Caroli IV. Bullâ Tutor* conſtituitur *Agnatus proximus*. Vnde quæritur: *An Teſtamen- o defuncti Electoris conſtitutus tutor ſit præferen- ius agnato proximiori à teſtatore præterito?*

Reſp. Negativa probatur ſequentibus ratio- nibus:

(1.) Quia *Electoratus* non eſt in jure & poteſtate morientis, ſed lege defertur, & cum certa qua- litate, ut futurus Elector ſit in tutela *Agna- ti proximi*, uſque ad decimum octavum ætatis annum. Lex illa eſt in *Aureâ Bullâ* Caroli IV. Vnde de tutelâ non poteſt fieri diſpoſitio per teſtamentum, contra legem fundamenta- lem.

(2.) Si liceret morienti diſponere de tutelâ filii minorennis contra *Auream Bullam*, utique ſupervacanea eſſet diſpoſitio & ſanctio illa au- guſta. *Sunt enim in omni diſpoſitione ita accipi- enda verba ne deſtituantur effectu* l. ſi *ſtipulatus*. ff. de *uſuris*.

(3.) Iniquum eſt jus quæſitum alicui ſine ſuo fa- cto auferri: Atqui *agnatus proximus* jus illud dignitatis lege quæſitum habet: Non igitur ſine ſuo facto poteſt amittere.

II. Pro affirmativa excipitur

 (1.) *Cer-*

(1.) *Certi juris eſt, tutelam legitimam ceſſare, qu-ties ſperatur teſtamentaria.* l. ſi quis. 11. ff. de t-ſtamentariis tutelis : *Ergo teſtamento Electo-conſtituta tutela tollit diſpoſitionem Aur-Bullæ.*

Reſp. N. C. Quia *antecedens* loquitur de regu-la in communibus tutelis obſervandâ ; Conſ-quens de exceptione Regulæ, quam addit *Aure-Bulla*, quæ legi priori derogat.

(2.) *Voluntas teſtatoris lex eſt. Nov.* 22. *cap.* 2. §. *Ergo ad obedientiam obligat, non obſtante diſpo-ſitione Aureæ Bullæ.*

Reſp. N. C. quia non omnis voluntas teſtatori-vim habet legis: ſed ea tantùm, quæ contra ius ni-hil diſponit. Teſtamentum à tutela Electorali ex-cludens *agnatum proximum* diſponit, contra iu-*Aureæ Bullæ.*

III. Quæritur 2. *An ex Aureâ Bullâ Carol-IV. in Electoribus anno* 18. *ætatis tutela & cura fi-niantur, ita ut poſt annum* 18. *& Electores & Prin-cipatus adminiſtratores eſſe poßint?*

Reſp. *Affirmativa* probatur: Quia individu-us eſt nexus Electoralis dignitatis cum principatu & ejus juribus Tit. 20. *Aureæ Bullæ*; Adeoque ab-ſurdum eſſet, eum carere adminiſtrandi faculta-te, qui legis autoritate ad eminentiam Electora-tus eſſet vocatus.

IV. In contrariam ſenteniam excipitur & ob-iicitur, *declaratoria Sigismundi Imperatoris Bul-la.*

Reſp. Nihil illa præjudicat *Aureæ Bullæ*, quia obſervatio ejus nunquam invaluit: Et ſi maximè invaluiſſet, non ad Electores, ſed ad reliquos Principes, quò ad adminiſtrationem, referenda eſſet. Interim in utramque partem ſunt præjudi-cia in Electoratu *Palatino* & *Saxonico.*

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT IV.

DE SUCCESSIONE

In Regnis, quæ fit Jure belli, Connubiorum, Donationis & Teſtamenti: Nec non de illegitimis modis acquirendi adminiſtrationem.

THESIS. I.

FVit ſucceßio ex jure ſanguinis: ſequitur ſucceſſio ex *jure belli*, quo, quicquid eſt captum ex hoſtibus, Dominio victoris ſubiicitur.

EXPLICATIO.

I. Si legitimum ſit bellum, in jura & poſſeſſiones victi ſuccedit victor, lege humanâ & divinâ. De humana dubium nullum eſt. Vnde *Hotoman*. quæſt. Illuſt. 5. ait: *Victorem habere jus universale non particulare.* De divinâ videatur *Deut*. 20. Gen. 48. Probant idem omnium gentium exempla. Sed inprimis *legitimum* oportet ſit bellum. Nam ſi illegitimum ſit, Victor non eſt niſi prædo & latro, nulloque jure ſe poteſt defendere. Vnde *Lucanus* Alexandrum M. appellat orbis terrarum prædonem: *Seneca*, Latronem.

II. Quærunt Politici: *An princeps Chriſtianus juſtè poßit inferre bellum Barbaris nationibus, à quibus nunquam ipſe eſt læſus, & an juſto titulo ejusmodi provinciæ occupentur?*

Reſpondent, ut inquit *Keckerm. juſtam fore ejusmodi occupationẽ & regnum, ſi barbaræ nationes non invadantur libidine dominandi, non cupiditate gloriæ & divitiarum, non ex ultione privatâ*. Sed quotuſquiſque eſt, quem nihil horum ad barbaras terras ac nationes ſubjugandas ſtimulat?

lat? Neque tamen vel his obſervatis conditionibus ſatis probata nobis videtur cauſæ bonitas: præſertim ſi barbaræ gentes jam habeant ſuos Reges & Magiſtratus. Hi an juſtè poſſint Chriſtianis ſubjugari, nulla præeunte læſione, equidem non ſine cauſa dubito, imò intrepidè nego. Siquidem ſola gentis barbaries, & præſertim innoxia, non magis poteſt juſta belli offenſivi cauſa eſſe Chriſtianis, quàm Barbaris *profeſſio Chriſtianiſmi*. Probatione operoſa me ſublevat doctiſſimus *Hugo Grotius* in libello *de mari libero*, cap. 4. ubi ait, Thomæ, concilii Toletani, Gregorii & Theologorum Canoniſtarum, Iuriſprudentiumque fere omnium concluſionem eſſe: *Quantumcunque fides annunciata ſit Barbaris probabiliter & ſufficiẽter, & ſi noluerint eam reſpicere, non tamen licere hac ratione eos bello perſequi & ſpoliare bonis ſuis.* Allegat ibidem egregium textum *Cajetan.* ex comment. in ſummam *Thomæ*: inter alia hæc memorabilia ſunt: *Graviſſimè peccaremus, ſi fidem Chriſti Ieſu per hanc viam,* nempè per ſubjugationem Barbarorum) *ampliare contenderemus, nec eſſemus* legitimi Domini *illorum*: ſed magna latrocinia *committeremus, & teneremur ad reſtitutionem, utpote* injuſti debellatores *aut* occupatores.

THES. II.

Ex *jure connubiorum* legitima quoque ſucceſſio eſt; quia dotis loco ad maritum uxor afferre poteſt, quod in ſua habet poteſtate, ejuſque dominum conſtituere maritum.

EXPLICATIO.

Hoc reſpectu *Tacitus* ait: *matrimonium eſſe ad majora nitenti decus atque robur*. Hoc modo multas ſibi acquiſivit provincias *domus Auſtriaca*.

Maximilianus I. per *Mariam* Caroli Burgun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

diæ Ducis filiam ſortitus eſt *Belgium*.

Philippus ejus filius per *Iohannam* Regis Ferdinandi filiam univerſam *Hiſpaniam*.

Albertus Archidux per *Iſabellam* Hiſpanam potiores *Belgii* provincias.

Iohannes Clivenſis ducta *Guilhelmi* Iuliæ & Montenſium Ducis filia unica plures provincias.

Henricus Haßiæ Landgravius per filiam Philippi Comitis, Comitatum *Cattimelibocenſem*. Hoc vero modo qui ſuccedit, caveat, ne frena gubernationis à conjuge ſibi eripi patiatur.

THES. III.

Ex *titulo Donationis* ſucceſſio quoque eſt legitima, ſi, qui donat provinciam, donandi & alienandi jus habet.

EXPLICATIO.

I. Hoc modo *Galliæ* Regi donatus eſt *Delphinatus* à Principe *Vmberto*, Anno 1349. ea lege, ut Regis filius natu maximus, *Delphinus* diceretur, & *Galliæ* Rex provinciam illam tanquam Imperii feudum ab Imperatore recognoſceret.

II. *Pontifices Romani* in hanc uſque diem *Romam* & magnam *Italiæ* partem ſibi vendicant, ex titulo donationis factæ *Sylveſtro Papæ* à *Conſtantino* Imperatore Romano, *Conſtantinopolis* conditore, qui mortuus eſt anno Chriſti 337. 22. Maii.

Hanc donationem (1.) *fictam* & *falſam* eſſe (2.) ſi maximè vera eſſet, tamen *jure nullam* eſſe affirmant ICti & Politici præſtantiſſimi.

Falſam & *fictam* eſſe inde probant.

(1.) Quia priſci & fide digni autores, ſive ICti, ſive Hiſtorici, ut *Euſebius*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, *Ruffinus* & alii, qui vitam &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

res geſtas *Conſtantini M.* literis mandarunt, nullam ejus mentionem faciunt: Quis vero credat tam *prodigam donationem* ipſos ſilentio præterituros fuiſſe? Neque in toto *Iuris civilis* corpore ullum donationis hujus exſtat veſtigium.

(2.) Quia Regnorum diviſio inter filios tres, *Conſtantium, Conſtantinum* & *Conſtantem* facta eſt ab ipſo *Conſtantino* patre, qui *Conſtanti* Italiam aſſignavit: Vnde reliqui Imperatores ſedem Imperii ſui *Romam* habuerunt: quod non permiſiſſent *Papæ*, ſi aliquod jus habuiſſent.

(3.) Quia poſt *Conſtantinum* multi Imperatores ipſis quoque Pontificibus tulerunt Leges, ad quarum obſervantiam fuerunt adſtricti.

Quæ in contrariam ſententiam documenta adferuntur ex jure Canonico & aliis Pontificiis ſcriptoribus, omnia ſunt ficta & falſa.

Iure vero *nullam* eſſe ſi maximè facta eſſet à *Conſtantino*, probatur;

(1.) Quia non potuit *Conſtantinus*, per leges Imperii, Regalia in præjudicium ſucceſſorum alienare: qui non diminuere ſed augere debuit Imperium. Vnde *Baldus* ſcribit: *Imperium non eſſe in marſupio Principis, ita ut ejus jura peſſundare & inſtar pecuniæ per feneſtram eiicere liceat.* Et *Bartolus* cum contra *Donationem* hanc prolixè diſputaſſet, tandem concludit: *Videte quia nos ſumus in terris Eccleſiæ, idcirco dico, quod illa donatio valet.* Quaſi diceret aliter ſe pronunciaturum, ſi extra terras Eccleſiæ eſſet.

(2.) Quia *Pontifex* non fuit capax iſtius doni. Non enim ejus eſt, dominari in Republ. ſed ſacra peragere, & ſecularibus Imperatorib. parere. *Principes gentium dominantur; vos autem non ſic*; inquit Chriſtus ad Apoſtolos & ſuc-

ſucceſſores, inter quos haberi *Pontifices* volunt. Matth. 20. v. 25. 26.

THES. IV.

Ex *jure Teſtamenti* legitima ſucceſſio eſt, ſi is, qui per ſucceſſionem jus plenum de ſuo regno diſponendi habet, alium regni vel principatus hæredem inſtituerit.

EXPLICATIO.

Sic *Attalus* Rex Pergami Teſtamento hæredem Regni ſui ſcripſit *Populum Romanum*. Idem fecit *Alexander Ægypti Rex* & *Nicomedes Bithyniæ Rex, Ptolemæus Cyrenenſium, Eumenes Pergami, Cottius Alpium*, Reges. *Bodin.* lib. 1. cap 8. *Methildis* ſuas in *Tuſciâ* & *Longobardiâ* ditiones Patrimonio *Divi Petri* adjeciſſe dicitur.

THES. V.

Hucuſque modi adminiſtrationem Reipubl. legitimè acquirendi: Illegitimus acquirendi modus eſt per vim, fraudem & largitiones.

EXPLICATIO.

Exempla in hiſtoriis paſſim ſunt obvia. Per vim ſe olim in Regnum *Romanum* ingeſſit *Tarquinius Superbus*, Rex Romanorum ultimus, qui, Patrum primoribus interfectis, regnum rapuit.

Agathocles, qui per cædem Senatorum invaſit principatum *Syracuſanum*.

Hodiè *Turcarum* Imperatores imperium auſpicantur à cæde fratrum, majoris ſecuritatis ergò.

Per fraudes, largitiones & emptiones ſuffragiorum ſæpiſſimè occupantur regna: In Romano Imperio multa ſunt exempla, inter quæ *Nero, Iulianus, Iuſtinus* & alii multi.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPUT V.

DE INAVGVRATIONE Magiſtratus & obligatione per Iuramentum.

THESIS I.

HActenus modi deferendi Magiſtatum : ſequitur *modus inaugurandi :* ſiquidem adminiſtrationem delatam ſequitur inauguratio : Vbi præcipuè obſervanda inſignia regalia & Imperatoria, quæ apud varias gentes olim fuere, & adhuc ſunt varia. Inter ea *Diadema, Crux, Annulus aureus, Faſces, Haſta,, Veſtis purpurea, Trabea, Cidaris, Campagus, Sceptrum, Scutum, Tiara & prælatio ignis.*

EXPLICATIO.

Inſignia Majeſtatis Imperatoriæ & *Regiæ*, quæ in inauguratione adhibebantur, & poſtmodum ab Imperatoribus & Regibus uſurpabantur, & ex parte nunc quoque in uſu ſunt, in Theſi enumerantur : De quibus ſequentia obſervanda.

(1.) *Diadema* erat faſcia candida, quæ capiti Regis vel Reginæ circumligabatur : Olim Imperatoribus *Romanis* quoque uſitata. *Græcum* nomen διάδημα, à verbo διαδέω circumligo, Hodie *Diadematis* loco Corona Regibus & Imperatoribus imponitur : quæ *Diadematis* nomen quoque ſortitur.

(2.) *Crux* Imperii etiamnum ſignum eſt : De qua *Hieronymus : Regum purpuras & ardentes Diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.*

(3.) An-

3.) *Annulus aureus* ſignum erat traditæ poteſtatis: Ita *Alexander Hepheſtioni* porrectione annuli poteſtatem conceſſit.

(4.) *Faſces virgarum* in Republ. *Romanâ* inter præcipua Majeſtatis inſignia erant. Eas cum ſecuri lictores *Romulo* & dein *conſulibus* præferebant. His enim inſtrumentis autoritate & juſſu magiſtratus coërcebantur delinquentes. Faſcibus affines *virgæ Laureatæ*, quibus à privatis dignoſcebantur Principes.

(5.) *Haſta* olim Regibus, teſte *Iuſtino*, pro *Diademate* & *ſceptro* erat.

(6.) *Purpurea veſtis* rubicundo colore ſanguinis Imperium & necis inferendæ poteſtatem notabat. Vnde nemini olim licuit *purpuram* geſtare, niſi ſoli principi: Et qui Imperatores ſalutabant, dicebantur *ſacram purpuram adorare*.

(7.) *Trabea*, veſtis erat togata purpura circumdata, quæ aureis nectebatur fibulis.

(8.) *Cidaris* inſigne capitis regium erat apud *Perſas*, quod cærulea faſcia ala diſtincta circuibat.

(9.) *Campagus*, calceamenti erat genus ſolis uſitatum Principibus.

(10.) *Sceptrum* omnibus Regibus uſitatum inſigne: Cujus variæ apud varias gentes olim figuræ erant.

(11.) *Tiara*, capitis ornamentum Regium fuit, *Perſis* uſitatum, quo pro *Diademate* vel *Corona* utebantur.

(12.) *Ignis prælatio* Romanis quoque uſitata à *Perſis* originem traxit. Illi primi Regibus ſuis ignem prætulerunt.

THES,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. II.

Denique *obligatur* quoque magiſtratus præſtatione *juramenti*; quo ad ſalutem Reipubl. omnibus modis conſervandam & procurandam, ſecundum ſtatuta Reipubl. ſe obſtringit Magiſtratus.

EXPLICATIO.

I. *Iuramentum* per ſolum DEVM concipi debet quia ſolus ille eſt cordium inſpector,& jurantem, ſi ſciens fallat, punire merito poteſt. Impiè igitur *Romani* jurabant per *Iovem Lapidem*. *Arcadesque* per aquam Stygis: *Neſamones* per viros optimos: *Socrates* per anſerem: *Diogenes* per canem: *Agamemnon* per porcum: *Alii* vel per caput ejus, quem chariſſimum habebant: vel per oſſa, vel per cineres parentum: vel per oculos.

II. Olim ii, quibus apud *Romanos* committebatur adminiſtratio, cogebantur jurare, *ſe ad obtinendam adminiſtrationem neque dediſſe quicquam, neque daturos poſtmodum ſive per ſe, ſive per alios: Et ſe nihil penitus, tam in adminiſtratione, quam poſt depoſitum Officium, pro præſtitis beneficiis accepturos* L. *ſancimus* 6. C. Ad. L. *Iuliam*. Hodie in Angliâ qui ad Epiſcopatus evehuntur. poſt collatam dignitatem jurejurando publicè affirmant, nullis largitionibus dignitatem acquiſiviſſe. Laudandi certè, quia conſcientiam heîc teſtem habent.

CA-

CAPVT VI.

DE VIRTUTE MAGISTRATUS INTERNA AD IPſUM RELATA MAGIſTRATUM.

THES. I.

HVcusque adminiſtrationis togatæ efficiens in magiſtratus delatione, inauguratione & obligatione conſiderata: Sequitur materia ſeu ſubiectum, qui eſt ipſe Magiſtratus & inprimis princeps, ex adiunctis *probus* vel *improbus*.

THES. II.

In *probo* conſideranda (1) *virtus* (2.) *virtutis præmium*.

THES. III.

Virtus Principis ad triplex refertur objectum (1.) Ad DEVM (2.) *ad ipſum principem* (3) *ad alios quibuscum ei negotium eſt*.

EXPLICATIO.

Maximè neceſſarium Principi *virtutis ſtudium*, ſine quo ad optatam & ſalutarem metam, quæ *ſalus* eſt *Populi*, nunquam perveniet: Vnde *Cyrus* apud *Xenophontem* nulli cenſet Imperium convenire, qui melior non ſit iis, quibus imperat. Et *Ariſtotel.* 5. Polit. cap. 10. *Rex conſtituitur ex idoneis aptisque ob eminentiam virtutis, aut actionum, quæ à virtute.* Et *Auſonius*: *Qui rectè faciet non qui dominatur, erit Rex.* Vix unquam benè moratos habebit ſubditos Princeps, qui virtutem ipſe negligit. Atqui *ille Reipublicæ ſtatus optabilis & firmus eſt, in quo privatim ſanctè innoxieque vivitur*: Polyb.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Virtus Principis *ad* DEVM relata eſt *pietas*, quæ conſiſtit in cognitione & cultu DEI, ſecundum verbi divini præſcriptum.

EXPLICATIO.

I. *Pietas* in omnibus requiritur hominibus, maximè verò in principe.

(1. Quia *exemplo* ſuo plurimum vel nocet, vel prodeſt Princeps. Eſt enim veluti *ſpeculum*, in quod aſſiduè intuentur ſubditi: Ita quidem, ut & virtutum & vitiorum in eo relucentes imagines imitentur, & jure meritoque à ſe fieri putent, quicquid Principem facere vident. *Pietatis* igitur faculam ſi præferat ſubditis, plerunque ſequuntur. Sin *impietatis*, non minus ſequuntur. Vnde devolvit in ſe impius princeps, omnem ſubditorum impietatem, quam exemplo ſuo, vel negligentiâ provocavit.

(2.) Quia grave eſt adminiſtrationis onus: quod præſens numinis requirit auxilium: Id verò non niſi pietate ita impetrari, ut ſalutare ſit, poteſt: Vnde ex *Platonis* legibus ad Imperii gubernacula adhiberi nemo debebat, niſi pius & divinis ſtudiis operatus: quia impietas plerunque cum crudelitate eſt conjuncta.

II. Sunt autem duo pietatis quaſi rami, quibus coronari Principem par eſt, quavis lauro præſtantiores; *ſenſus de DEO rectus* & *cultus Ejusdem ſincerus*. Aureum hunc utrumque ramum DEI verbum monſtrat, è quo probe informandus & excolendus princeps ante quàm Reipubl. clavum regere incipiat. *Rectus de DEO ſenſus* agnitio eſt DEI, quo ad naturam & proprietates

ejus,

jus, quoad perſonas in naturâ unicâ & ſimpliciſſimâ ternas, quo ad voluntatem, quo ad opera; quæ maximè nobis commendant potentiam, miſericordiam & juſtitiam DEI. *Sincerus Dei cultus* internus & externus eſt: *ille* in internâ conſiſtit ſanctimoniâ ad Deum præcipuè relata, quæ omnem elidit hypocriſin: *hic* in externis ſanctimoniæ exercitiis ad verbi divini præſcriptum inſtitutis & frequentatis.

THES. V.

Ad ipſum principem relata virtus vel *internam reſpicit animi diſpoſitionem*, vel *externam corporis animique curam*.

THES. VI.

Interna animi diſpoſitio digna principe conſiſtit in habitu & exercitio ſobrietatis, caſtitatis, magnanimitatis, fortitudinis & modeſtiæ.

EXPLICATIO.

I. *Sobrietas* mediocritatem in cibo & potu præſcribit, *luxumque* & *ebrietatem*, tanquam peſtes corporis & animi proſcribit. Hæc, de ſententiâ *Auguſtini*, *Mentis & ſenſus, membrorum omnium corporiſque tutela eſt, caſtitatis pudiciaeq; munimentum, pudori proxima, honeſtati ſemper conjuncta, diſponitque cuncta cum ratione*. Eſt autem *ſobrietatis* ſtudium vel inprimis principi & cuivis in Magiſtratu conſtituto neceſſarium: quia tam nihil principem decet, quàm *ſana ratio* & *prudens conſilium*. Vtriuſque veluti mater eſt *ſobrietas*. Vnde *Socrates* ajebat, *Animam ſiccioram, h. e. in epulis & vino non natantem, eſſe ſapientiorem*. Cum è contrario *ebrietas*, ex *Pythagoræ* ſententiâ, *ſit voluntaria inſania*: *Neque in ſua poteſtate ſit animus ebrietate devinctus*. Seneca. *Artecet*, inquit Xenophon, *intemperantia ſapientiam, & ab hominibus ſtudia honeſta impedit*.

Ebrieta-

Ebrietatis filiæ ſunt, Rixæ, Iurgia, Cædes, improbæ libidines, & arcanorum proditiones: De quibus eleganter *Seneca* : *Vt muſto dolia rumpuntur, & omne, quod in imo* jacet, *vi caloris ejicitur: ita ebrii omne quod in ſecreto pectoris concluſum habent, vini calore ejiciunt. Egyptii* igitur, cum intelligerent tam indignam Principe & Rege ebrietatem eſſe, ad *ſobrietatem* Reges ſuos, certâ cibi potuſque præſcriptâ menſurâ, aſſuefecerunt. Et, ſecundùm *Solonis* legem, Princeps, ſi ebrius deprehenderetur, morte mulctandus erat. De *ſobrietate* & *ebrietate* diſſerentem, vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 3. cap. 14. ubi probat eam eſſe Reip. firmamentum.

II. *Caſtitas* omnes illicitos amores fugit fugatque, & in licitis quoque mediocritatem ſervat, Hæc pellicum greges à principum aulis excludit, corpuſque ab omni purum maculâ conſervat, omnia pravarum libidinum incentiva vitat, obtutus vagos cohibet, ſermones immodicos picturaſque averſatur. Digna virtus Principe, quem & animo & corpore purum nitidumque eſſe decet, & *vivam omnis honeſti imaginem*. Nam *in animo per libidines corrupto nihil honeſtum ineſt. Tacitus*. De *caſtitate* & *pudicitiâ* prolixè diſſerentem vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 3. cap. 12.

III. *Magnanimitas*, quæ videntur acerba, ita fert, ut nihil â ſtatu naturæ diſcedat, nihil à dignitate ſapientis: *Cicero. Magni animi*, inquit Seneca, *eſt placidum eſſe tranquillumque & injurias atque offenſiones ſuperne deſpicere*. Neceſſaria Principi virtus: Cui multa obueniunt acerba, quibus ſuccumbere à principis magnitudine alienum eſt. Itaque & *linguæ lubricitas* atq; *intemperies* quandoque ferenda principi, exemplo *Auguſti* & *Tiberii*, Cæſarum. *Magnanimitatis* eſt frenare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

are *iram*, quæ ubi principem ſibi mancipat, to-
m Rempub. funeſtat. Conſule *Adam, Contzen:*
e Republ. lib. 3. cap. 15. 20.

IV. *Fortitudo* quaſi ſcutum eſt Principis, quo
dverſa quævis elidit & ſuperat. Hæc *humanæ*
nbecillitatis munimentum inexpugnabile: quod
ui circumdedit ſibi, ſecurus in hâc vitæ obſidione
erdurat.: Seneca. Tantò magis Principi neceſſa-
ia virtus hæc, quantò majora ſæpè celſas princi-
um fortunas urgent incommoda: vide *Adam.*
ontzen. Polit. libro 3. cap. 17.

V. *Modeſtiæ fama,* inquit Tacitus, *nec à ſum-*
mis mortalium aſpernanda: quia *omnis virtutis eſt*
promptuarium, Menandro teſte. Igitur ex mode-
ſtiæ ſuaſu cogitant principes *non minus ſe eſſe ho-*
mines, quàm hominibus præeſſe, & à communi illâ
lege, omnibuſque indictâ mortalibus conditio-
ne minimè exemtos eſſe. Quare Spiritus ponunt,
& fortunæ ſuæ celſitate non inſoleſcunt, dum
cogitant, *magnas arbores, quæ diu creverunt, ſæpè*
unâ horâ exſtirpari. Vnde nec divinis ſeſe affici
honoribus, nec inſolentium titulorum mole pre-
mi patiuntur, nedum ut ipſi iis ſe onerent, inſo-
lentiam ſecuti Regis *Saporis*, qui ſe appellabat
Regem Regum. Principem ſiderum, Fratrem Solis
& Lunæ. Simili titulorum multitudine olim ine-
ptiebant *Caligula, Commodus* & alii. Temperatam
gravitate modeſtiam in *Germanico* laudat *Taci-*
tus: *Viſu,* inquit, *& auditu venerabilis, cum mag-*
nitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retine-
ret, invidiam & arrogantiam effugerat. De *mode-*
ſtiâ vide *Contzen* libro 3. cap. 19.

VI. Præter haſce virtutes in principe quo-
que commendari ſolet *forma* & *robur corporis.*
Vnde tanta olim *Barbaris* in corporum majeſta-
te veneratio fuit, ut *magnorum facinorum non ali-*
os capaces putarint, quàm quos natura eximia do-
naſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

naſſet ſpecie. Curtius. Indi & *Æthiopes* nemine olim principem elegerunt, niſi forma decorum. Et, *Bartholomæus Catta, Epiſcopus Mediolanenſis,* ad aulæ ſuæ miniſteria neminem admiſit niſi qui forma præſtaret, hac uſus ratione: *quod improbitas in formâ egregiâ raro comperta ſit.* Neque negari poteſt, ſæpè elegantem corporis formam bonæ mentis indicium eſſe. Pertinet huc illud *Ovidii*, quod *Paridi* tribuitur;

> *Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar.*
> *Indicium tectæ nobilitatis erat.*

Ita deforme corpus ſæpè animum loquitur monſtroſum. Vnde illud *Poëtæ:*

> *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus;*
> *Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.*

Gratianus diſt. 47. ex *Auguſtino* hæc allegat verba: *cujus facies deformis eſt, vix poteſt habere bonos mores.*

Sæpè tamen fallunt quoque hæc externa corporis indicia. *Commodus* Imperator omnium ſuæ ætatis erat formoſiſſimus, & tamen ſceleſtiſſimus: Contra deformis erat *Socrates*, ut & *Æſopus*, qui tamen animi dotibus admodum excellebant. Quam in ſententiam *Seneca: Poteſt ingenium fortiſſimum & beatiſſimum ſub quâlibet cute latere: Poteſt ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus & magnus exire; Non enim deformitate corporis fœdatur animus: ſed pulchritudine animi corpus ornatur.* In mente, non in fronte ſedent virtutes, inquit *Caſus*, in Polit. libro 3. cap. 11.

CAPVT. VII.

DE PRINCIPIS VICtu, veſtitu, receſſu & recreatione.

THESIS. I.

VIrtus *ad Principem* relata, eaque *externa*, corporis animique curam reſpiciens eſt moderatio *(1.)* in *victu (2.)* in *amictu 3.)* in *receſſu (4.)* in *recreatione* corporis animique per exercitia.

THES. II.

Victus principis etſi lautior, quàm vulgi, tamen ad frugalitatem quoque compoſitus eſſe debet, ab omni luxu remotus.

EXPLICATIO.

Frugalitatem in victu ſuadere principibus poſſunt *rationes* & *exempla*. *Rationes* ſunt

(1.) Quia frugalitas eſt ſanitatis conſervatrix: paucis natura contenta eſt : quæ ciborum multitudine & nimiâ varietate non juvatur, ſed opprimitur. Sanitatis autem ratio vel inprimis habenda principi : quia ritè fungi officio ſuo lecto affixus & morbis impeditus non poteſt.

(2.) Quia autoritatis quoque apud prudentes eſt conciliatrix. Fugere enim luxum, cum ſequi per vires & facultates poſſis, magnæ laudis eſt animumque arguit ſublimiorem & diviniorem, quàm ut à gulæ irritamentis ſe ſubjugari patiatur. Hinc admiratio, veneratio & autoritas.

(3.) Ingenii & prudentiæ eſt altrix : Quo enim minus gravatur corpus cibo potuq;, eo magis at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

attollitur animus, & in officina ſua, h. e. cerebro, à fumis & fuligine purgata nitidaque conſilia format pulchriora. Vnde *luxurioſorum corpora in ſagina, animos in macie & veterno eſſe*, ait Seneca.

Exempla frugalitatis egregia ſunt in multis principibus, præſertim in *Auguſto*, qui cœnam tribus ferculis, aut, cum abundantiſſimè, ſenis præbebat, ut non nimio ſumtu, ita ſumma comitate. *Auguſtum* ſecutus *Tiberius*, qui ut exemplo parſimoniam publicam juvaret, ſolennibus cænis etiam pridiana & ſemeſa obſonia appoſuit. Contra verò portenta illa Imperatorum, *Heliogabalum* & *Caligulam* ob luxum infamia paſſim lancinant ſcriptores. Ille ſexcentorum ſtruthionum capita in una cœna exhibuit, ut inde cerebella ſaltem ederentur: Iſte ex auro quoque panes & obſonia appoſuit.

THES. III.

Amictus Principis etſi non ſordidus, tamen modicus & minimè peregrinus eſſe debet.

EXPLICATIO.

I. Cur *Principis amictus* non ſordidus eſſe debeat, rationes ſunt:

(1.) Quia ſordes in amictu viri principis arguunt vel avaritiam, vel extremas animi inquinati ſordes: Purus enim animus purum quoque domicilii ſui, h. e. corporis, amat amictum.

(2.) Quia per nimis vilem habitum dignoſci à privatis princeps non poteſt, adeoque cum à neſciis tum à conſciis ſolet contemni: quod *Ageſilao* in Ægyptum legato accidit. Hinc ſæpè quoque vilia iis miniſteria injunguntur.

II. Cur autem idem *modicus*, & non nimis ma-

magnificus ac pretioſus eſſe debeat, *rationes* docent & *exempla*. *Rationes* ſunt:

(1.) Quia, de ſententiâ *Iuliani* Imperatoris, turpe eſt ſapienti, cum animum habeat, captare laudes ex corpore: Quam in ſententiam *Ariſtoteles* ad *Alexandrum M.* ait, *longè pulcrius eſſe, magisque regium, animum præ ſe ferre civilem & compoſitum, quàm corporis veſtem.*

(2.) Quia, ut *Marius* apud *Saluſtium* ait, *munditiæ mulieribus, viris labores conveniunt*. *Quintilianum* ſi roges, monilibus & margaritis, quæ ſunt ornamenta feminarum, viros deformari reſpondebit.

Exempla ſunt inſignia in *Auguſto* Cæſare: De quo *Suetonius* cap. 73. *Veſte non temerè alia, quàm domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia & nepotibus confecta.*

In *Hierone* Rege, de quo *Livius* lib. 20.

In *Alphonſo Arragonum* Rege, qui, cum veſtitu ſuo non multum diſcreparet à popularibus ſuis, admonitus à quodam, ut regio ornatu incederet, reſpondit, *ſe malle moribus & autoritate apud ſuos excellere, quàm Diademate & purpura.* Eadem vox erat *Alexandri Severi* Imperatoris.

III. Cur denique principis veſtitus non debeat eſſe *peregrinus*, ratio eſt: quia popularium animos admodum abalienat priſtini habitus mutatio. Vnde amorem erga *Alexandrum* exuerunt *Macedones*, cum relicta veſte *Macedonica* induiſſet *Medicam*. Sic ob peregrinum veſtitum *Cajus* & *Heliogabalus* Romanis ſe exoſos reddiderunt. *Priſci veſtitus mutatio morum arguit priſcorum mutationem*. Quod exemplo ſuo noſtra confirmat *Germania*, quæ ut omninm nationum veſtes, ita & vitia induit.

THES. IV.

Receſſus à cõſpectu vulgi in principe aliquis requi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quiritur, non tamen vel aſſiduus, vel nimis diuturnus.

EXPLICATIO.

I. Aliquem requiri à conſpectu vulgi *receſſum* dictat *ratio*: quia *continuus aſpectus minus reverendos magnos homines facit*: Livius. Et *parit nimia converſatio contemtum*: *Raritas conciliat rebus admirationem*. Apulejus. *Majeſtati major ex longinquo reverentia:* Tacitus. Ita *Tiberius* è medio ſe ſæpius amovit, ut, vitato aſſiduitatis faſtidio, autoritatem abſentiâ tueretur. *Sueton.*

II. Non tamen vel *aßiduus* vel *nimis diuturnus* eſſe debet Principis receſſus, qualis olim erat Regum *Perſicorum*: quia ſuperbiæ ſuſpicionem movet ſubditis, & honorandi atque amandi principes præcidit occaſionem. Siquidem ignoti nulla cupido eſt, Nec tam afficiunt animum, quæ audiuntur quàm quæ videntur.

THES. V.

Recreatio corporis & animi poſt arduos adminiſtrationis labores neceſſaria quoque viro principi eſt, ſed ea, quæ dignitatem ejus decet.

EXPLICATIO.

I. Neceſſitas *recreationis* ſimili probatur: Vt enim arcum remittimus, quo melius tendi poſſit: Ita recreandus honeſto otio animus, ut ad labores reddatur vegetior:

Quod caret alternâ requie durabile non eſt.

II. Recreationes corporis animique principibus viris & Regibus uſitatas legimus. *Venationem Alexandro M. Pompejo, Trajano, Antonino Pio, Hadriano, Maximiliano I.* & hodie pleriſque principibus. *Piſcationem, Auguſto. Pilam Alexandro, Auguſto, Veſpaſiano; Picturam Hadriano,*

Spar-

Spartiano, *Marco Antonino*, *Alexandro Severo*. *Muſicam inſtrumentalem*, *Neroni*, *Adriano*, & aliis: Vbi tamen maximoperè cavendum, ne hæc corporis animique exercitia ita frequententur, ut adminiſtrationis officia negligantur. Venari non indecorum principi, ſed venatorem eſſe. Nam *qui beſtias ſæpe inſectantur*, inquit *Eraſmus*, *beſtialem animum induunt*. Vnde *Keckermanno* teſte, nonnullis Venator definitur, *una beſtia ſedens ſuper beſtiam & inſequens aliam beſtiam*.

CAPVT VIII.

DE VIRTUTE PRINcipis ad ejus Vxorem, Liberos, Conſiliarios, Miniſtros & Subditos relatâ.

THESIS. I.

H*Actenus virtus Principis ad ipſum Principem relata, cùm interna, tùm externa*: ſequitur virtus ad eos, quibuscum illi negotium eſt, relata. Eſt autem Principi negotium (1.) Cum *neceſſariis* (2.) Cum *officiariis* (3.) Cum *ſubditis* in ſpecie ſic dictis.

THES. II.

Neceſſarii Principis ſunt (1.) *Conjux*, quæ rectè regenda, non facilè ad ſecretiora adhibenda, nec nimis ſumptuoſè & delicatè habenda. (2.) *Soboles*, cui idonei ſtudiorum & morum formatores præficiendi. (3.) *Fratres*, qui ꝓ dignitate & ſplendore familiæ ſunt ſuſtentandi certisque officiis ſi digni ſint, ornandi. (4.) *Sorores* quæ hono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

rificè elocandæ. 5.) *Agnati* & *Cognati*, quibus pro jure ſanguinis honos exhibendus.

THES. III.

Officiarii ſunt vel *ſuperiores* & honoratiores, qui *conſiliarii* nominantur: qui intus & in cute ſunt noſcendi, & ad gubernacula ſoli non evehendi: Vel *inferiores*, quos in ſpecie *miniſtros* appellamus, qui intra rectos diſciplinæ limites ſunt retinendi, & promtâ animadverſione in virtutis & officii viam, poſtquam exorbitarunt, revocandi.

EXPLICATIO.

I. Tota gubernationis alea ſolis *conſiliariis* non eſt committenda: quia potiſſima hujus curæ pars ad principes pertinet, qui ad gubernacula Reip. ideò ſunt evecti, ut ſuis ea oculis, pedibus & manibus regant. Vnde ab ipſis potiſſimum rationes exiget DEVS, cujus in hiſce terris vicem gerunt. Merito igitur *Galbam* Imperatorem perſtringunt ſcriptores, qui trium hominum regebatur arbitrio, quos unà & intra palatium habitantes, vulgò *pædagogos Galbæ* appellabant.

II. In miniſtros delinquentes præſtat promtè animadvertere, quàm conceptam animo indignationem diu fovere, & vultu torvo pertinacem iram prodere. Nam & ſibi hoc modo nocent principes, & miniſtros plerunque meliores non reddunt.

THESIS IV.

Subditis Princeps debet (1.) *Iuſtitiam* (2.) *Clementiam* (3.) *Prudentiam* (4.) *Liberalitatem*.

EXPLICATIO.

I. *Iuſtitiâ* æqualiter erga ſubditos adminiſtratâ ſtabilitur Principatus: *ſine hac nihil in Imperii admi-*

adminiſtratione laudabile efficitur : Cicero : *Sine hâc regna nihil aliud ſunt , quam magna latrocinia* : Auguſtinus. *Iuſtitiâ & pietate Principes Dij ſiunt* : Auguſtus apud Senecam. Et *Iuſtitiæ fruendæ causâ olim benè morati Reges ſunt conſtituti.* Cicero. Obſervantiſſimus Iuſtitiæ *Maximilianus I.* quando loca ſuppliciis ſontium deſtinata præteriit, venerabundus dixit : *Salve Iuſtitia.*

Maximè verò efflorescit Iuſtitia in *fide* & *conſtantia* dictorum , factorumque , non tantum ergà ſubditos, ſed & alios exteros quibuscum contrahit. Vnde *Baldus* : *Princeps , qui mutuæ fidei eſt vindex , debet eſſe immobilis , tanquam lapis angularis , & Polus in cœlo.* Eſt enim ſola mutatio voluntatis juſtæ in Principe indigna ejus Majeſtate & poteſtate : Et *fidem fallere , in aliis eſt probroſum , in Principe abominabile : Baldus.* Hinc Principum etiam inferiorum *verba* juramentis æquiparantur. Neque amicis ſolis , ſed & hoſtibus Princeps debet fidem , hoc eſt, dictorum, factorumque conſtantiam : Vnde fœdè ſuggillatur *Philippus Macedonum Rex* , qui juramento publico velut *monetâ* publicâ utendum cenſebat, nempe pro Regum Regnorumque commodo : quod violare liceat , ſi incommodum videatur pariturum : Hæc *Punica* appellari *fides* ſolet, ob quam infames *Pœni.* In *Romanis* maximè laudatur fides etiam hoſtibus ſervata : quorum perfidiam quoque graviſſimè vindicarunt. Vnde in perfidiæ repetitæ pœnam *Attalo Pergami Regi*, poſt triumphum , dextram juſſerunt præcidi. *Perfidioſum & nefarium eſt fidem frangere , quæ continet vitam.* Cicero. Cum Eccius olim & alii Carolo V. perſuadere modis omnibus laborarent , ut fidem Luthero datam violaret , in hæc Imperatore digna erupit verba : *Etiamſi fides toto terrarum orbe exularet , tamen apud Im-*

peratorem immaculata manebit. Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 6.

Pertinet ad hanc materiam quæſtio, *An ſalva juſtitia, Princeps vel Magiſtratus adferre damnum privato poſſit, publici boni cauſa?* Exempli gratia; *Privatorum ædes ſubruere, hoſtes deſtruere, ſegetem exurere, prædia diruere, pecora abigere & jugulare, civitatis vel provinciæ alicujus conſervandæ & contra hoſtem defendendæ, vel ſeditionis compeſcendæ, &c.* cauſa.

Affirmativam amplectuntur etiam Politici religioſi; negantque injuriam privatis ſubditis fieri, ſi in cauſa *inevitabilis neceſſitatis* per damna ipſorum publicæ conſulatur ſaluti: Quia Reipubl. hoc debent ſubditi, ut non tantum fortunas ſuas, ſed & vitam, ſi neceſſitas flagitet, pro conſervatione ejus impendant. Iure igitur de injuria conqueri non poſſunt: imò atrocem Reipubl. injuriam faciunt, ſi laboranti ſuccurrere recuſent.

Duo tamen heîc maximè declinandi ſcopuli:

(1.) *Ne Magiſtratus ad damna ſubditorum feſtinet, ſi evidens nulla urgeat neceſſitas, & aliter conſuli poſſit ſaluti publicæ.*

(2.) *Ne ſub prætextu boni publici per privatorum damna Magiſtratus privata ſua quærat commoda: nec pro bonis publicis habeantur quæcunque ad perſonas redundant publicas.*

Dabit & hoc operam Magiſtratus, ut, ſi fieri poſſit, aliquo modo privatis compenſet damna data. Quæ verò moraliter mala ſunt, & in DEI legem impingunt, publici boni cauſa, nunquam ſunt permittenda. Eſt vero juſtitiæ palma Principi in meta non in carceribus figenda, ut cum *Lipſio* loquamur, hoc eſt, per omnem Imperii curſum circumferenda, non inter initia ſaltem oſtentanda: *ne initia*, ut Tacitus loquitur, *ſint me-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

meliora, ſed finis inclinet: quod, proh dolor, nimis eſt frequens.

II. *Clementia*, animi à pœnâ aut vindictâ ad lenitatem cum judicio inclinantis virtus principum propria eſſe debet: Nam qui benignitate & clementia Imperium temperant, his candida & læta ſunt omnia: etiam hoſtes æquiores, quam illis cives.

Errat, inquit Seneca, *ſi quis exiſtimat, tutum eſſe ibi Regem, ubi nihil à Rege tutum eſt: Securitas ſecuritate mutua paciſcenda eſt: ſalvum Regem in aperto clementia præſtabit. Nulla alia re*, inquit Cicero, *homines ad Deum propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Hæc nullum ex omnibus magis quàm Regem aut Principem decet.* Seneca. Aurei ſunt verſus *Senecæ*:

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros:
Conſulere Patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hâc cœlum via.

Vtinam *Senecam* heîc audirent *Reges* & *Principes!*

Celebris apud Scriptores eſt Clementia *Philippi* Regis Macedonum, & filii ejus *Alexandri*. *Veſpaſianus*, Imperator nullius unquam cæde lætatus, etiam juſtis ſuppliciis illacrymavit & ingemuit. Hunc filius *Titus* imitatus eſt, qui periturum ſe potius, quam perditurum adjurabat.

Eſt autem *clementiæ*, pro ratione circumſtantiarum ſtricti juris rigorem mitigare & ad miſericordiam potius, quam ad ſeveritatem propendere: quia *ſatius eſt DEO miſericordiæ quàm crudelitatis rationem reddere*: Interim clemētiæ quoque *ſeveritas* miſcenda ubi res flagitat. Media enim Principis clementia inter crudelitatem

 & ni-

& nimiam lenitatem. Vtque ſeveritas amitti aſſiduitate autoritatem; ita lenitas quoque. *Temperatus timor cohibet, aſſiduus & acer in vindictam excitat.* Seneca. Per nimiam Principis lenitatem *Lex* contemnitur: *Rex* deſpicitur: *Gre* inficitur. Vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 3. cap. 16.

Ad clementiam pertinet quoque *comitas*, ſeu *audientiæ facilitas*, ut etiam abjectæ ſortis ſubditos ad ſe admittat & clementer audiat, ſuis, non aliorum duntaxat auribus. Debet hoc Princeps ſuis ſubditis non minus, quàm Pater filiis. Sæpe innocentia ſubditorum & juſta cauſa opprimitur: quando in conſpectum principum non admittuntur. Et clementiæ & comitatis fons eſt *amor erga ſubditos*, qui inprimis in principe requiritur; quia Populi pater eſt, cujus ſalus ſuprema ei lex debet eſſe.

Clementiæ quoque ſe aſſociat *Modeſtia*: qua ſenſus eſt de ſe ſuiſque temperatus ratione: rara inter Magnates avis, quam exilio ferè mulctat ſuperbia, vitium celſiori fortunæ familiariſſimum, & altè inhærens. Vnde Saluſtius: *Contemtor animus & ſuperbia commune nobilitatis malum.* Mentio hujus facta, cap. 6. Theſ. 6. Explic. 5.

III. *Prudentia* principi maximè neceſſaria eſt notitia rerum, eventuumque, & judicium in eis rectum, ut norit intelligere & deligere, quæ publicè privatimq; appetenda aut fugienda: unde à *Lipſio* definita *intellectus & delectus rerum, quæ publicè pr vatimque fugiendæ aut appetendæ. Hæc*, inquit Plato, *ſola præit & ducit ad rectè faciendum*: Hæc, Cicerone teſte, *ars vivendi eſt, ut Medicina valetudinis.* Hæc *præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Seneca. Tantò magis neceſſaria Principi, quantò difficili-

or regendæ *multitudinis* provincia. *Homine enim nullum animal moroſius eſt , nullum majori arte tractandum.* Seneca. Et Xenophon : *Omnibus animalibus facilius , quam hominibus imperitare : quia in nullos magis inſurgunt , quam in eos , quos imperium in ſe adfectare ſentiſcunt.*

Prudentiæ principalis pars quædam eſſe prędicatur *ſimulandi* & *diſsimulandi* ars. Vnde tritum illud : *Neſcit imperare , qui neſcit diſsimulare.* Modus tamẽ in *ſimulatione* & *diſsimulatione* prudenter ſtatuendus : ne ingenuitatis & veracitatis jacturam vel naufragium facias : Quod non poteſt non evenire iis , qui omnia cum *ſimulatione* & *diſsimulatione* dicunt & faciunt: certè prudentia, ſi *Senecæ* credimus , *fallere non vult , & falli non poteſt.* Nimis latè nonnulli *prudentiam* hanc extendunt ad *dolos* & *fraudes*,quibus nos Principem minimè inſtruendum arbitramur : etſi multa ei *diſsimulanda* non inficiamur, quatenus diſſimulari *absque mendacio* poſſunt. Mentiri enim ſervile vitium eſt,tantò indigniusPrincipe,quantò major eſt ſervo. *Non decet Principem labium mentiens* ; Prov.17. *Imò ne pro DEI quidem laude mentiri licet :* Auguſtinus. Itaque non audiendus *Plato* , quando ait , *crebro mendacio & fraude uti imperantes debere ad commodum ſubditorum :* neque *Plinius* , cui *decipere pro moribus temporum prudentia eſt*:neque *Lipſius*, qui Principi ſuo permittit *corruptiunculas* & *deceptiunculas*. Licet tamen *leoninæ pelli vulpinam* quandoque aſſuas , modò verè prudenter , non fraudulenter & per mendacia id facias. Nam & *ſerpentinam prudentiam* nobis Chriſtus commendat , ſed cum *innocentiâ columbinâ* conjunctam. Matth. 10. v. 16. Aliud qui præcipiunt,diſcipuli Chriſti non ſunt. Vide Danæum Polit. Chriſt. lib. 3. cap. 4.

Ad hanc prudentiam referimus quoque *diffiden-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

dentiam credulitati oppoſitam, ab omnibus Politicis commendatam, & jure commendandam, modò limites non excedat, & *nihil*, *nulli* credat. Rectè enim Seneca: *utrumque in vitio eſt, & omnibus credere, & nulli.* Credendum iis, quorum longo uſu cognita eſt fides: diffidendum in magni momenti negotiis, ſi & fides non ſatis ſit cognita, & documenta deſint evidentia: ſæpè tamen *premenda* diffidentia, ne videaris diffidere: modò ſine fraude, ſine mendacio fiat.

Callidè inclinare & allicere ad ſe eorum animos operasque, qui alieni ſunt juris, prudentiæ principalis quoq; eſſe judicat, è communi uſu & praxi. *Lipſius.* Nos ita ſtatuimus: *Suaſione* & *donatione* eos, qui alieni ſunt juris allicere licet, ut tibi proſint, ſine injuria iis facta, quibus obnoxii ſunt, ſine perfidia in Principem ſuum commiſſa. Vlterius non progredimur.

IV. *Prudentiæ* hujus principales & auguſtæ conciliatrices cum ſint *literæ*, vel inprimis dare iis operam principes debent & reges: Ob *rationes* & *exempla.*

Rationes ſunt

(1.) Quia ex *Muſarum* placido commercio naturam homines mitigant & manſuefaciunt ratione & doctrina: Vnde illud *Ovidii:*

——— ——— *didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

(2.) Quia nihil homini antiquius eſſe debet, quam ut animum, qui Rex atque Imperator mortalium eſt, in hac mortali vita excolat, & quod natura imperfectum reliquit, induſtria ac labore ad ſummæ perfectionis apicem perducat. Quod non niſi bonarum literarum ſtudio conſequimur.

(3.) Quia doctrina & eruditione ſplendidior orna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ornatus nullus viro principi excogitari poteſt, non aula, non purpuratæ veſtes, non gemmæ.
4.) Quia omnis divinæ & humanæ ſapientiæ atque prudentiæ theſauri ſunt *bonæ literæ*. Vnde libri appellantur *Conſiliarii mortui*.
5.) Quia plenior, ſincerior & conſtantior delectatio principi nulla obvenire poteſt, quàm quæ in literis occurrit; adeò ut *vita ſine liberis mors eſſe, & vivi hominis ſepultura* Senecæ videatur. Quæ verò in morte delectatio?

Exempla principum literis excultorum ſunt multa; in quibus *Epaminondas*, cui inter literas nato inſignis contigit militiæ ſcientia. *Iuſtinus* lib. 5.

Iulius Cæſar, ille Romanorum Principum diſertiſſimus.

Auguſtus, qui ſtudia liberalia ab ætate prima & cupidè & laborioſiſſimè exercuit. *Suetonius*.

Coſroës Perſarum Rex, qui ipſum *Ariſtotelem* & *Platonem* percalluiſſe fertur, & *Græcorum* opera in linguam ſuam tranſtuliſſe.

Alexander Severus, qui vitam *Alexandri* M. frequentiſſimè legit, ut, quibus poſſet, modis, eum exprimeret.

Fridericus II. Imperator multarum linguarum peritus & lectioni deditiſſimus fuit, qui affirmavit, non poſſe rectè populum regi, absque doctrinæ & virtutis adjumentis.

Carolus IV. Imperator literarias lautitias conviviis etiam delicatiſſimis prætulit.

Alphonſus Arragonum Rex, alter ille *Salomon*: qui ſolitus dicere, *malle ſe omnium regnorum*, quæ ſeptem numerabat, *jacturam facere, quàm minimam doctrinæ*.

Quàm diſſimilis *Alphonſus* hic fuit cuidam magno Principi, qui neminem in aula ſua pati voluit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

voluit, aut potuit, qui unicum ſaltem vocabulum latinum didiciſſet aut loqueretur: dixitque *haſtiludia, venationes, aucupia & ſimilia exercitia eſſe heroica: libros verò relinquendos eſſe ſcholaſticis homuncionibus.* Hęccine verò hominis vox fuit. *Ludovicus* XI. Galliarum Rex, ipſe quidem doctus, filium ſuum *Carolum* planè rudem eſſe voluit, ne conſilia ſua pertinaciùs teneret. Miſer verò *Carolus* poſtmodum omnem Imperii curam tribus homuncionibus, per inſcitiam ſuam, demandare coactus fuit. Dent igitur literis operam principes: ſed ita ut in umbra & Muſeis vitam non tranſigant: ſed ut ad Rempub. gubernandā literis utantur. *Princeps illiteratus*, inquit *Chaſſanæus*, part. 5. de glor. Mundi, *eſt aſinus coronatus.* Vnde *Aurea Bulla* Electorum filios variis linguis & diſciplinis vult erudiri. De diſciplinis, in quibus & quatenus Princeps exercendus, vide *Keckerman.* Polit. cap. 2. Breviter hoc monent prudentes; Eam principi parandam eſſe inprimis ſapientiam, qua frui poſſit, hoc eſt, qua & ipſe reddi melior, & rectiùs adminiſtrare Rempubl. poſſit. Vnde non tam in ſtudia Theoretica, quàm in practica intendendus animus; illa enim etiamſi doctiores, hæc tamen meliores reddunt. Malo bonum quam doctum principem: Numini tamen ſimilior, qui & bonus & doctus. Alex. Diſſuadent quoque principib. Politici *Intemperantiam literarum*: quam tamen ſponte plerique fugiunt: nullis heîc opus frenis. Hodie, quod obiter addo, in *Sinenſi* regno, ad Rempubl. totiusque Regni regenda gubernacula ſoli admittuntur *Doctores* & *Licentiati* in examinib. renunciati.

V. *Liberalitas* quoque, *quâ nihil naturæ hominis accommodatius*, Cicero: Principi neceſſaria eſt & decora; quam *Diocletianus* propriam

Princi-

rincipum dotem appellare ſolitus eſt. *Fortem, juſtum, gravem, magnanimum, largum. beneficum & liberalem eſſe. hæ ſunt regiæ laudes.* Cicero.

Exempla egregia ſunt in *Alexandro* M. qui patrimonium omne ſuum, quod in *Macedonia Europaque* habuit, amicis diviſit, ſibi *Aſiam* ſufficere præfatus.

In *Tito Veſpaſiani* filio : qui diem ſe perdidiſſe exiſtimavit, quo nihil cuiquam præſtitiſſet.

Sunt autem duo liberalitatis fontes : *Verum judicium* & *honeſta benevolentia.*

Non igitur in quoſvis rivuli *liberalitatis* facilè derivandi, ſed in probos & bene meritos, & quidem ex honeſta benevolentia, non ex ſpe turpium obſequiorum emendorum. Modus quoque adſit liberalitati *: ne nimia liberalitate pereat liberalitas* Hieronym. *ne, ſi ærarium ambitiosè exhauſeris, per ſcelera ſupplendum ſit :* Tacitus. Heîc tamen freno non adeò opus.

Liberalitas erga benemeritos *gratitudo* eſt, quam fidis ſuis miniſtris debet Princeps. Turpe vitium in Principe *ingratitudo.* Interim nec *parſimonia* à Principe aliena eſt : ſiquidem *prodigalitas* ſævit in ſubditorum fortunas.

VI. Minimè verò in principibus & à principib. negligendum, ꝙ ſubditis debent, *Boni publici ſtudium :* cujus expreſſa heîc mentio facienda : hac enim una re maximè à *Tyranno* abit *Princeps.* Noverit igitur Princeps & Magiſtratus, ex *Senecâ, Civium non ſervitutem ſibi traditam ſed clientelam :* Et, *non ſuam eſſe Rempublicam, ſed ſe Reipublicæ.* Noverit *ſupremam legem eſſe populi ſalutem. Rex*, inquit Xenoph. in memorabil. Socrat. lib. 3. *eligitur non ut ſe curet molliter, ſed ut per ipſum, ii, qui elegerunt, benè beateque vivant.* Quo & illud Ciceronis ſpectat : *ut tutela, ſic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerend. Laudandus heîc Hadrianus Imperator, qui dixi *ita ſe geſturum Principatum, ut ſciret rem popu. eſſe, non ſuam.*

Boni publici ſtudio annexa eſt φιλοπονία, ho eſt, *laboris ſtudium*, ut, ex *Senecæ* præſcripto, *omnium ſomnos illius vigilantia defendat, omnium o tium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* De φιλοπονία principis diſſerentem vide *Adam. Contzen*, Polit. lib. 3. cap. 5. Infamat Principem ignavia. Vnde pro ſymbolo habuit Alexander Severus; *Laboremus*, uti Pertinax, *Militemus.* Laudatur & illud Veſpaſiani: *Imperatorem oportet ſtantem mori.* φιλοπονίας hujus objectum *Rempublicam*, non *feras* eſſe decet.

CAPVT. IX.

DE PRINCIPIS ET Cujusvis Magiſtratus Felicitate, bona conſcientia, autoritate & benevolentia populi.

THESIS I.

HVcuſque *probi principis virtus*: Sequitur virtutis præmium quadruplex. (1.) *felicitas.* (2.) *bona conſcientia*, (3.) *autoritas.* (4.) *benevolentia ſubditorum.*

THES. II.

Felicitas eſt ſucceſſus adminiſtrationis optatus, quem pii & probi magiſtratus ex legitimâ Reipubl. adminiſtratione conſequuntur.

EXPLI-

Explicatio.

I. *Felicitatem* hanc vulgo fortunæ aſcribunt, cujus arbitrio magiſtratum permittunt, qua vel extolli vel deprimi magiſtratum credunt: Vnde *Horatius:*

Fortuna ſævo læta negocio,
Ludum inſolentem ludere pertinax
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc aliis benigna.

Nos verò *Chriſtiani* uti à providentia divina magiſtratus conſtitui novimus: Ita ſucceſſus adminiſtrationis non niſi eidem aſcribimus, indeque omnem felicitatem derivamus, tanquam virtutis & adminiſtrationis legitimæ præmium.

II. Maximopere verò cavendum magiſtratui, & inprimis principi, ne inſoleſcat, & abutatur felicitate ſua. Hujus enim abuſus multis ad extremam infelicitatem viam ſternit: quando rebus ex voto fluentibus inſoleſcunt, & ad extrema ſe ipſos præcipites agunt. Vnde eleganter *Seneca: Sic ſegetem nimia ſternit ubertas: Sic rami onere franguntur: ſic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas: Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: quâ non tantum in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur.* Et hoc nomine felicitas inquieta & inconſtans res appellatur: non quidem ſuo, ſed hominum ea abutentium vitio. Non enim felicitas deſerit, niſi eum, qui à virtute deflectit, & rectè uti felicitate neſcit.

Thes. III.

Bona conſcientia ex rectè factorum oritur ſcientia: Vnde definitur integrum animi judiciũ, ex religione & innocentia ſui ortũ: In *genere*: ſenſus di-

vini

vini judicii de factis propriis, quo ſe homo excuſat vel accuſat: vel, ut *Lipſio* placet, reliqua in homine rectæ rationis ſcintilla, bonorum malorumque facinorum index & judex.

EXPLICATIO.

Ingens bonum eſt *conſcientia bona*, quæ mentis lætitiam & tranquillitatem perpetuo comitem habet. Huic inprimis ſtudendum magiſtratui, ut ne tranſverſum quidem unguem ab eâ diſcedat in omni vita. Hoc ſe erigit etiam in maximis ſuis calamitatibus: *miſerum vero, ſi hunc contemnit teſtem!* Seneca: Hujus qui jacturam faciunt, *tortorem* & *carnificem* perpetuo in animo habent: urit ille & cædit, lancinat, eo gravius, quia *ſine morte*: quia *non tam corpus, quam animum verberat*: ut Græcorum habet proverbium. Pulchra *Ciceronis* ſententia eſt: *Si optimorum conſiliorum atq; factorum teſtis in omni vita nobis conſcientia fuerit: ſine ullo metu ſumma cum honeſtate vivemus: Tranquillitate conſcientiæ*, inquit Auguſtinus, *nihil excogitari beatius poteſt.*

THES. IV.

Autoritas æſtimatur ex honorifica ſubditorum de magiſtratu opinione, prompto obſequio & externa veneratione.

EXPLICATIO.

I. Hanc *autoritatem* quæ ſalutis eſt tutela, magiſtratui conciliat exercitium virtutum hactenus laudatarum. Has enim neceſſariò ſequitur *admiratio* & *veneratio*. Vocari alias ſolet *majeſtas*, quam multis principibus à DEO etiam occulta quadam ratione conciliari, doctorum eſt ſententia: Vnde effrænati quoque homines in quorundam principum admiſſi vel adducti conſpectum,

pectum horrore quodam percelluntur. Elucet autem è vultu potiſſimum *ma eſtas.*

II. *Venerationis* externa indicia apud diverſas gentes olim fuerunt diverſa. Apud *Perſas* ſubditi humi proſtratis corporibus ſalutabant Regem, & quiden non niſi oblato aliquo munere.

Conſtantinopolitanos Imperatores qui olim vellent accedere, in terram honoris cauſa procidebunt.

Romanos conſules olim ex equo ſolutare aut compellere per leges nemini fas erat.

Hodie profunda *genuum flexio* eſt in uſu.

III. Breviter ex Lipſio rationem comparandi majeſtatem, ſeu autoritatem ita delineamus. Paratur ea *Forma Imperii*, *Potentia Imperii*, *Moribus Imperantis.*

Formâ Imperii: Si ea ſit *ſevera:* per nimiam enim clementiam hebeſcit acies autoritatis: ſine ſeveritate, inquit *Cicero*, adminiſtrari civitas nulla poteſt. Si ſit *Conſtans*: hoc eſt, imperandi & regendi leges facilè non mutet. Si ſit *adſtricta:* hoc eſt, ſi præcipua vis & honos ſit à principe & apud principem, non apud miniſtros principis.

Potentia Imperii, quam quinque conferunt inſtrumenta: *opes*, ſine quibus nihil fit, quod opus? *Demoſth.* qui nervi ſunt Imperii. *Arma*, quibus vel cavetur, vel vindicatur contemtus. *Conſilia*, quibus reguntur arma & omnis Respubl. *Fœdera*, quibus augetur potentia. *Fortuna:* Nam ut quiſque fortunâ utitur, inquit *Plautus*, ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.

Moribus imperantis, quorum alii *interni* in animo: ut virtutes, de quibus ſupra: alii *externi* in corpore, cujus rectè componendi *geſtus* & *habitus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bitus. Principem vult *Ariſtoteles* apparere non acerbum, ſed auguſtum, ut, qui obvii fiunt, non metuant eum, ſed magis vereantur.

THES. V.

Benevolentia & amor ſubditorum erga magiſtratum arx ei munitiſſima eſt, de quâ magis laborare principem, quàm de ullo præſidio, decet.

EXPLICATIO.

I. Pulchra ſunt hanc in rem *Marci* Imperatoris jam morituri ad ſuos verba: *Neque pecuniæ vis Tyrannidis luxuriam explere, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt: niſi illi ipſi, quos regas, animum imperanti benevolentiamque accommodent: quippe ii demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate civium ſuorum animis inſtillant. Malè,* inquit Plinius Iunior, *terrore veneratio acquiritur: longeq́; valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor. Firmiſſimum id imperium,* inquit Livius, *quo obedientes gaudent.* Comparatur autem hæc bene volentia potiſſimum, *Lenitate*; quâ ita cum civibus ſuis, quaſi parens cum liberis vivit Princeps; *Plinius:* quæ non aliam principi inducit faciem, quàm ſereni cœli ac nitentis: *Seneca.*

Beneficentia; quia omnium dulciſſimum eſt accipere: *Seneca.*

Indulgentia; quâ ſine corruptela morum populus laxe habetur & jucundè: Vnde dicuntur Romani voluptatibus plus adverſus ſubjectos, quàm armis valuiſſe: *Tacitus.*

II. *Exempla* Principum, quos benevolentia ſubditorum in primis munivit, in hiſtoriis varia occurrunt. Inter alia ſunt: *Auguſtus:* cui exteri reges, relictis regnis, Romæ, vel provincias peragranti quotidiana officia clientium more præſtiterunt.

Germa-

Germanicus Cæſar: qui quoties aliquò advene-at, vel alicundè diſceſſerat, pro turbâ occurrentium proſequentiumque nonnunquam in diſcrimen venit.

Antoninus pius: quem omnes parentem & patronum potius, quàm dominum putarunt.

Titus, Veſpaſiani filius: Qui *delitiæ humani generis* dici meruit, neque inſidias ullas metuit: Idem ſcribunt hiſtorici de *Ludovico* Gallorum Rege, cognomento *Divo*.

Eberhardus Dux VVirtenbergicus: qui de eo maximopere gloriatus, quod per benevolentiam ſuorum ſubditorum in ſinu cujusvis dormire poſſit ſecurè.

III. Denique virtutis ſuæ præmium princeps quoque habet, *Famam bonam*, de quâ non minus ei laborandum, quàm de autoritate. Nam *cæteris mortalium*, ait Tacitus, *in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere arbitrentur: Principum diverſa ſors eſt, quibus præcipua horum ad famam dirigenda. Cætera*, inquit idem, *principibus ſtatim adſunt: unum inſatiabiliter parandum, proſpera ſui memoria. Nam contemtu famæ contemnuntur virtutes*. Nullum verò principes habent virtutum ſuarum & laborum diuturniorem fructum, quàm vivacem, poſt funera, famam bonam, & memoriam immortalem, cujus præcones habent *literas*, vel hoc uno nomine in maximo habendas honore. Absque his enim eſſet, poſtquam vivere deſierunt, nunquam vixiſſe nobis viderentur: quia prorſus ignoti eſſent. Agite ergo, principes, literis digna gerite, & digna literis pretia ſtatuite: non deerunt temporibus veſtris dicendis decora ingenia.

CAPVT

CAPVT. X.

DE MAGISTRATU Improbo: ubi de Tyrannorum moribus & tyrannidis acquiſitione, conſervatione & abolitione.

THESIS I.

H*Actenus Magiſtratus & princeps probus*: ſequitur *improbus*, qui eſt *Tyrannus*, & definitur Magiſtratus præter mores & leges violenter imperans.

EXPLICATIO.

Olim boni ominis & nominis vox erat *Tyrannus*, qua quivis indigitabatur princepes, vel Monarcha, ut apud *Iſocratem*, & alios vetuſtos ſcriptores videre eſt: Tandem verò cum ſæpius poteſtate ſua abuterentur, nomen una cum re abiit in odium.

THES. II.

Tyranni conſiderandi (1.) *Mores* (2.) *Imperium* ſeu *Tyrannis* ipſa.

THES. III.

Mores Tyrannorum ſunt ſequentes, (1.) Rempublicam in privatum uſum conferunt (2.) Bella nutriunt ad enervandas ſubditorum vires (3.) Exiſtimant ſibi omnia licere. (4.) Suſpicaces ſunt. (5.) Timidi ſunt.

EXPLICATIO.

I. *Convertere Rempubl. in uſum privatum tyranni*

nni proprium eſt, ſecundum *Ariſtotelem. Rex*
im ſubditorum; Tyrannus verò ſuum ipſius ſpe-
at commodum. 8. Polit. cap. 10.

II. *Subditorum vires per continua bella ener-*
ant tyranni, ut ab iis, quibus exoſos ſe eſſe no-
ant, ſint tutiores.

III. *Omnia ſibi exiſtimant licere*: quia æqui-
atis & honeſtatis rationem nullam habent, om-
ibuſque ſe ſolutos legibus putant. Sic *Caligula*
nonenti *Antoniæ* Aviæ, anne parum eſſet non
bedire? *Memento*, ait, *omnia mihi in omnes li-*
ere.

IV. *Suſpicaces ſunt*: quia peſſimè ſibi conſcii
ſunt: ſecundùm illud: *Conſcius ipſe ſibi de ſe pu-*
tat omnia dici.

V. *Aßiduo in metu & palpitantibus præcordiis*
vivunt: quia ſingulis momentis oppreſſorum
vindictam expectant.

Hinc *Dionyſius* Tyrannus in conclave ſuum
admiſit neminem, niſi poſitâ ſuâ ſtolâ ſumeret a-
liam, & nudus à ſatellitibus excuteretur.

Nero etſi multiplicatis ſe excubiis ſepſerat, ta-
men magis magiſque pavidus erat.

Caligula & *Caracalla* arcas venenis plenas cir-
cumferebant, ut & alios & ſe ipſos tollerent, ſi
fortè in manus hoſtium incidendum eſſet.

Heliogabalus funes ſerico & cocco intortos ſibi
paravit, quibus, ſi neceſſe eſſet, fauces elideret:
etiam gladios aureos habuit paratos, ut, urgente
neceſſitate ſibi vim inferret.

Dionyſius cultros metuens tonſorios candenti
carbone ſibi adurebat capillum.

Hinc *Suibus* tyrannos *Ælianus* comparat,
qui ſemper in ſuſpicione & metu verſantur,
cum ſciant, veluti ſues, vitam ſuam omnibus
deberi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Imperii ſeu Tyrannidis conſideranda (1.) *acquiſitio* (2.) *conſervatio* (3.) *abolitio.*

THES. V.

Acquiritur Tyrannis vel *cum titulo* per electionem aut ſucceſſionem juſtam : Vbi tamen augurio ſpes bona fallitur ; quando in tyrannum degenerat, cui legitimè delata eſt Reſpub. Vel *ſine titulo* per fraudes & vim.

EXPLICATIO.

Quæritur : *An quoque magiſtratus improbus à DEO ſit?*

Reſp. In Magiſtratu improbo duo ſunt diſtinguenda, 1. *poteſtas*, per quam magiſtratus eſt, 2. *abuſus* hujus *poteſtatis*, ſeu *improbitas* adjuncta poteſtati.

Ratione *poteſtatis* etiam improbus magiſtratus & tyrannus eſt à DEO: quia *omnis poteſtas eſt à* DEO, Rom. 13. v. 1. Vnde Chriſtus ait etiam *Pilato*, quamvis iniquè decernenti *datam eſſe deſuper poteſtatem*. Ioh. 19. v. 11. Et ex *Nabuchodonoſore* impio tyranno potentiſſimum terrarum principem ſe facturum, dicit DEVS. Ezech. 29. v. 19.

Ratione *abuſus* & *improbitatis* poteſtati adjunctæ, Magiſtratus improbus & tyrannus non eſt à DEO. DEVS enim improbitatis & tyrannidis eſt *ultor* non *autor*: Vnde omnem iniquitatem odit. Pſ. 58.

THES. VI.

Conſervatur (1.) Conſtitutione delatorum & exploratorum. (2.) Prohibitione conventuum. (3.) Inſtigatione ſubditornm ad mutuas criminationes

tiones & calumnias. (4.) Abolitione ſcholarum & bonarum artium. (5.) Cædibus virorum inſignium. (6.) Præſidio & ſatellitio peregrinorum militum. (7.) Simulatione ſolicitudinis de conſervando bono publico. (8.) Redactione civium ad inopiam. (9.) Siniſtra jocosè vel etiam benè dictorum interpretatione.

EXPLICATIO.

I. *Per delatores & exploratores tyranni ſolicitè omnia exquirunt*, ut norint, quid quiſque ſubditorum ſentiat aut faciat: & faciliùs cavere ſibi ab iis poſſint.

II. *Conventus dum prohibent*, efficiunt, ut cives ipſi inter ſe, tanquàm peregrini, ſint ignoti, & nulla communicent conſilia. Hâc ratione ipſi tutiores fiunt; quia nulla fit conſpiratio ſine prævia conſiliorum communicatione.

III. *Cives inſtigant ad mutuas criminationes & calumnias*; ut privatis occupati odiis de ultione tyranni non cogitent.

IV. *Scholas & bonas artes abolent*; exemplo *Caracallæ*, qui ſcholas Ariſtotelicas paſſim abolevit & libros exuſſit.

V. *Inſignes viros è medio tollunt*, exemplo *Periandri*, *Tarquinii*, *Cambyſis* & *Tiberii*, ne conſilio, prudentiâ & autoritate eorum plebs nixa inſurgat & vindictam meditetur.

VI. *Peregrino ſatellitio ſe muniunt*: ne à domeſticis, quos enormiter læſerunt, opprimantur. Ita *Maria* Scotiæ Regina, repudiatis *Scotis*, cuſtodiam corporis ſui commiſit Italis.

VII. *Simulatione ſolicitudinis de bono publico*, incautos decipiunt & quandam probi magiſtratus larvam induunt.

VIII. *Cives ad inopiam redigunt*, ſtipendia militibus non ſolvendo, gratuitas operas im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

perando, tributa & vectigalia indies augendo: quia norunt, rerum gerendarum nervos eſſe opes, & abſque iis nihil tentare cives poſſe.

IX. *Iocosè vel benè dicta ſiniſtrè interpretantur*, ut in ſuſpectos ſæviendi occaſionem habeant.

THES. VII.

Aboletur tyrannis reſpectu individuorum tyrannidem exercentium, plerunque *citò* & *violenter*.

EXPLICATIO.

I. Non eſſe diuturnam tyrannidem ipsâ edocti experientiâ ſapientes teſtantur. Vnde *Plutarchus: Nihil rarius tyranno Sene*. Et *Seneca*. *Reges conſeneſcunt, liberisque & nepotibus regna tradunt: Tyrannorum execrabilis brevisque poteſtas eſt*. Exempla habentur in *Dionyſio* Iuniore Tyranno *Syracuſano*; in *Piſiſtrati* filiis: in *Achabo*: in *Herode* infanticida: in *Nerone*, *Domitiano*, *Caligula*, *Commodo*, *Heliogabalo*, *Phoca*, *Cambyſe*, *Polycrate*, *Pharaone*, & *Hattone Epiſcopo Moguntino*, à muribus conſumto; quorum omnium violenta mors fuit. Vnde illud *Iuvenalis*:

> *Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci*
> *Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.*

II. Quæritur heîc, *an tyrannicidæ ſint excuſandi?*

Excuſandos eſſe docent nonnulli ſequentibus argumentis.

(1.) Quia pro libertate reducendâ pugnant, excuſſo Tyranni jugo.

(2.) Quia *nulla pingujor* DEO *mactari poteſt victima, quàm Rex iniquus*. Seneca.

(3.) Quia tyrannicidis, tanquam libertatis aſſertoribus, Græci honores habuerunt, & ſtatuas erexerunt, teſte *Cicerone*.

(4.) Quia juſto metui reſiſtere omnia jura permittunt.

(5.) Quia æquiſſimum eſt, Tyrannum tali perire ſupplicio, quod optavit aliis.

III. Contra verò non excuſandos eſſe, probant alii.

(1.) Quia nulli privato licet adverſus Magiſtratum arma ſumere: quia à DEO eſt ordinatus. *Rom.* 13. v. 1. 1. *Pet.* 2. v. 13.

(2.) Quia pro Magiſtratu quovis concipiendæ preces. 1. Tim. 2. v. 1. 2.

(3. Quia *David Sauli* tyranno violentas manus inferre noluit, ut maximè potuerit. 1. *Sam.* 24.

(4. Quia ſatis graviter poſt mortem puniuntur.

(5. Quia ipſe *Chriſtus* Cæſari *Tiberio* honorem juſſit exhiberi: Etſi impotentius ſe gerere ſolitus eſt.

IV. Lis hæc deciditur *diſtinctione Tyranni*: qui vel eſt *abſque titulo*, legitimæ ſucceſſionis aut electonis, & poteſt tolli *lege Valeriana*: unde interfectorib. eorum maxima præmia ſunt propoſita. Exempla in ſacris habentur in *Æglone* & *Sebâ* 1. Sam. 20. v. 22. & laudatur hoc nomine *Ehud* Iud. 3. In *Sallum*, 2. Reg. 15. v. 14. Si tamen *ex poſt facto*, ut loquuntur, hujuſmodi tyranno ſe ſubditi accommodarint, & quaſi conſenſerint: aliter ſtatuendum fuerit. Imperator ad milites ait, *fuiſſe in poteſtate eorum non eligere, nunc cum elegerint, parendum eſſe*: vel cum *juſto titulo* electionis aut ſucceſſionis: & tùm non eſt tollendus, ſi ſuperiorem non recognoſcat: Mediis verò ordinariis coërcendus, ſi ſe ſuperiorem recognoſcat. Videantur. q̃ ad c. 17. th. 5. expl. 2. dicuntur. Subditi contra Tyrannos rectiùs ſe defendũt *ſcuto*, quàm *gladio*: hoc eſt, rectius declinant, quàm vindicant injurias. Si declinare nequeant, relicta ipſis gloria *patientiæ* & *obſequii*, quo mitigari ſolent imperia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XI.

DE LEGIBUS.

THESIS. I.

H*Actenus togatæ adminiſtrationis materia:* ſequitur *forma*, quæ conſiſtit (1.) *in ſanctione legum* (2.) *in cuſtodiâ diſciplinæ publicæ* (3.) *in jurisdictionis exercitio.*

THES. II.

In *ſanctione legum* obſervanda (1.) *Legis definitio.* (2.) *Diſtributio* (3.) *Cauſæ* (4.) *Effectus* (5.) *Subjectum* (6.) *Adjuncta* (7.) *Contraria.*

THES. III.

Definitur Lex à *Papiniano*, commune præceptum: Virorum prudentium conſultum: Delictorum, quæ ſponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio: Communis Reipubl. ſponſio.

EXPLICATIO.

I. Lex à *Cicerone* definitur: *Certa ratio, è mente divina manans, quæ recta ſuadet prohibetq; contraria.* Ab *Ariſtotele*: *Ratio à prudentia & mente profecta*: Ab aliis: *Ordo rectam gubernandi rationem includens, ex prudentia prodiens, tranſgredientibus pœnam, obtemperantibus præmium decernens*; Item: *Præceptum æquum ſuperioris ſubditum ad agendum aut non agendum obligans.*

II. Manifeſta hinc eſt *neceſſitas* Legis in Republ. ſiquidem Lex eſt *anima* & *ſpiritus* civitatis, unde vita ejus conſurgit. Et *multitudo coaleſcere in unius populi corpus nullâ re, quàm legibus poteſt.* Livius. *In legibus ſalus civitatis ſita*: Ariſtotel. Actum igitur cum illa civitate, in quâ mores perduxêre leges in poteſtatem ſuam.

Sunt

. Sunt autem præter *naturæ legem* omnium hominum inſculptam animis neceſſariæ in re publica *leges civiles* à prudentibus profectæ legislatoribus: quia per haſce *generalia legis naturæ principia practica*, per *particulares* quaſi *concluſiones*, applicantur objectis pro varietate circumſtantiarum variis. *Concluſiones* haſce è principiis generalibus elicere non eſt cujusvis, ſed virorum prudentium, quorum opera Magiſtratus utitur. Per haſce leges *pœnæ* quoque determinantur variæ, quæ ex *lege naturæ* non habentur.

III. Quærentibus *utrum præſtet, legem dominari, an regem vel magiſtratum?* Reſpondent prudentes, neutri ſoli permittendum eſſe Imperium, vel adminiſtrationem Reipubl. ſed utrique conjunctim: ut nimirum Rex imperet ſecundum legem: Vnde *Auguſtinus*: *Conſtitutis jam & confirmatis legibus, non de eis ſed ex eis, & ſecundum eas judicandum.* Regis igitur eſt legem purdenter & juſtè applicare factis, & defectum legis prudenti & juſto arbitrio ſupplere. Tutius autem eſt, arbitrium pluribus permittere prudentibus, quam uni: *quia oculi plus vident, quàm oculus.*

De Imperatoris poteſtate cum *Bulgarus* & *Martinus* diſceptarent, & ille Regem legi, iſte legem Regi ſubeſſe contenderet: Arbiter tandem *Fridericus Barbaroſſa* intervenit & *Bulgarum* poteſtate unius, quam vellet, condendæ legis ornavit, tanquam Iureconſultum: *Martinum* verò tanquam adulatorem galero purpureo & equo candido donavit. Autor Novell. Antiq. Novel. 24. Celebris eſt illa *Pindari* ſententia: ὁ νόμος πάντων βασιλεὺς θνητῶν καὶ ἀθανάτων: *Lex Regina eſt omnium hominum & Deorum*: quam in ſententiam Martianus lib. 2. de Legib. *Lex eſt omnium divinarum & humararum rerum Regina: oportet enim eam eſſe præſidem & bonis & malis & prin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

& principem & ducem: & *ſecundum hoc regulam eſſe juſtorum & injuſtorum, & eorum animantium, quæ natura civilia ſunt, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem verò non faciendorum.*

THES. IV.

Diſtribuitur Lex in *divinam* & *humanam*: Illa ab ipſo DEO: Hæc ab hominibus lata eſt. *Politica* Lex eſt, de Regno vel ineundo, & conſtituendo: vel adminiſtrando. Illa, *Lex regni fundamentalis* appellatur, de modo & requiſitis, vel ſucceſſionis vel electionis. Hæc, *norma*, ſecundum quam Reſpub. adminiſtratur.

EXPLICATIO.

I. Quæritur: *An Moſaicæ Leges forenſes ſint obſervandæ in Chriſtianâ Republ?*

Reſp. Simpliciter hoc affirmari non poteſt: quia Leges illæ multa habent *ceremonialia*, & planè ſingularia, unius populi *Iſraëlitici* ſtatum concernentia: Quæ verò in iis ſunt generalia & moralia, etiamnum meritò obſervantur: Neque iis contrariæ ſanctiones politicæ temerè inducendæ.

Morales leges decalogo comprehenſæ, absque limitatione, tàm Magiſtratum quàm ſubditos obligant: unde crimen, quod lege divina morali eſt capitale, à magiſtratu condonari vel mitigari non poteſt. *Bodin.* 1. de Republ. cap. 10.

II. Olim antequàm Rex conſtitueretur, de modo regiminis & regni legibus Populi primores egerunt, ad quarum obſervationem ſe juramento Reges obſtrinxerunt, quibus viciſſim ſe populus ad obſequium obligavit: quod appellabatur fœdus populi cum Rege: uti & leges illæ dicebantur *jus regni*: & poſtmodum, *fundamentales*, quia iis veluti fundamentis ſtatus publicus nititur.

Hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Hujusmodi leges in Imperio Romano ſunt *Aurea Bulla Caroli IV. Conſtitutio pacis religioſæ & profanæ*, *Capitulatio Imperatoris*, & *Receſſus Imperii* publicum ſtatum concernentes. Huc quoque referenda *Lex Regia*, cujus frequens apud Autores occurrit mentio. Dicebatur autem *Lex Regia*, quæ olim in *ſtatu Regio* lata *Romæ* fuit, de poteſtate Regum: poſtmodum verò ejectis regibus, in *Statu Democratico*, abrogata. Inde iterum introducta & à poteſtate ſic dicta: qua populus in Principem ſummum omne imperium, poteſtatem ac Iurisdictionem contulit, ſub *Octaviano Auguſto*; quæ iterum quaſi abolita longè poſt, tempore *Veſpaſiani*, poſtliminio revocata & renovata: ut docet *Eccard.* in tract. de lege Regia, pag. 9. & ſeqq. & pag. 28. ubi fragmentum Legis iſtius recitat & *Romæ* in *Capitolio* exſtare affirmat: Plura vide apud *Limnæ.* de I.P. lib. 1. c. 12. n. 40. & ſeqq.

Aurea Bulla, cujus paulo ante facta mentio, ſic dicta, quia ſigillo aureo fuit roborata. Sigillum olim dicebatur *bulla*, & ſigillare, *bullare*. Hinc *Doctores Bullati* dicti, quod literis ſui gradus bullatis, hoc eſt, ſigillatis, absque examine Academico & promotione ſolemni nitãtur: Ipſa diplomata quoq; bullis roborata appellata ſunt Bullæ. Exiſtimant nonnulli conceptam eſſe *Auream Bullam*, ſub *Henrico* IV. tandem, Electorali dignitate creſcente, ſub Carolo IV. auctam & perfectam: unde *Carolina* quoque dicitur. De cauſis ſancitæ *Aurea Bulla* conſule Limnæ: de I. P. cap. 11. nu. 83. 84. & ſeqq. Princeps cauſa fuit concordiæ inter Electores conſervatio.

Ad Regni Galliæ *leges fundamentales* pertinet *Lex Salica*, quæ, *Bodino* teſte, præcipuum eſt Regni Gallici fundamentum ſub *Pharamundo*, primo *Francorum* Rege, anno Domini 425.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

jactum : Vnde *Salicam Legem* nonnulli putar dictam à congnomento *Pharamundi*, qui *Sal cus* fuit appellatus : vel à *terra Salica* hoc eſt *Francica* : dicti enim *Franci*, *gens Salica*, & *Sa lii*; Per *Salicam Legem*, de lancea ad fuſum *Fran corum* regnum nunquam tranſit; hoc eſt : fæmi næ in eo non ſuccedunt. De lege Salica vide *Lim næ* : de I. P. lib. 2. cap. 2. n. 24.

THES. V.

In *cauſis* Legum conſideranda (1.) *Efficien* (2.) *Materia* (3.) *Forma* (4.) *Finis*.

THES. VI.

Cauſa Legum efficiens eſt Legislator : cujus conſiderandum (1.) *Subjectum* , quod eſt magiſtratus ſummus, vel certè ſummo ſubordinatus, qui condendarum in Republ. ſua legum poteſtatem ſibi reſervavit, vel à ſummo accepit (2.) *Adjuncta*, quæ ſunt, Pietas & vitæ integritas autoritatem legi concilians, inprimis verò prudentia & ſapientia.

EXPLICATIO.

I. Legis condendæ autoritatem nemo niſi magiſtrarus, habet: & olim quidem ſolus *Imperator*. l. ult. C. de ll. Hodiè verò ſtatus Imperii in ſuis territoriis, vigore conceſſionis Imperatoriæ, idem poſſunt. Multò magis alii *extranei Reges* & *Liberæ Reſpublicæ*, quæ nec Imperatorem nec Regem, nec Principem ullum agnoſcunt ſuperiorem : Vt *Veneta*, *Helvetica*, *Belgica*.

II. Oportet autem Legislatorem eſſe *pium* : quia nihil boni proficiſci poteſt ab iis, qui, religionem ſuſque deque habent. Oportet eundem legibus ſuis autoritatem conciliare *integritate vitæ* : quia, quem propriæ damnant leges, ejus

nec

[n]ec autoritatem, nec leges venerantur ſubditi. [P]rudentem denique & ſapientem oportet eſſe: [q]uia legis anima eſt ratio & ſapientia: Vnde o[m]im Legislatores ut legibus ſuis autoritatem con[c]iliarent, divinitus ſibi inſpiratas eſſe profeſſi [ſ]unt. Vt conſtat de *Minoë* Cretenſium; de Ze[l]*euco* Locrenſium; de *Lycurgo* Lacedæmoniorum; de *Numâ* Romanorum Legislatore. Vide inter multos alios *Adam. Contzen.* de Repub. lib. [5]. cap. 5.

Thes. III.

Materia eſt ipſa ratio: quæ, autoritate & ſanctione publica accedente, legis naturam induit.

Explicatio.

Vnde *Lex* ſine *ratione Legis* nomen haut meretur: Et propriè dicta *Lex* non eſt, quæ *ratione* non nititur: poteſt tamen *ratio* eſſe ſine *Lege* quia ad legem plus requiritur, quam ad *rationem*. *Obſervandum* a. *rationem* heîc intelligi, non quamvis: ſed *rectam*, quæ divinæ lucis, quaſi radius quidam eſt, legi divinæ, minimum, haud contrarius. Vnde abſurdę populorum nonnullorum leges indignæ ſunt *Auguſto Legum nomine*: quia ab omni rectâ ratione ſunt alienæ: cujusmodi fuit illa *Lacedæmoniorum*, quâ furari fas erat pueris, modò ita furarentur, ut non deprehenderentur; & illa *Hyrcanorum*, quâ filiis fas erat parentes ſenio confectos mactare, vel mortuos canibus laniandos præbere: Olim *Vaſalli* in locis nonnullis tenebantur feudorum Dominis primâ nuptialis diei nocte ſponſas tradere violandas. Referente *Lactantio* libro primo cap. 5. Inſtitut. Chriſti: *Chryſippus Stoicus* ajebat; Devm eſſe legem illam, quæ naturalis dicitur, ipſiq; Deo adverſari, quicquid huic legi repugnat. Vnde ſapien-

pientibus ea demum publica juſſio Lex eſt, qu: eſt recta ratio imperandi atque prohibendi, lu illa mentibus à DEO indita. Ad *materiam* Legi pertinet quoque *objectum*, ſed id de quo lex fer tur, quod in genere eſt *actio* creaturæ ratione & libero arbitrio utentis. Hinc hominibus, no brutis feruntur leges, actio autem omnis verſatu circa *rem* aliquam, quæ & ipſa actionis appella tur objectum, ipſiusque legis: *Res* eſt divina ve humana; Maxima mediocris vel minima: nam & de minimis rebus latas à DEO & prudentibus vi ris, leges videmus. Exemplo ſunt leges *Moſaica* cum ceremoniales tum forenſes; in quibus minimarum quoque rerum habitam eſſe rationem videmus, exemplo ſit lex Deut. 23. v. 15. Imò primæ legis in Paradiſo latæ objectum proximum erat pomum vel ſimilis fructus arboris non guſtandus. Hujus transgreſſio univerſum genus humanum in tot tantasque conjecit miſerias. Vnde probè obſervandum axioma: *Non ſunt parvi æſtimandæ de rebus non magnis leges:* quia Legislatoris ad obedientiam obligantis potius habenda ratio, quàm rei, de qua Lex eſt lata. Vnde Chriſtus Mat. 5. v. 19. *Quisquis ſolverit unum ex præceptis hiſce minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* In minimis obedientiæ periculum faciunt Legislatores: quo ſpectabat illa Ephororum Lex: *tondere barbam:* cui cauſa addita: *obtemperare legibus.*

THES. VIII.

Forma Legis eſt vel *interna*, nempè ſanctio generalis ad obedientiam omnes obligans certa ratione: Vel *externa*, conſiſtens in ſcripturâ & brevitate.

EXPLICATIO.

Oportet Leges *in ſcripturam redigi*, ut tantò me-

meliorem earum notitiam habere cives poſſint. Oportet eaſdem *breves* eſſe, ut faciliùs teneri ab imperitis poſſint: *Lex*, inquit Seneca, *velut emiſſa divinitus vox, jubet, non diſputat.*

Thes. IX.

Finis eſt, in officio homines continere & rem publicam ſartam, tectam conſervare, viros civesque bonos facere.

Explicatio.

Sunt enim ex malis moribus natæ leges bonæ, quibus tanquam frænis regenda & coërcenda hominum improbitas. Etſi reſpectu bonorum, *finis* legum docere eſt potius, quàm coërcere: ſi quidem ſponte legibus obediunt. In univerſum autem in ſanctione legum politicarum hoc obſervandum, *ut utilitas totius multitudinis ſpectetur potius, quàm paucorum etiam bonorum.* Conſervari enim à paucis reſpubl. non poteſt: neque negligi poſſunt plures absque invidiâ, odio & ſeditionibus. De fine Legum vide *Ciceronem*, lib. 2. de LL. *Conſtat profectò*, inquit, *ad ſalutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam conditas eſſe Leges.*

Thes. X.

Fuerunt cauſæ Legis: ſequitur *effectus*, qui eſt obligatio ad obedientiam aut pœnam.

Explicatio.

I. Quæritur: *An leges etiam Principem Legis latorem obligent?*

Reſp. Leges vel ſunt *civiles*, ab ipſis latæ principibus Rerumpubl. moderatoribus: Vel *juris naturæ* aut *gentium*. Eſt igitur Princeps ſolutus legibus, non *naturæ* aut gentium, ſed *civilibus*

tantum; quià populus *lege regiâ* non potuit in principem transferre plus juris, quàm ipſe haberet. Nunquam licuit populo jus naturale aut gentium violare.

Civilibus verò & poſitivis legibus ſolutus eſt Princeps, ſi poteſtatem ejus ſpectes: Habet enim poteſtatem legis ſanciendæ & abrogandæ: neque ſibi, ſed ſubditis ſuis fert. Interim ſi laudatus ſit Princeps, revera *majus imperio eſſe putat, legibus ſubmittere principatum*: quo ſenſu ſe legibus alligatum profitetur. l. 4. C. de l l. Cedro digna illa Imperatorum ſententia: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri: adeo de autoritate juris noſtra pendet autoritas.* Vulgò ajunt principem ſolutum eſſe Lege *coërcente*, non *dirigente.* Intelligit enim ſapiens Princeps, ad populum intra juſtitiæ limites coërcendum, *non tàm lege & imperio, quàm exemplo opus eſſe. Plin. in Paneg.* Intelligit *debere minimum liberè, cui nimium licet*: Seneca. *Cum omnia poſſimus*, inquit laudatus Princeps apud Caſſiodorum, *ſola credimus licere nobis laudanda.*

Memorabiles ſunt hanc in rem *Lucani* ad *Honorium* Imperatorem verſus:

> *In commune jubes ſi quid cenſesve tenendum,*
> *Primus juſſa ſubi, tunc obſervantior æqui*
> *Fit populus, nec ferre negat, cũ viderit ipſum*
> *Autorem parere ſibi: componitur orbis*
> *Regis ad exemplum, nec tantũ flectere mentes*
> *Humanas edicta valent, quàm vita Regentis.*

Vide de hac quæſt. c. 32. th. 4. Expl. 2. vide *Adam. Contzen* Polit. lib. 5. cap. 20. ubi prolixè probat principem adſtringi legibus. Nimis eſt ſcandaloſa & adulatoria vox, quæ ſine limitatione ait Principem ſolutum eſſe legibus.

II. Sed alia heic oboritur quæſtio; *An omnis lex vim habeat obligandi ſubditos?*

Reſp.

Reſp. Si *juſta* & *pia* ſit lex, dubium non eſt, quin obligat ſubditum ad *obedientiam*, ita ut obedire ei teneatur: quo pertinet illud *Apoſtoli*, Rom. 13. v. 1. 2. 3. 4. 5. Sin *injuſta* & *impia* ſit, ad obedientiam quidem neutiquam obliget: tum enim Deo potius, quàm injuſta & divinæ legi contraria imperanti Magiſtratui obediendum. Attamen ad *pœnam* obligat, ſi ſubeſſe Magiſtratui impia jubenti porrò velis: ita, inquam, obligat ad *pœnam*, ut ſubdito tibi, ſi pœnam intentet Magiſtratus, non liceat vi vel armis reſiſtere, ſed patienter ferenda ſit pæna. Alia ratio eſt *ordinum*, quorum eſt operam dare *ne quid detrimenti capiat Reſpubl.*

Thes. XI.

Subjectum ſunt res, de quibus ferendæ leges. Sunt autem eæ (1.) Non quæ rarò, ſed quæ frequenter fieri ſolent. (2.) Non præteritæ, ſed futuræ aut præſentes: ſi quidem præteritæ amplius in noſtrâ poteſtate ſunt.

Explicatio.

Nata legum multitudo ex *ſubjectorum*, ſeu *objectorum* multitudine, quæ ad tria revocari poſſunt genera, nempe ad *bona*, *mala*, *adiaphora*: quæ ordine alphabetico digeſta vide apud *Danæum* in Polit. Chriſt. lib. 5. cap. 3. Prima multitudinis hujus origo eſt hominis à Dei defectio. Nam *ſi ſolus* Devs *coleretur*, inquit Lactantius, *non eſſet opus ad regendos homines tam multis & tam variis legibus*: videatur & *Auguſtinus* lib. 19. de civit. D. c. 11. 21.

Thes. XII.

Adjuncta ſunt numerus & interpretatio; quorum *ille*, ſi fieri poſſit, non adeò magnus eſſe debet;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bet; *Hæc* ita comparata, ut (1.) ſi ambigua vox ſit, ea potius ſignificatio accipiatur, quæ vitio caret. (2.) Benignior ſententia præferatur (3.) In poſterioribus explicandis priores adhibeantur, & in prioribus poſteriores.

EXPLICATIO.

I. Corruptum Reipubl. ſtatum arguit multitudo legum: velut afflictam civitatis valetudinem multitudo medicorum. *In corruptiſſimâ Republicâ*, inquit Tacitus, *plurimæ leges*. Idem ſuo tempore querebatur, *ut antea flagitiis, ſic tunc legibus Rempublicam laboraſſe*. Neque poſſunt aut debent de ſingulis caſibus ſingulæ ferri leges: quia innumeri ſunt caſus. Lex igitur univerſaliter & perſpicuè informanda, ut ad ſimilia applicari poſſit, vel interpretatione, vel ſuppletione, vel ſupremi principis conſtitutione.

Ex multis noviſque legibus multæ & novæ oriuntur controverſiæ. Vnde *ut vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam advocatis fert*. Tacit.

II. *Interpretatio legum* & juris eſt triplex, *authentica, uſualis* & *Doctrinalis*.

Authentica fit authoritate ipſius Legislatoris, qui ut condere, ita & interpretari pro autoritate legem poteſt: ita ut interpretatio illa legis vim obtineat.

Vſualis petitur ex uſu, obſervantia & conſuetudine legum.

Doctrinalis eſt à Iuriſperitis, qui ex arte & doctrinâ ſenſum eruunt, & ex æquo bono, conſideratis probè circumſtantiis, ſecundùm leges, de factis judicant. In extenſione legis, quando non tantùm pro immediatis ſignificatis lex accipitur, ſed & ad alia, quorum par videtur eſſe ratio, ex-

tendi.

tenditur, magnâ opus eſt prudentia, ne quid Legislatori, contra aut præter mentem affingatur, & interpres ſibi rapiat partes Legislatoris.

THES. XIII.

Contraria legibus eſt earum *mutatio* & *abrogatio:* quarum utraq; fieri poteſt autoritate legislatoris: Neutra tamen abſque urgentibus cauſis tentanda.

EXPLICATIO.

I. Quæritur: *An poſitas ſemel leges, quæ ſua nituntur vetuſtate, ſed aliquid iniqui continent, mutare liceat?*

Pro *Affirmativâ* militant hæ rationes:

(1) Quia variæ occurrunt circumſtantiæ perſonarum, locorum & temporum, quæ novam conſtitutionem poſtulant.

(2.) Quia mala lex non poteſt ex ſolo temporis tractu confirmari.

(3.) Quia leges inſervire debent hominum uſibus & moribus.

II. Pro *negativâ* ſequentes.

(1.) Quia legum mutatio introducit confuſionem & homines incipiunt leges vilipendere, cum vident vitæ ſuæ regulam ſubinde mutari.

(2.) Quia legislatorum autoritas hoc modo vileſcit: quem non tam fuiſſe prudentem præſumunt homines, ut futuri temporis circumſtantias perpendere potuerit.

Memorabiles ſunt hanc in rem ſententiæ, una *Alcibiadis* apud Thucydid. altera *Auguſti* apud Dionem: *Ii hominum*, inquit Alcibiades, *tutiſſimè agunt, qui præſentibus moribus legibuſque, etiam ſi deteriores ſint, minimum variantes Rempubl. adminiſtrant. Poſitas ſemel leges*, ait Auguſtus, *conſtanter ſervate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in ſuo ſtatu eademque manent, etſi de-*

teriora

teriora ſint, tamen utiliora ſunt Reipubl. his, quæ per innovationem vel meliora inducuntur. Ita & *Eleon* cenſuit, *meliorem eſſe ſtatum Reipubl. quæ legibus utitur deterioribus, ſed firmis, eâ, quæ frequenter eas commutat.*

III. In *poſteriorem* hanc ſententiam ita inclinat autor, ut tamen prioris fundamenta non deſtruat: quæ certè non videntur contemnenda. Vnde ſi manifeſta legi inſit iniquitas, præſertim ob mutationem, quæ accidit in circumſtantiis temporum, locorum & perſonarum: abrogandam potius quam retinendam arbitramur: quod abſque confuſione & contemtu legislatorum fieri poſſe credimus. Sunt enim homines legislatores, qui & errare, & futura omnia haud providere poſſunt. Et ob hunc communem ipſis cum omnibus hominibus defectum, non magis contemni debent, quàm omnes in univerſum homines. *Ratio* ex fine legis petita hæc eſt: quia *leges ſunt ad malos mores non ferendos, ſed abolendos inventæ.* Lex igitur iniquum præcipiens cum malũ morem foveat, & rectæ rationi adverſetur, ne digna quidem eſt legis nomine. Nam ubi ratio non eſt, ibi lex non eſt; inquit Autor noſter lib. 3. c. 3.

Monent prudentes in veterum legum *abrogatione* triplici utendum eſſe cautione:

(1.) ut temerè non abrogentur, niſi *iniquæ ſint.*

(2.) Vt exquiſita præcedat *deliberatio* & *conſultatio*, de impedimentis & periculis, quæ poſſint emergere, prudenter declinandis.

(3.) Vt mutatio ad *gentis* naturam & mores immutabiles accommodetur.

Apud *Locrenſes*, vel, ut alii ſcribunt, *Thurios*, mos obtinebat, ut, qui novam legem latam & veterem ſublatam cupiebant, collo laqueum induerent, quò, ſi nova lex utilis & honeſta non videretur, conſtricto laqueo perirent. De legum

civili-

civilium mutabilitate & mutationis neceſſitate, vide Theodor. Reinkinck. lib. 2. claſſ. 2. cap. 5.

IV. Legibus affinia ſunt *Reſcripta principum, conſuetudines* & *ſtatuta*; *privilegia*. *Reſcripta* emanant à Principibus ad ſupplicationem partis vel dubitationem judicis, & contra jus commune nihil valent: quia *Princeps, qui juſtitiæ aſylum & juris cuſtos eſt, non præſumitur aliud reſcribere velle, quam quod jura volunt:* habentque ſemper annexam clauſulam: *Si preces veritate nitantur.* Nihil etiam valent Imperatoris reſcripta contra rem in camerâ judicatam.

Conſuetudo vim legis habet, ſi (1.) ſit *rationabilis*, hoc eſt, bono publico non refragetur & privatorum utilitati provideat (2.) nitatur & *temporis vetuſtate* & *actuum tàm judicialium quàm extrajudicialium frequentiâ*,

Statuta municipalia civitatum & collegiorum approbatorum vim quoque juris habent. Germanic. Willkühr/Stattrecht: Vnde admittuntur etiam contraria juri communi.

Privilegium quaſi privata lex eſt, & privato datur ultra jus commune. Vbi obſervandum, poſſe eum, qui condendæ legis poteſtatem habet, etiam privilegia contra legem concedere. Non autem ſunt concedenda niſi benè meritis: debent enim virtutis eſſe præmia, non turpis & honeſti obſequii. Turpis abuſus privilegii eſt juſta ejus revocandi cauſa. Abolentur tacitè privilegia, quando multis fiunt communia. Et quo pluribus fiunt communia, eò minus æſtimantur à ſingulis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XII.

DE PUBLICÆ DISCIplinæ cuſtodia attinente Reipubl. Religionem, Commercia, honeſtatem, ſecuritatem, cujuſque Rem familiarem, & paupertatem.

THESIS I.

HActenus legum ſanctio: Sequitur publica diſciplinę cuſtodia, cujus conſiderandum *ſubjectum* (1.) *Recipiens* (2.) *Occupans.*

THES. II.

Recipiens ſubjectum ſunt cenſores, qui apud *Græcos* olim & *Latinos* populi mores cum in publicis congreſſibus, tùm in privatis converſationibus obſervabant, & id operam dabant, ne pravis moribus civitas inquinaretur, & fruſtraneæ eſſent leges bonæ.

EXPLICATIO.

Hinc apud veteres appellantur *Cenſores Magiſtri diſciplinæ & præfecti moribus: Pacis magiſtri & cuſtodes: Pudoris & modeſtiæ magiſtri.* Eratque per hos Romæ moribus regendis diligens & ſevera cenſura, teſte *Livio*; Vnde ſacratiſſimus hic Magiſtratus eſt habitus. Fuit autem Cenſorum, quo ad morum obſervationem & emendationem, etiam privatas civium ambire domos, (quod apud Romanos *Cæſar* quoque fecit, cum eſſet *Magiſter morum*) & ut quiſque viveret, percontari. Si quis plebejus oſcitanter vel malè viveret, aut agrum pateretur ſylveſcere, vel arbores & vineas derelictui haberet, per *Cenſores* hoc impunè non ferebat. In ebrietatem, jurgia & perjuria acriter animadvertebant.

Neque

Neque animadverſionem & increpationem effugiebat, qui equum habebat ſtrigoſum, aut ipſe diſcinctus incederet: *Frugalitas, modeſtia* & *pudicitia* ut ubique ſarta tecta eſſet, luxuſque in victu & veſtitu exularet, curabant, ipſi integri & inculpabiles viri. *Otioſos* non ferebant, pravas artes malaſque libidines à *juventute* prohibebant, à *ſenibus* voluptates ætati indecoras. *Hi enim tales, poſtquam ſua prodegerunt, res novas quærunt, & aut ipſi imminent tyrannidi, aut ad eam alios vocant.* Ariſtot. 5. Polit. Sic & *avaros* minimè ferebant: quia *ii demum Penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile ſteterit, ubi minimum virium* fœneris pecuniæque *cupido ſibi vindicaverit.* Valerius Max. *Vbi divitiarum cupido invaſit, neque diſciplina neque bonæ artes ſatis pollent;* Salluſt. Plurimum verò heîc profecerit Magiſtratus exemplo ſuo: Siquidem *vita principis cenſura eſt, eaque perpetua*; Plinius.

Benè cum *Germaniâ* noſtrâ ageretur, ſi & hos haberet Magiſtratus.

Teſtatur enim ſeculorum omnium experientiâ *omiſſam cenſuram funditus Rempubl. trahere, nec prodeſſe foris eſſe ſtrenuum, ſi domi malè vivatur*: Valer. Max. *Niſi ſingulis quoque hominibus officium & verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus ſedem ſtabilem non habebit*; inquit idem. Vnde in Reſpublic. Chriſtianas hunc eſſe revocandum magiſtratum graviter monent *Bodinus & Lipſius.*

Thes. III.

Occupans ſubjectum ſeu objectũ, in quo conſervando occupata eſt publica diſciplina, ſextuplex eſt. (1.) *Religio.* (2.) *Commercia* (3) *Honeſtas* (4.) *Securitas* (5.) *Cujuſq; res familiaris.* (6.) *Paupertas.*

Thes. IV.

Religio eſt ratio Devm rectè agnoſcẽdi & colendi,

di, quod fundamentum & columna eſt totiu Reipubl. Hâc ſola univerſa hominum conſta ſocietas: ſine hac infeliciſſimæ ſunt Reſpublic & earum moderatores. Vnde cura religionis ve ræ plantandæ, conſervandæ & propagandæ ve inprimis magiſtratui incumbit.

EXPLICATIO.

I. Præcipuam magiſtratus curam debere eſſ circa *religionis* veræ plantationem, conſervatio nem & propagationem extra omnem eſt contro verſiam: Videatur libr. 2. cap. 34. th. 3. Expl. 7 *Primum*, inquit Ariſtoteles 7. Polit. cap. 8. *cura tio rerum divinarum.* Rationem reddit alibi *Quia proniores ſunt Dii in eos, qui maximè illos co lunt:* & Lactantius: *religio & timor DEI ſolu eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.*

Hoc verò quærit Autor I. *An expediat diverſas in Republ. religiones eſſe?*

Reſp. *Negativam* amplectitur Autor, cum omnibus ſanioribus Politicis: neque quiſquam ſanæ mentis facilè contradixerit, ſi rationibus politicis ſit inſiſtendum. Ratio præcipua eſt; quia diſſenſio in religione plerunque ſubditorum diſtrahit animos, & fraternitatis, quæ inter ejuſdem Reipub. cives debebat eſſe, vinculum diſſolvit. Vnde multa incommoda. Etſi verò aliquid interdum commodi obvenire poſſit Reipubl. ex diverſitate Religionum; tamen incommoda, quæ inde oriuntur, longè plura & majora ſunt. Memorabilia ſunt *Mæcenatis* apud *Dionem Caſſium* verba: *Eos, qui in divinis aliquid innovant, odio habe & coërce non Deorum ſolùm causâ; ſed quia nova quædam Numina hi tales introducentes multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles principatui.*

II. Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

II. Quæritur. 2. *An in Republ. diverſæ Religi-es mitti poßint?*

Hanc quæſtionem cum priori autor ferè con-ndit, quæ tamen diſtinctiſſima eſt. Siquidem ulta in Rebuspublicis ſæpe toleranda ſunt, quæ on adeò conducunt: Toleranda tamen: quia ſi-e metu & periculo majorum incommodorum iutari non poſſunt. Et in horum numerum Au-or quoq; refert religionum diverſitatem, quam nterim admitti poſſe, contra pleroſque negat, & nter alias iſta etiam utitur *ratione; quia unum mperii corpus unâ religione regi neceſſe eſt.* Et ſi ite-um moderationem præſcribit: quando ait: *Sa-pientißimos Rerumpublic. moderatores in hoc gene-re imitari prudentem nauclerum, qui cum eò, quò cupiat, non poßit pergere, eò, quò poteſt, curſum di-rigit, & ſæpè velificatione mutatâ procellis & tem-peſtatibus obtemperat, ne, ſi curſum tenere rectum velit, naufragium patiatur.* Quæ omniũ pruden-tium politicorum ſententia eſt. Reſpondemus igitur paucis: Modis omnibus pio Magiſtratui o-ptandum eſſe, ut in Republica religio nõ niſi una ſit, eaque vera & verbo DEI unicè nixa. Quam in ſententiam Reges & principes compellat Regius Pſaltes, Pſ. 2. v. 10. 11. 12. *Nunc ergo, Reges, ani-madvertite, eruditionem percipite, ô judices terræ: Colite Iehovam cum reverẽtiâ, & exſulta cum tre-more: oſculamini filium, ut non iraſcatur & perea-tis in viâ, cum exarſerit vel minimùm ira ejus: bea-ti omnes, qui ſe recipiunt ad eum!* Hujus verò vo-ti ſi compos fieri nequeat, telerandã potius religi-onũ diverſitatem judicamus, quam violẽter cum periculo ſtatus publici convellendi tollendam, ſe-quentibus præſertim obſervatis conditionibus.

(1.) *Si, quæ toleratur vel toleranda eſt, Religio ma-nifeſtas in DEVM blaſphemias non profiteatur:* de quibus tamen ex ſcripturâ, non ex ad-

verſæ

verſæ partis arbitrio pronunciandum.

(2.) *Si ad publicam & politicam pacem violanda comparata dogmata non habeat.*

(3.) *Si profeſſionis libertatem à Magiſtratu aliqua do obtinuerit, vel confeſſores eam ſibi reſervarin*

(4.) *Si ad publici & politici ſtatus conſervatione ſtudia ſua confeſſores ejus dirigant, & in iis, qu legi divinæ non adverſantur, magiſtratui ſe no opponant.* Hoc eſt, *ſi DEO dent, quæ DEI ſun & Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*: ſecundum Chriſ præceptum Matth. 21. v. 22.

Lipſius heîc diſtinguit inter *Turbones* & *Erro nes*: Illos deſcribit, qui malè de DEO receptiſq ſacris ſentiunt, & alios ad ſentiendum *per turba* impellunt: Adverſus quos etſi inclamat illud *Vre, Seca*: tamen exceptionem hanc addit: *S ſubita coërcitio plus damni in Rempubl. non ferat* Certe ut *Turbonibus* nemo prudens benè cupit: ita prudentiâ in coërcendis iis maximâ opus eſſe omnes affirmant: ne intempeſtiva coërcitio e. vertat Rempublic. quam ſalvam eſſe Zelus cupit. *Melius eſt*, inquit Auguſtinus, *ut pereat unus, quam ut pereat unitas*: Sed & melius eſt, ut ſervetur malus unus, quam ut propter unum illum pereat bonorum unitas. *In morbis nihil eſt magis periculoſum, quam immatura medicina*: Seneca. Hinc *Gratianus* & *Iovinianus* Imperatores ſubditis varias in imperio Romano religiones profitentibus templa & oratoria conceſſerunt, ad inteſtinos motus præcavendos. *Socrat.* hiſt. Eccl. libr. 3. c. 25. & lib. 5. cap. 2.

III. Quod heîc objicitur: *de mutationis Rerump. & bellis inteſtinis, quæ cũ religionum diverſitate conjuncta eſſe ſolent,* tanti momenti non eſt. Siquidem religionum diverſitas per ſe non mutat aut perturbat Rempubl. ſed vel Magiſtratus, qui inveteratam opinionem nimis pertinaciter vult

tueri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tueri, & ſub prætextu religionis heterodoxorum quærit excidium : vel improbi quoque ſubditi, qui ſub ſpecioſo religionis titulo per fraudes ſtatum politicum turbare moliuntur.

Hoc denique de *Religione* monendus eſt magiſtratus, *ne per vim ad eam adigat ſubditos :* Siquidem fides ſuaderi, non cogi debet : *Doctore* heîc opus, non *tortore: Quis imponat mihi neceßitatem,* exclamat Lactantius, *vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi? Nihil tam voluntarium*, inquit idem, *quam Religio, in quâ ſi animus adverſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Quam in ſententiam *Rex Theodoricus,* apud Caſſiodorum, *Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Et in ſubditorum conſcientias nulla magiſtratui competit jurisdictio. Vnde laudatiſſimus Cæſar *Maximilianus II. Nullam eſſe,* dixit, *intolerabiliorem Tyrannidem quàm dominari velle conſcientiis.* Et *Stephanus* Poloniæ Rex dicere ſolitus eſt: *DEVM tria ſibi reſervaſſe, in quibus nec velit nec poßit parem habere. Dominari conſcientiis, Scire futura, Ex nihilo aliquid facere. Mentium Rex Deus eſt,* inquit Auguſtinus.

Thes. V.

Commercia, ſine quibus nulla conſiſtere Reſpublica poteſt, à magiſtratu quoque inprimis ſunt curanda & conſervanda, quod, ut ritè & in ſalutem Reipublicæ fiat, compeſcendi fœneratores : quo nomine ii veniunt, qui vel iniquis uſuris cives premunt, & tandem conſumunt, vel merces nimis iniquo pretio & lucro divendunt : Præſertim ubi *Monopolia* tolerantur.

Explicatio.

I. Commercio carere non poteſt Reſpub. quia univerſale quoddam eſt humanæ inopiæ ſuble-

ſublevandæ ſubſidium, per quod in Rempubl cam importantur, quibus illa eget, & exportar tur, quibus abundat. Vix enim nullam inveni cultam Rempubl. & provinciam, quæ ipſa ſil ſufficiat, alteriuſque ſubſidio non egeat.

II *Fœnoris* & *fœnoratorum* nomina valde exc ſa ſunt in Republ. prudentibus: Res ipſæ ver planè pernicioſæ. Vnde dicuntur fidem, probi tatem, cæteraſque bonas artes evertere, & pro hi ſuperbiam & crudelitatem invehere, DEUM ne gligere, omnia venalia habere.

Fœnorandi ſtudium appellat *Salluſtius Belluan feram, immanem & intolerandam. Ambroſius furto quovis deterius crimen. Tacitus; ſeditionun diſcordiarumque cauſam. Alphonſus Aragonun Rex, Animæ funus.* Et dicuntur fœnoratores *nun quam ſerere, ſemper metere, cocta cruda devorare. nunquam ſaturari: quibus ſive ſterile, ſive fertil ſit ſolum, menſtruos fert cenſus luna, ſol annuos.*

Hæc tamen non ita crude accipienda, de toto commercio omnium *Numulariorum, Argentariorum, & Collybiſtarum* ſeu *Trapezitarum*, ſive numos commutent ſive mutuam dent pecuniam, ſub certo fœnore, ſeu acceſſione, quam uſuram appellamus. Nam ſi intra æquitatis ſe limites contineant & publica Magiſtratus edicta non violent, neceſſariam quoque Reipubl. operam navant, adeoque non minus tolerandi, quam alii Artifices, *Danæus*, Polit. Chriſt. lib. 4. cap. 2.

THES. VI.

Honeſtatis maxima habenda ratio: Cui extremè adverſantur *Lupanaria*, in Rebuſpublicis minimè toleranda.

EXPLICATIO.

I. *Rationes* ſunt:

(1.) Quia

(1.) Quia occaſione eorum mens hominis à ſua ſede dimovetur.

(2.) Quia cenſum facultateſque exhauriunt: Vnde illa apud *Plautum* querela:

Meretrix meum herum miſerum ſuâ blanditiâ intulit in pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.

(3.) Quia in iis omnium turpiſſima eſt corruptela juventutis: Morum civitatis depravatio: Corporis tormentum: Animæ proditio.

(4.) Quia fœdiſſimis & hæreditariis morbis Rempublicam inficiunt.

Has Reipubl. peſtes hodie fovet *Romanus Pontifex*: cui gratus eſt lucri nefarii odor ex re turpiſſimâ.

II. Malè olim *Iohannes Gerſon, cancellarius Pariſienſis*; *in omni*, inquit, *Republ. tolerari poſſunt & debent vitia, quæ abſque deteriori periculo neque corrigi neque exſtirpari poſſunt, qualis ſunt lupanaria, ſacerdotes concubinarii.* Quaſi vero facienda ſint mala divinæ legi adverſa, ut eveniant bona: quaſi *lupanaria* & *ſacerdotum concubinatus* corrigi & exſtirpari è Republic. non poſſint, ſine ejus excidio.

Aiunt *permittere ſe lupanaria & publicas ſcortationes, ut vitētur adulteria & ingenuarū ſtupra.*

Reſp. Quaſi verò ſine Reipubl. excidio ſeveritate pœnarum coërceri non poſſint & ſcortatores & adulteri.

THES. VII.

Securitati Reipublicæ conſulit magiſtratus, pulſis è Republica otioſis & *Cygaris*, mendicorumque cohibitâ importunitate.

EXPLICATIO.

I. Otioſos è Repub. pellendos eſſe ſuadetur *rationibus* & *exemplis*.

Rationes ſunt:

(1.) Quia *cives nihil agendo malè agere diſcunt* Vnde *Saluſtius* ait; *Neceſſe eſſe omnes in Repul habere negotia ſua, quibus à malo publico detine antur.* Ad fœdas libidines nulli magis procli ves ſunt, quàm otioſi. Vnde illud Poëtæ:

Quæritur Ægyſtus quare ſit factus adulter
In promptu cauſa eſt: deſidioſus erat.

(2.) Quia per otium & ignaviam homines ener vantur & effœminantur, ut nulli eſſe Reipubl præſidio poſſint. Hinc *Ovidius*:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus
Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ!

(3.) Quia *confuſio* per otioſos in civitatem inducitur: Iniquum enim eſt paribus frui privilegiis in civitate otioſos cum iis, qui probè ſuo funguntur officio. Otioſi veluti fuci in alveariis deprædandis occupati ſunt: adeoque publico digni odio.

(4.) Quia ex otio oriri ſolent ſeditiones. Vnde fortiſſimus ille *Corbulo* apud *Tacitum* prohibuit, *ne otio deſides militum animi luxuriarent.* *Exempla* ſunt memorabilia.

Apud *Spartanos* ſummum erat dedecus ignavum ad conſortium admittere, vel in luctâ cum eo ſe exercere.

Romanis nihil fuit antiquius, quàm ut caverent, ne adoleſcentes & ſenes viverent otioſi. Et *tàm diu duravit in civitate gloria, quàm diu adoleſcentibus Romæ vagari otioſis non licuit. Cicero.*

Marci *Aurelii* Imperatoris tempore ad publicum opus damnabatur, qui in foro ambulabat ſine profeſſionis ſuæ teſſerâ.

Apud *Athenienſes Draco* otioſos voluit interfici.

Solon inertes in forum trahi voluit tanquam facinoroſos.

Apud *Indos Gymnoſophiſtas* impranſi ad opus foras trudebantur, qui ante prandium otiati eſſent.

II. *Cyga-*

II. *Cygari* ab *Italis* dicti, vel teſte *Goropio*, *Cigali*: *Germanis* Zigeuner / quaſi Zihe einher: quia vagabundi ſunt mendici, impoſtores & latrones, *Gallis* appellantur *Ægyptii*, quia ſe *Ægyptios* mentiuntur. *Hiſpanis Gittani.* Sunt hi ex variis nationibus collectorum hominum ſentina: ſine certis ſedibus regiones pererrant, & ex furtis, latrociniis, rapinis, mendicatione, divinationibus & magicis artibus vivunt, multarũ periti linguarum. Corpora de induſtriâ nigra & deformia faciunt, & pinguedine, ut ferunt, anſerinâ infantes recens natos ungunt, ut luculentum colorem ſtatim ab infantia trahant: quò nationem planè ſingularem & peregrinam mentiuntur.

Hoc hominum genus publico natum exitio publicè Imperii lege removetur, & tanquam proditores & exploratores in pace & fide publicâ non continentur. Vide *Limnæ.* libro 9. cap. 11. numero 161. &c.

III. *Mendicantium validorum*, qui laborem veluti ſupplicium fugiunt, importunitas quoque coërcenda: quia Civitati ſunt dedecori, civeſque honeſtos & laborioſos exhauriunt. Vnde jubent leges civiles in ſingulis explorari integritatem corporum & robur annorum. Hinc laudabilis *Caroli M.* conſtitutio: *Mendici per regiones vagari non permittuntor: Suos pauperes quæque civitas alito. Illis, niſi manibus operentur, nullus quicquam dato.* Sic in *Iſraëlitico* populo nullus eſſe mendicus debuit. *Deut.* 14. *v.* 4. Interim non excluduntur planè à civitate, qui omnium commerentur miſericordiam: Sed tantum à foribus honeſtorum civium ad Xenodochia relegantur: quæ tanto majori liberalitate conſervanda ſunt, ut alendis pluribus ſufficiant.

Summa huc redit: *Danda eſt opera Magiſtratui, ut malis hominibus purgetur Reſpublica*; *quod* fit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſi emendabiles caſtigentur, deſperati & quaſi putrida membra reſecentur, vitia radicitus extirpentur & occaſiones eorum præcidantur: cui rei in Rebuſpublicis & civitatibus nonnullis serviunt *ædes diſciplinares*, Zuchthäuſer quales habent *Amſterodamum* & *Brema*.

Serviunt quoque huic rei publicæ opificum officinæ, eæque eximiæ, quales apud *Antverpianos, Brabantinos* & *Delphenſes Hollandos*, in quibus pauperculi cives, eorum filii, publicis aluntur & erudiuntur ſumtibus: unde omnis generis egregij prodeunt Artifices: Apud *Gallos, Helvetios* & alios *Germanos*, quia minor opificiorum cura, major eſt mendicantium copia.

IV. Conſulitur quoque ſecuritati Reipubl. *ſi exquiſita habeatur viarum publicarum & itinerum ratio:* quæ apud Romanos olim *Cenſorum* fuit cura in publicis viis reficiendis & latrociniis comprimendis occupata. Et hanc ſibi curam incumbere noverint pii Magiſtratus: quam ſi negligunt, commerciorum curſui remoram injiciunt, & reditus ſuos imminuunt: omnes enim eam fugiunt provinciam, quam norunt latronibus eſſe infectam & viarum aſperitatibus, voraginibus & ruinis impeditam. Interim multos hodie videas de vectigalibus unicè ſolicitos, & viarum ſecuritatiſque itinerum plane negligentes. Aliter ſenſit *Trajanus Imperator*, quem hoc nomine *Plinius* maximè laudat, quod publica itinera tuta mariſque portus ſecuros præſtiterit.

THES. VIII.

Rei cujusque familiari conſulit magiſtratus, ſi & conviviorum & veſtium frænat luxum.

EXPLICATIO.

I. Conviviorum luxuriam & veſtium ægræ civita-

vita-

itatis indicia eſſe, ſcribit *Seneca*. Cur autem è Rẹpubl. proſcribendus conviviorum luxus, *rationes* ſunt:

1.) Quia luxus conviviorum, conſiſtens in nimiâ multitudine & varietate ciborum, contra naturam eſt: ſiquidem *paucis contenta eſt natura.*.

2.) Quia tàm nihil exhaurit privatas & publicas opes, quàm luxus conviviorum, teſte experientia.

Prodigalitatem in ſubditis ſequitur extrema paupertas. Paupertatem prodigorum furta & latrocinia, atque aliæ artes malæ & illicitæ. Quidvis enim facere & pati ſuadet paupertas. Magiſtratus verò per luxum ad inopiam redactus tandem in Tyrannum degenerat ſubditorum expilationibus intentum.

(3.) Quia luxu planè enervantur corpora, & ad ſuſtinendos labores inepta redduntur. Vnde luxus Campaniæ *Hannibalis* militi plus nocuit quam arma *Romanorum*. Et *Alexandrum* M. Orientis luxus tandem ſubegit, poſtquam armis ab eo ſubactus erat.

Probè igitur illud *Senecæ* obſervetur monitum: *Placeat menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum ſucceſſiones civitati nota, ſed in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos vel voluptate moretur, vel invidiâ accendat.*

II. Non minus quoque luxus in veſtitu è Republ. exterminandus, qui privatorum quoque facultates exhaurit, & ſuperbiæ, levitatis atque otii, præſertim in ſexu femineo, magiſter eſt: Vnde *Ephori* olim ſeu cenſores apud *Lacedæmonios* civium veſtes quotidiè obſervabant, *numquid à decenti & debito ornatu deficeret*. Iidem ſolis meretricibus floridas veſtes aureumque mun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

mundum geſtare permiſerunt, ut ab iis honeſtæ fæminæ diſcernerentur.

De veſtitu ſequentia obſerventur monita:

(1.) *Non ſit peregrinus aliundè aſcitus, ſed cuique genti peculiaris & conſtans.* Ratio eſt:

Quia veſtes crebrò mutatæ & formæ ab exteris accerſitæ nationibus animorum arguunt inconſtantiam atque levitatem, & plerunque etiam peregrinos in Remp. mores invehunt : quos Rerumpubl. ſequuntur mutationes.

Contra hoc monitum nulla ferè natio graviùs delinquit, quàm *Germanica*, quæ tamen *Gallis* inconſtantiæ hujus utitur magiſtris.

(2.) *Vt ordinibus & dignitate cives differunt, ita & veſtitu differre debent, nec cuivis liberum eſſe, quocunque modo ſe veſtire.* Ratio eſt:

Quia digna eſt præmio ſuo virtus : quæ certa quoque dignitatis & eminentiæ ſibi depoſcit inſignia in ſenſus incurrentia, per quæ agnoſci & à vulgi fæce dignoſci queat : quod fieri neutiquam poteſt, ubi cuivis geſtare quodvis permiſſum eſt. Ad hanc confuſionem prohibendam *veſtiariæ leges* in benè conſtitutis quibuſdam Rebuſpub. non tantum ferri, ſed & obſervari ſolent : in aliis feruntur quidem, ſed non obſervantur : in plurimis ne feruntur quidem, magno ſalutis publ. detrimento.

(3.) *Feminarum habitus decorus eſſe debet, non decurtatus : Ornatus modicus, non nimius, tegendo corpori, non proſtituendo accommodatus.*

Ratio : Quia decurtatus & nimis ad ornatum compoſitus, tegendaſque corporis partes quaſi venales publicè exponens veſtitus magnæ levitatis ſuſpicionem movet & incontinentium libidines excitat.

Obſervandus feminarum ornatus qui à *Tertulliano* eſt præſcriptus ; *Prodite vos jam medicamen-*

entis & ornamentis extructæ apoſtolorum, ſumen- s de ſimplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, pictæ oculos verecundiâ, & ſpiritus taciturnita- , inſerentes in aurem ſermonem DEI, annectentes rvicibus jugũ Chriſti. caput maritis ſubjicite, & tis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi gite, & plus quàm in auro placebunt. Veſtite vos rico probitatis, Buſſino ſanctitatis, Purpura pudi- tiæ. Taliter pigmentatæ DEVM habebitis amato- em.

THES. IX.

Paupertati & miſerabilibus perſonis conſulit ſagiſtratus per Collegia, in quibus extremè pau- eres & ad victum parandum ineptos, aut mor- is etiam affectos, alit curatque, vel planè gratis, el pretio levi & tolerabili.

EXPLICATIO.

Miſerabilium perſonarum ratio in Republ. eſt habenda, quia pars quoque civitatis ſunt, quam reliquo corpore negligi iniquũ & crudele eſſet. Huic fini inſerviunt *Ptochotrophia,* in quibus a- untur Mendici: *Orphanotrophia*, in quibus or- phani minores omnibus deſtituti ſubſidiis reci- piuntur: *Noſocomia*, quibus ægroti: *Xenodochia,* quibus advenæ ægri. *Gerontocomia,* quibus pau- perculi ſenes recipiuntur & ſuſtentantur.

Collegia hujuſmodi iiſdem gaudent privilegi- is, quibus Eccleſiæ.

CAPVT XII.

DE IURISDICTIONE.

THESIS I.

FVit *cuſtodia publicæ diſciplinæ* : ſequitur Iu- riſdictio, quæ eſt poteſtas politica ſtatuendi aliquid de negotio civili vel criminali.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Obſervetur heîc obiter diſtingui *Iurisdictionem* ab *Imperio*: *Iurisdictio* eſt cauſarum cognitio & judicatio. *Imperium* eſt executio judicatorum: adeo ut *Imperii* fundamentũ ſit *Iurisdictio*. Porrò *imperium*, pro ratione cauſarum civilium & criminalium, diſtinguitur in *mixtum* & *merum Imperium*: *Mixtum Imperium* eſt poteſtas exequendi judicatum in causâ civili, vel cogendi per legitimos tramites, aut ad rem reſtituendam, aut ad dandum vel faciendum aliquid.

Merum Imperium ab *Vlpiano* definitur poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos: quod olim ſoli *Populo Romano*, pòſt *Principi* fuit reſervatum. Hodie Imperii ſtatibus competit *mixtum* & *merum Imperium*. Et hoc quidem Germanis appellatur **Blutbahn/ Halßgericht / Peinliche Gericht über Haut vnd Haar/ Halß vnd Haupt:** Cujus tres conſtituuntur gradus. (1.) Continet pænam *mortis naturalis*. (2.) Pænam *mortis civilis*, quâ libertas, civitas & familia amittitur, ut fit in exilio, deportatione, damnatione ad metallum, &c. (3.) Pænas *non capitales*, quibus, vel *corpus*, vel *fama* læditur: ut fit in fuſtigationibus, corporis mutilationibus, &c. Vide *Matth. Steph.* de Iuriſd. lib. 1. cap. 7. 8. 9. 10. De *mixti Imperii* gradibus videatur *Obrecht*, de Iuriſd. cap. 12.

Acriter olim inter *Lotharium* & *Azonem* Bononiæ diſputatum: *utrum magiſtratus habeat merum imperium, an ſolius Principis id proprium ſit?* Diſceptatum equi factâ ſponſione. Tandem arbiter electus *Henricus* VII. Imper. qui merum Imperium ſolius eſſe Principis judicavit. Vnde Lotharius *equum*, Azo *æquum* tuliſſe dicitur. Quotquot enim, præter *Alciatum* ſcripſere,

Azonis

[..]zonis ſententiam veriorem judicarunt: *Bodin.* [..]ethod. hiſt. cap.6..

THES. II.

Iurisdictionis conſideranda (1.) *Efficiens* (2.) [..]*djuncta* (3.) *Diſtinctio* (4.) *Probatio.*

THES. III.

Efficiens Iuriſdictionis *principalis* eſt magiſtra-[..]is: *Inſtrumentalis* ſunt conſiliarii in admini-[..]randâ Iuriſdictione magiſtratum, & inprimis [..]rincipem, adjuvantes.

EXPLICATIO.

I. Ita Magiſtratus ſtatuere de cauſis civilibus & [..]riminalibus debet, ut ſolus ſit arbiter rerum jure [..] nomine principali vel regio. Vnde permittere [..]eutiquam debet, ut uni ſuorum conſiliariorum [..]berum ſit imperii habenas pro arbitrio modera-[..]i: quia *periculoſum privati hominis nomen ſuprà* [..]*rincipis attolli. Tacitus.* Princeps enim non niſi [..]udum nomen retinet. In monitum hoc impe-[..]erunt olim & impingunt hodiè Reges & Prin-[..]ipes multi. Ita ſummam Imperii olim credidit [..]*Artabano Xerxes, Hepheſtioni Alexander M. A-*[..]*rippæ Auguſtus, Sejano Tiberius, Plautiano Seve-*[..]*rus, Eutropio Arcadius.*

II. Iudicum inferiorum, hoc eſt, eorum, qui-[..]bus cauſarum cognitionem & deciſionem man-[..]dat Princeps, requiſita expreſſit *Iethro Moſis* ge-[..]ner, Exod.18.v.21. Deut.1.v.12. Sunt ea quinque.

(1.) *Timor DEI:* quia non hominis, ſed DEI, exercent judicium. 2.Chr.19. v.6.

(2.) *Sapientia*: Quia ignorantia juris eſt calamitas innocentis. *Auguſt.* Vnde in judice *Sal* requiritur duplex: unus *ſcientiæ:* ſine quâ eſt inſipidus: alter *conſcientiæ*, ſine quâ eſt diabolicus.

(3.) *Animi magnitudo*, ut in cognoſcendo nec

excandeſcat adverſus malos, neque precibus calamitoſorum ad intempeſtivam moveatur commiſerationem.

(4.) *Veracitas*, hoc eſt, firmum propoſitum vera dicendi & ſecundum veritatem pronunciandi, omneſque fraudes & dolos opprimendi.

(5.) *Continentia* à captandis muneribus, quæ judicum excæcant mentes.

Semper autem judices meminerint, rationem judiciorum aliquando reddendam eſſe DEO: ut ita homines judicent, uti à DEO ſe judicari optant. De hiſce judicum requiſitis locus inſignis videatur quoque 2. Chronicorum 19. verſ. 5. 6. 7. &c.

THES. IV.

Adjuncta Iuriſdictionis exercendæ ſunt (1.) *Conſtantia* (2.) *Severitas* (3. *Lenitas*.

EXPLICATIO.

I. Ea requiritur conſtantia, ut uno veterique tenore fluat gubernatio. Non principium ferveat, medium tepeat, ultima frigeant: Nihil etiam temerè innovetur. *Ne initia Magiſtratuum ſint fermè meliora, & finis inclinet*: ut *Tacitus* queritur. Ne convicium *Dejaniræ* exaudiat Princeps: *cæpiſti melius, quàm deſinis*: Qualia in hiſtoriis multa occurrunt exempla. Malè hoc nomine audiunt *Caligula*, *Nero*, *Domitianus*, *Heliogabalus*, *Valentinianus*. *&c.*

II. *Severitas* in Iuriſdictione ita debet eſſe compoſita, ne princeps vel aciem ſuæ autoritatis hebeſcere, vel in rigorem nimium degenerare patiatur. Nimia enim lenitas contemtum, rigor nimius exoſum reddit. Et ob nimiam ſævitiam dominus amittit juriſdictionem in ſubditos. *Gail.* 1. obſervat. 17. n. 2.

III. *Lenitas* quoque pro re natâ requiritur in ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ercitio juriſdictionis : quia, ſecundùm *Claudianum :*

——————peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit.

ui equos domant, inquit *Plutarchus, prius blanuntur iis, ac molliſſimè tractant, ut aſſueſcant eno : Sic populus lenitate ſubigendus.* Et *Cicero. ihil eſt tàm deforme, quàm ad ſummum Imperim acerbitatem naturæ adjungere.* Interim idem lanè neceſſariam in Reipubl. adminiſtratione ſeeritatem indicat 1. off. *Adhibenda eſt Reipubl. auſa ſeveritas, ſine quâ adminiſtrari civitas nulla oteſt.* Pulcherrimum hanc in rem eſt monitum *enecæ :* lib. 1. de Ira cap. 5. *Legum præſidem, civiatiſque Rectorem decet, quàm diu poteſt, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda ſuaeat, cupiditatemque honeſti & æqui conciliet anius, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum. ranſeat deindè ad triſtiorem orationem, quâ moeat adhuc & exprobret: Noviſſimè ad pœnas, & has dhuc leves & revocabiles decurrat. Vltima ſuplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Hæc *Seneca.*

THES. V.

Diſtinguitur Iuriſdictio in *criminalè* & *civilem.*

THES. VI.

Criminalis Iuriſdictio exercetur adverſus delicta & crimina : Vbi in conſiderationem venit (1.) *Officium* magiſtratus (2.) *Pœna* criminibus debitæ.

THES. VII.

Officia Magiſtratus in exercenda Iuriſdictione ſeptem potiſſimùm ſunt. (1.) in plectendis facinoroſis veterem tenere modum, non nova excogitare ſupplicia. (2.) In exigendis pœnis præſcribere æqualitatem ſecundum proportionem Geo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

metricam. (3.) Neminem ex ſuſpicione ad mortem condemnare. (4.) Non nimis frequenter irrogare ſupplicia, ſed cum publica ſuadet utilitas. (5.) Non præcipitare ſententiam condemnatoriam. (6.) Diebus feſtis non exigere ſupplicia. (7.) Non ſpectare ſupplicia neque lætitiæ ſignificationem edere.

EXPLICATIO.

I. *Non ſunt nova excogitanda ſupplicia, ſed*, ut *Ariſtoteles* loquitur, *more patrio ſumenda* : quia novitas illa crudelitatem magiſtratus arguit. Hoc nomine infames ſunt in hiſtoriis *Caligula*, qui multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis vel beſtiis objecit, vel beſtiarum more caveis coërcuit, vel medios ſerrâ diſſecuit. *Iohannes Baſilides* Moſcoviæ Dux, qui ſuppliciorum novorum & exquiſitorum genera excogitavit plurima: *Sylla*, qui *Mario* perfringi crura, erui oculos & amputari manus juſſit: *Artaxerxes, Cambyſes, Nero*, & ex Imperatoribus *Turcicis* plurimi.

II. *Æqualitas proportionis Geometricæ obſervanda eſt*, ut delicta eadem, pro ratione perſonarum, non prorſus eodem modo eâdemque ſeveritate puniantur; Vel ob *imbecillitatem*, qualis in ſexu femineo, qui non ita affectibus poteſt reſiſtere: vel ob *priora merita*, aut ea etiam, quæ adhuc præſtari Reipubl. poſſunt.

Hinc eſt quod nobiles & illuſtres viri, aliique honoratioris ordinis, non in crucem agi, ſed capitibus plecti ſoleant: quia ſuſpenſio longè ignominioſior eſt decollatione: nonnunquam etiam, pro ratione delictorum, planè veniam conſequantur, propter merita Reipubl. præſtita, vel præſtanda. Solet heîc quoque in conſiderationem venire *familia*, quæ nimis ignominioſis

ſuppli-

ſuppliciis non adeò eſt deformanda: niſi aliud ſuadeat publica utilitas, vel expreſſum Dei mandatum.

III. *Nemo ex ſuſpicione ad mortem condemnandus:* quia præcipitationem illam è veſtigio ſequitur pœnitentia. In hoc præceptum peccavit graviter *Theodoſius* II. qui *Paulinum* virum optimum ex meris ſuſpicionibus capite plecti juſſit.

IV. *Non minus frequenter ſupplicia irroganda:* quia de ſententia *Senecæ*, *Principi non minus turpia ſunt multa ſupplicia, quam Medico funera.* Et, *ſeveritas amittit aſſiduitate autoritatem.* Idem. Et, *regia crudelitas tollendo auget inimicorum numerum.* Idem. Sit igitur *parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis.* Idem. Quia *melius ſanare vitioſas partes, quam exſecare*; Cicero. Graviſſima eſt *Senecæ* ſententia. *Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.*

V. *Non præcipitanda ſententia condemnatoria*; quia *prope eſt, ut libenter damnet, qui citò. Seneca.* Vnde prudenter *Auguſto* ſuaſit *Athenodorus*: *Cæſar, cum fueris iratus ne quid dixeris fecerisque prius, quam græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recenſueris. Ea demum velocitas placet*, inquit Seneca, *quæ, ubi juſſa eſt, veſtigium ſiſtit, nec ultra deſtinata procurrit; & quæ flecti, & à curſu ad gradum reduci poteſt.* Ira hinc procul amandāda, quam *maximè prohibendam in puniendo*, judicat *Cicero*: Rationē reddit *Ariſtoteles*: quia *iratus ad pœnam qui accedit, nunquā mediocritatem illam tenebit quæ eſt inter* Nimium & Parum.

VI. *Diebus feſtis non exigenda ſunt ſupplicia:* His enim religioſa quies eſt permittenda, in quâ nec magiſtratus, nec ſontes turbandi: quod à *Romanis* quoque obſervatum.

VII. *Princeps ſpectare ſupplicia non debet, neque lætitiæ ſignificationem edere*: quia *ferina rabies* eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

eſt, ſanguine & vulneribus gaudere. Seneca. Et teſte *Claudiano:*

> *Qui fruitur pœna, ferus eſt, legumq́ videtur*
> *Vindictam præſtare ſibi.*

Eum igitur indue vultum, *tanquam invitus & magno cum tormento ad caſtigandum venias*; Seneca. Neque vultum tantum, ſed & animum; ut reos punias, *non tam ut ipſi pereant, quam ut alios pereundo deterreant:* Idem. Sed & ſpectare ſupplicia viro principi vitio vertitur, quem præmiis diſtribuendis potius, quàm pœnis infligendis decet intereſſe, è ſententia *Xenophontis.*

Hinc ſub Imperii initia *Nero* ſubtraxit oculos, juſſitque ſupplicia, non ſpectavit. Maximè vero vituperandus *Antonius*, qui proſcriptorum & interemptorum civium capita etiam inter cœnandum adſpexit, & ſe diutiſſimè nefario illo & miſerrimo ſpectaculo exſatiavit. Talis & *Caligula* fuit.

THES. VIII.

Pœnæ criminibus debitæ ſunt *capitales*, vel *non capitales.*

THES. IX.

Capitales pœnæ ipſam adimunt vitam: quarum ſpecies, *Suſpenſio, Crematio, Decollatio, Lapidatio, Submerſio, Diſſectio membrorum, Excoriatio, Dejectio è rupe Tarpeja, Damnatio ad beſtias, Confractio membrorum per rotam.*

EXPLICATIO.

I. *Capitalis pœna* hoc loco ſtrictè & propriè accipitur: alias capitalis quoque appellatur, quando reus amittit civitatem, vel libertatem, qui pœnæ ſervus nominatur. Eſt autẽ inter capitales pœnas, *Suſpenſio* vel de cruce, quæ in ſpecie *Crucifixio* appellatur, vel de furca, vel de arbore, vel de periculo in ſpecie ſic dicto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Crux olim, cujus variæ fuerunt figuræ: (uſitatiſſima tamen litteræ T.) gentilibus uſitata uit, non autem populo *Iſraëlitico*. Vnde gentilio more *Chriſtus* à Iudæis crucifixus eſt.

Carthaginenſes ſuos Duces pravo conſilio bela gerentes, etſi proſpera fortuna ſecuta eſſet, in crucem ègerunt. *Alexander M.* duo millia *Tyriorum* crucifixit. *Titus* in obſidione *Hieroſolymitanâ* quingentos & plures in ſingulos dies crucibus affixit.

Furca & ipſa crux appellari ſolet: cui tamen diſſimilis figurâ fuit: qualis eſt literæ majoris græcæ *Υ*. Eadem tamen erat ſupplicii ratio.

De *arboribus* olim *Germani* proditores & tranſfugas ſuſpenderunt. In *Germania* modo *ſuſpenſio de patibulo* ſuprà modum triſte & ignominioſum eſt ſupplicium: quia cadavera non demittuntur è patibulis, ſed corvis dilanianda permittuntur: Vnde oſſa ſæpius in plures annos de infami trabe pendent. Mitius in *Galliâ* & *Angliâ* ſupplicium hoc eſt, ubi poſt occaſum ſolis demittuntur cadavera, & terræ mandantur. Certè furti pœna atrox eſt *ſuſpendium*, plurimis improbata ICtis & Theologis: quia inter pœnam & culpam nulla eſt proportio: Vide *Matth. Steph.* de Iuriſd. lib. 1. cap. 8. num. 51. 52. 53. & ſeqq. *Iohannes Coraſius* ait; ſuſpendium inter omnia pœnarum genera, quæ à veteribus excogitata ſunt, eſſe ignominioſiſſimum, fœdiſſimum, turpiſſimum & maxime infame.

II. *Cremebantur* olim ſervi, qui dominorum ſaluti erant inſidiati, nec non incendiarii. Hodie Veneficæ, Incendiarii & Sodomitæ.

III. *Decollatio* apud Romanos fiebat ſecuri, hodie gladio fit, quæ aliquantò honeſtior cenſetur.

IV. *Lapidatio* apud *Iudæos* in uſu erat, & irrogaba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

rogabatur adulteris, blaſphemis & filiis immorigeris. Putat *Zepperus* hoc pœnæ genus fuiſſe mite & non adeo acerbum : quod multis veriſimile non videtur.

V. *Submerſio* parricidarum pœna eſſe ſolet: alicubi & Sodomitarum.

VI. *Diſſectio membrorum* vel etiam diſtractio per equos hodiè in Europâ quoque uſitata eſt adverſus proditores, & læſæ Majeſtatis reos.

VII. *Excoriatio vivorum* Ægyptiis olim in uſu erat contra graſſatores & latrones. Olim ſub *Parſarum* Rege *Barthane* plurimi quoque Chriſtianorum vivi ſunt excoriati.

VIII. *Dejectio & præcipitatio de rupe Tapejâ* apud *Romanos* recepta fuit adverſus eos, qui falſum dixiſſent teſtimonium.

IX. *Damnatio ad beſtias :* quibus dilaniandi & devorandi objiciuntur rei, apud *Romanos* & *Græcos* in uſu fuit.

X. *Rotis* hodiè membra confringuntur latronibus. den Straſſenräubern.

XI. Inter *capitales pœnas* olim quoque erant, (1) *Omnium venarum ſectio*, quâ ſine magnis cruciatibus veluti animi deliquio extinguebantur rei: quo ſupplicii genere ajunt ſublatum *Senecam* præceptorem à *Nerone* diſcipulo. (2.) *Hauſtus Veneni*, apud *Græcos* potiſſimum uſitatus, quo ſublatus ab *Athenienſibus* injuſtâ de causâ *Socrates*, (cui non abſimilis *Seneca*.) *Cicero* libro 2. Tuſcul. quæſt. & *Ovidius* in Ibin.

THES. X.

Non capitales ſunt, quæ vitam non adimunt, ſed vel famam, vel libertatem, vel facultates vel aliquam corporis partem, vel plura ſimul: quò pertinet quoque ignominioſa læſio partis alicujus, Damnatio in metallum, in exilium, in perpetuos carceres, in opus publicum perpetuum.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Varia corporis membra in pœnam delictorum truncari & abſcindi ſolent. Olim *pes* abſcindebatur ſervo transfugæ. *Nares* apud *Longobardos* furib. Apud *Ægyptios* adulteris, quibus & *aures* præcidi ſolebant. *Lingua* blaſphemis. *Digiti* perjuris. *Manus* violatoribus pacis, præſertim aulicæ. *Facultates* adimuntur per mulctam pecuniariam & bonorum confiſcationem. Ad has pœnas pertinet quoque *fuſtigatio*.

De *exilii pœna*, quam appellamus, Landesverweiſung / quæ frequens hodie eſt, differentem vide *Petrum Martyrem* ad lib. 1. Reg. circa finem: ubi multis & prægnantibus rationibus pœnam hanc improbat: Vide & *Theod. Rinkinek* lib. 2. claſſ. 1. c. 8. num. 8. & ſeqq. Præcipuæ rationes ſunt: quia pleroſque reddit pejores: quia relegati fiunt hoſtes, proditores & calumniatores Patriæ: quia, contra charitatis legem, ſceleratis, quibus ſe exonerat Reſpublica, civitates & provincias alias onerat.

Thes. XI.

Hucuſque jurisdictio criminalis: Sequitur *civilis*, quæ exercetur in cauſſis delictum non habentibus, quas civiles appellamus. Hujuſmodi ſunt controverſiæ de contractibus, de hæreditatibus, de teſtamentis. &c.

Explicatio.

I. In juriſdictionis hujus exercitio obſervanda duo potiſſimum.

(1.) *Ne judex vel ſibi vel ſuis jus dicat.* Ratio: quia vix quiſquam tàm eſt juſtus, qui conſtantem illam & perpetuam ſuum cuique tribuendi voluntatem etiam contra ſe velit exercere,

re, aut qui non facilè ſibi imponi patiatur, ut in propriâ causâ juſtum & æquum eſſe putet, quod in alienâ iniquum eſſe fateretur.

(2.) *Ne judex largitionibus ſe corrumpi patiatur.* Ratio. *Male enim ſe res habet*, inquit *Cicero*, *cum id, quod virtute effici debet, tentatur pecuniâ. Iudicem excæcant & pervertunt munera*, Scriptura teſte, *Exod.* 23. v. 18. *Deut.* 16. v. 19.

Exemplum judicis incorrupti memorabile habemus in *Ephialte*, qui, cum amici decem Talenta ei dono offerrent, quamvis pauperrimus eſſet, non accepit: *Hæc*, inquiens, *me cogerent, ſiquidem reverenter vos habeam, aliquid præter jus concedere. Sin minus vos obſervarem, ingratiſſimum haberi*: *Ælianus* libro 11. hiſtoriæ variæ.

Tales quoque fuerunt *Epaminandas*, *Gracchus*, *Phocion*.

II. Ab hac materia de *jurisdictione & judicio* antequam abeamus, paucula annotabimus de *partibus* judicii & de *proceſſu judiciali*. *Partes judicii* communiter tres ſunt. *Iudex*, *Actor* & *Reus*: Interdum tamen *Actor* in ſpecie & propriè ita dictus nullus eſt. Suſtinet tamen *Actoris* vicem *Fama*, quæ factum pœna dignum defert ad Magiſtratum; cujus eſt ex officio inquirere & è latibulo ſuo *reum* protrahere. *Proceſſus judicialis* his ferè partibus abſolvitur. (1.) Accuſatione: (2.) rei citatione: (3.) comparitione: (4.) Litis conteſtatione: (5.) utriuſque partis diſceptatione: ubi occurrit exceptio, replica, duplica &c. (6.) teſtium productione: quo pertinet quoque inquiſitio, quæ vel mitior eſt per quæſtiones, vel durior per torturas, (7.) Sententiæ pronunciatione (8.) Executione.

THES. XII.

Fuit jurisdictionis diſtinctio. Sequitur probatio, quæ va-

læ varia & multiplex eſt, per notorietatem, per
mam & viciniæ opinionem, per erectionem
rcarum, per actus ſuſpenſionis, exoculationis
c. per capturas, per teſtes, qui de actibus exer-
tæ Iuriſdictionis deponunt &c.

CAPVT XIV.

DE CONSILIARIIS.

THESIS I.

H*Actenus adminiſtrationis togatæ forma:* Sequuntur *adjuncta* circumſtantia, quæ adminiſtratori Reipubl. ſunt neceſſaria. Suntque *perſonæ* vel *res.*

THES. II.

Perſonæ adminiſtrationem & gubernationem vel *juvant*, vel *patiuntur* tantùm.

THES. III.

Adminiſtrationem juvant (1.) *Conſiliarii.* (2.) *Legati*, (3.) *Miniſtri in ſpecie ſic dicti.*

THES. IV.

Conſiliarius eſt perſona, quâ in Republica ad ſui informationem, antequam res arduas aggrediatur, Princeps utitur: Cujus conſideranda (1.) *Requiſita.* (2.) *Privilegia.*

EXPLICATIO.

I. Vſus *conſiliariorum* longè maximus eſt: Vnde & neceſſitas eorum æſtimanda. Adminiſtratio Reipubl. quæ magiſtratui & principi incumbit, res eſt ardua, & maximi momenti, cui unius hominis, quantumvis prudentiſſimi, ingenium & vires minimè ſufficiunt. Opus igitur amicis habet, *quibus regnum cuſtoditur.* Hi ſceptrũ

Regibus

Regibus veriſſimum tutiſſimumque ex *Cyri* ſententiâ apud *Xenophontem : Hi præſidia ſunt regni, non exercitus, non theſauri:* Salluſt. Amici verò iſti ſunt *Conſiliarii* fidi & prudentes : ad quos veluti *oracula* in dubiis decurrendum principi. *Omnia Regna*, inquit *Saluſtius*, *civitates & nationes uſque eò proſperum imperium habuêre, dum apud eos vera conſilia valuêre. Plura*, inquit Tacitus, *in ſummâ fortunâ auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geruntur.* Neque exiſtimet Princeps autoritati ſuæ vel prudentiæ opinioni aliquid decedere, ſi prudentum audiat & roget cónſilia. Eſt enim homo, & unus: Atqui *unius mens tantæ molis capax non eſt :* Tacit. *Neque poteſt ſcientiâ ſuâ complecti cuncta :* Idem. *Imò eum*, inquit Livius, *qui de ſuâ unius ſententiâ omnia gerat, ſuperbum judico magis, quam ſapientem.* Idem ſcribit Livius, *ſe ſæpè audiviſſe eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quod in rem ſit : ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenii.* Hujus ſententiæ primus autor *Heſiodus*. Explodéda igitur *Machiavelli* ſententia, cap. 23. de Princ. Principem non niſi à ſe uno utile conſilium poſſe capere.

II. Quæritur heîc; *An conſultum ſit novo principi anteceſſoris ſui mutare & dimittere Cõſiliarios.*

Reſp. Si nullius rei ſunt improbitatis, temerè dimittendi non ſunt.

(1.) Quia gnari ſunt morum animorumque provinciæ : Norunt vim principatus, & de arcanis ejus monere principem poſſunt.

(2.) Quia nolentes dimiſſi ſecreta principatus communicare aliis, & ignominiæ vindictam meditari ſolent. Vnde *Ludovicus XII. Galliarum* Rex filio ſuo *Carolo* ſuaſit, *ne quid in adminiſtratione regni mutaret, & veteres amicos, familiares & miniſtros retineret.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

III. In contrariam ſententiam excipitur; *Princeps novus ejuſmodi ſibi Conſiliarios debet aſſciſcere, quos ſcit ingenio ſuo maximè accommodatos.*

Atque tales non ſunt antiqui, qui aſſueti moribus ſunt anteceſſoris. Ergo &c.

Reſp. 1. Propoſitio ſimpliciter vera non eſt: Debet enim conſiliarios eligere viros integros & prudentes, qui Reipubl. conſulere poſſunt optimè, ejuſque ſtatum conſervare: Hi verò ſemper principis ſe accommodare ingenio in conſiliis non debent.

2. *Aſſumtio* negatur: Anteceſſoris enim Conſiliarii, tanquam viri prudentes etiam novi ſucceſſoris & principis ſe accommodare ingenio poſſunt, quantum quidem conſcientia & officii ratio permittit.

THES. V.

Requiſita Conſiliarii ſunt *generalia* vel *ſpecialia.*

EXPLICATIO.

Conſiliarium deſcribit *Lipſius*, qui fidus rerum hominumque peritus ſalutaria ſuggerit pace ſive bello.

THES. VI.

In *genere* requiritur in Conſiliario (1.) *Ætas media*, non nimis juvenilis, nec nimis ſenilis. (2.) *Doctrina elegans & exquiſita*. (3.) *mores probi* & in his potiſſimum Pietas, Modeſtia & Continentia.

EXPLICATIO.

I. Non *nimis juvenes* deligendi ſunt Conſiliarii: quia plerique nondum ſatis regere animi affectus & impetum poſſunt: Cumque uſu & exercitatione confirmati nondum ſint, prudentiorum conſiliis ipſi opus habent. *Molles & ætate,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ætate fluxi, inquit Salluſt. *dolis haud difficulter capiuntur.* Neque *nimis ſenes*: quia grandis illa æta & corporis & ingenii ſentit detrimentum: Vnd & corpore & ingenio *bis pueri ſenes.* Quam ol cauſam apud *Romanos, ut à quinquageſimo ann Lex militem non coëgit: Ita à ſexageſimo ſenatorem non citavit. Seneca.* Interim ii probantur Senes, *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum.* Salluſt. *Horum* enim *conſilia haſtæ ſunt juvenum*: Plutarch.

II. *Exquiſita conſiliarii doctrina* complectitur

(1.) *Linguarum etiam exoticarum notitiam*, inprimis autem, præter vernaculam, latinæ; Cujus uſus latiſſimè patet.

(2.) *Iurisprudentiæ & hiſtoriarum omnis temporis ſcientiam.*

(3.) *Philoſophicarum diſciplinarum cognitionem nonnullam*: quia ingenium hæ maximè acuunt, & inſigne ſunt viri gravis & magnifici ornamentum.

(4.) *Rerum rectè gerendarum peritiam, doctrinâ, uſu & experientiâ acquiſitam.* Vnde ad conſilia non ſunt admittendi, qui propriis benè proſpicere non didicerunt: qui morum animorumq; provinciæ gnari non ſunt: Quia *ad conſilium de Repub. dandum, caput eſt, noſſe Rempublicam*: Cicero. Qui nullo rerum uſu pollent: Hic enim prudentia ſuggerit conſilia. Vnde *Mithridates* apud Salluſt. *Mihi fortuna, multis rebus ereptis, uſum dedit benè ſuadendi.*

III. Inter *mores* Conſiliarii eminent;

(1.) *Pietas*, ſine quâ raro conſilia obveniunt bona, aut, ſi obveniant, bonos exitus raro ſortiuntur: Vnde *Cypr.* in epiſt. *Conſiliorum gubernaculum lex divina ſit.* Valeant igitur, qui extra pietatis orbitam conſilia quærunt cum *Machiavello* & Dei legẽ ſequi ducem haud raro pericu-

periculoſum putant. Conſiliarios hujuſmodi à curiæ ſuæ limine repulit *David* Rex, Pſalm. 101. v. 6. 7. 8. *Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut conſideant mecum: ambulans viâ integrâ, is miniſtrabit mihi: non habitabit intra domum meam faciens dolum, loquens mendacia non ſtabilietur coram oculis meis: ſingulis matutinis exſcindam omnes improbos terræ, ad reſcindendum à civitate Iehovæ omnes qui operam dant iniquitati.*

(2.) *Modeſtia*: quia benevolentiæ hæc conciliatrix eſt, & intra mediocritatem etiam conſilia continet.

(3.) *Continentia*, quâ à crimine avaritiæ alieni eſſe debent Conſiliarii: Virtus hæc inprimis neceſſaria Conſiliario: *Quia nullum eſt officium tàm ſanctum* & *ſolemne, quod non avaritia violare ſoleat. Cicero.* Hæc eſt, *quæ omnia venalia habere edocet*: Salluſt. Huic affine eſt *ſtudium privatæ rei, quod ſemper offecit, officietq́; publicis conſiliis.* Livius. *Venenum veri affectus & judicii peſſimum, ſua cuique utilitas.* Tac. Conſiliarii mores & virtutes paucis complectitur *Symmachus*, lib. 10. Epiſt. 25. *Sit in alios temperatus, in ſe ſeverus, ſine contemtu facilis, ſine terrore reverendus: nullis proſperis frangatur: nullius rideat adverſa: Indecoræ neſcius largitatis.*

IV. Quærunt Politici: *Vtrum ſit tolerabilius: Principem eſſe bonum, & malos conſiliarios: An, bonos eſſe Conſiliarios & malum Principem?*

Reſp. Cum *diſtinctione Principis* reſpondendum: Eſt enim Princeps vel abſolutus Monarcha, cujus poteſtas à regni vel Principatus ordinibus non eſt limitata, quique ſimpliciter in ſua poteſtate habet Conſiliarios: Vel non eſt abſolutus Monarcha, ſed ab ordinibus habet limitatam poteſtatem.

Priori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Priori reſpectu tolerabilius eſt principem eſſe bonum, & malos conſiliarios: niſi forte regiminis curam totam in conſiliarios abjiciat Princeps: Poſteriori tolerabilius eſt principem eſſe malum & bonos conſiliarios.

V. Occurrit in conſiliariis diverſitas, ratione ingeniorum. Sunt enim alii tardiores & *Melancholici*, qui vota ſua non feſtinant, ſed cogitandi ſpatium requirunt, & preſsè atque lentè ſingula expendunt: alii magis ſunt *ignei* & expeditiores, agiliores & ſubtiliores, quibus quaſi ex tempore naſcuntur conſilia. De hac diverſitate multa diſputant politici. Neutros eſſe repudiandos, ſed utroſque à principe adhibendos exiſtimant prudentes: Sunt enim tempora, quæ expedita & promta requirunt conſilia, ſpatiumque diu cogitandi & deliberandi non indulgent: Sunt etiam, quæ conſultandi moras ferunt: illis *ignei*, his & *melancholici* & *ignei* adhibendi ad temperanda conſilia. Feſtinantium errores emendant, qui lente feſtinant. Adeò verò tardiores & hebetiores à conſiliis & gubernatione Reſpubl. non repellit *Thucyd.* ut affirmet etiam, *hebetiores, quàm acutiores, ut plurimum, melius Rempubl. adminiſtrare.*

THES. VII.

In ſpecie alia requiruntur in *ipſa conſultatione*, alia *poſt conſultationem*.

THES. VIII.

In ipſa Conſultatione adeſſe Conſiliario debet (1.) *Suadendi libertas* (2.) *Sobrietas* (3.) *Provida Cunctatio*, Abeſſe verò debet (1.) *Aſſentatio* (2.) *Contumacia* (3.) *Diſcordia* (4.) *Affectus*.

EXPLICATIO.

I. *Suadendi libertatem* adeſſe oportet Conſiliario:

ſiliario: quia *præſidii in eâ Republ. eſſe nihil poteſt, ubi elinguis eſt curia, in qua dicere, quod velles periculoſum, quod nolles, miſerum: Plinius* in Paneg. *Vbi cum fortuna Principis potius, quàm cum ipſo Principe loquuntur Conſiliarii.* Tacitus. Vbi omnia principum honeſta atq; inhoneſta laudare mos eſt. Etſi non deſunt exempla eorum, quibus exitium peperit vocis libertas ſeu παῤῥησία. Inter alios periculum hoc incurrit *Papinianus ICtus*, vir immortalitate dignus, quem *Baſſianus Caracalla* occidi juſſit, quod fratricidium defendere apud Senatum nollet, & reſponderet *Baſſiano*; *Multò faciliùs parricidiū perpetrari, quàm defēdi.*

Sic & *Thomas Morus* Angliæ Cancellarius ſecuri percuſſus eſt, quòd Regis divortium nollet comprobare: Expertus idem Iohannes Baptiſta.

II. *Sobrietas* quoque in Conſiliario requiritur: ne mero gravatis viribus, & ratione turbata conſultationes ineat. Nihil enim ingenii aciem & prudentiam magis hebetat, quàm ebrietas. Vnde ſiccitatem amare dicitur ſapientia. Mos igitur improbandus veterum *Germanorum*, qui de graviſſimis rebus inter pocula & convivia conſultare ſoliti ſunt.

III. Denique *provida Cunctatio* neceſſaria quoq; in Cōſiliario: *Quia, Livio* teſte, *nihil magni diſcriminis conſiliis tàm inimicum, quàm celeritas:* Et, eodem Autore, *feſtinatio improvida eſt cæca.* Vnde, *præcipitata conſilia plerunque pœnitentiam habere celerem ſolent, ſed tandem ſeram atq; inutilem.* Livius. *Conſilia calida & audacia primâ ſpecie læta ſunt; tractatu dura; eventu triſtia.* Idem.

IV. Contrà verò abeſſe debet à Conſiliario, primo *aſſentandi ſtudium*, quo omnia dicta & facta Principum laudantur: & non niſi placitura auribusque grata conſilia proferuntur: *Aſſentatores* hujuſmodi decipiunt Principes haud

 ſecus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſecus, atque *aucupes* decipere aviculas ſolen quando voces ſuas ad imitationem earum fo mant. Perniciosiſſimum hoc hominum genu eſt, cui maximè obnoxiæ ſunt aulæ. Experti hc omnibus ſeculis Principes & Reges, in quibu *Roboam*, *Ahaſverus*, *Darius*, *Herodes*, *Xerxe* *Cambyſes*, *Alexander M.* & alii. Inſignis adula tor *Domitiani* Tyranni *Martialis* fuit, ut ex ho ejus Epigrammate conſtat:

Ad cœnam ſi me diverſa vocaret in aſtra,
Hinc invitator Cæſaris; *Inde* Iovis.
Aſtra licet propius; palatia longius eſſent,
Reſponſa ad ſuperos hæc referenda darem:
Quærite, qui malit fieri conviva tonantis,
Me meus in terris Iupiter ipſe tenet.

Peßima ferarum Tyrannus eſt, de cicuribus, adulator. Plutarch. *Regum opes ſæpius aſſentatio quàm hoſtis evertit:* Curtius. Vnde Capitolinus ait, *miſerum eſſe Imperatorē, apud quem vera reticentur.*

V. Deinde abeſſe debet quoque *Contumacia*: ne conſilio ſuo nimis inſiſtat, meliora conſulentes contemnat, & nihil, niſi quod ipſe dicit aut facit, rectum putet, ex cæco quodam ſui amore. Hujuſmodi n. homines in Collegiis intolerabiles ſunt, & in extrema ſæpè diſcrimina Principes adducunt. Bis ſtulti cenſentur, ſive quod omnes ſapere volunt ex ſuo ore, ſive quod, ſi quid autoritatis in ipſis eſt, crebris contradictionibus deſtruunt.

VI. Porrò *Diſcordia* à Conſiliariorum Collegio exulare debet, ne privati odii pertinacia eos ſtimulet in exitium publicum. Si quæ verò ſimultas inter Conſiliarios ejuſdem Collegii intercedat, ad communes ea deliberationes minimè admittenda eſt, exemplo *Ariſtidis*, qui cum inimicum haberet *Themiſtoclem*, inimicitias illas in conſiliis Reipublicæ ſuggerendis ſepoſuit. *Vtinè*, aje-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

nè, ajebat, *ô Themiſtocles, inimicitias pauliſper hic deponamus, recepturi eas, cum redierimus?* Serpentes, ut nonnulli ſcribunt, aquas ingreſſuri venena extra aquas deponunt. Prudentia hæc ſerpentina documento conſiliariis eſto.

VII. Deniqúe *Affectus noxii ſunt exuendi: Vbi enim illi officiunt, haut facilè animus verum pervidet: Saluſtius.*

Inprimis autem excludenda

(1.) *Securitas*; ne in ſecundis rebus quicquam in quenquam ſuperbè ac violenter conſulatur.

(2.) *Confidentia nimia:* ne nimis pertinaciter in iis hæreat Conſiliarius, quæ aliter evenire poſſunt, adeoque in ſecuritatem noxiam prolabatur. *Qui cum ſupinâ fiduciâ ſententiam dicunt, in re ipsâ trepidantes deficiunt.* Thucyd.

(3.) *Ira:* quæ ut moderata nequit ſuadere, ita nec obtemperare iis novit: extinguit enim rectæ rationis lumen.

Omnia ea, quæ abeſſe à Conſiliario debent, marmorea tabula curiæ Ratisbonenſi affixa docet his verbis:

Quiſquis Senator Curiam officii cauſâ ingrederis, ante hoc oſtium privatos affectus omnes abiicito, Iram, Vim, Odium, Vindictam, Amicitiam, Adulationem: Reipublicæ perſonam curam ſubiicito. Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris; Ita quoque DEI judicium expectabis & ſuſtinebis.

THES. IX.

Poſt conſultationem & in Conſiliario requiritur (1.) *Silentium* (2.) *Conſtantia* (3.) *Animi magnitudo & præſentia in facto.*

EXPLICATIO.

I. *Silentium* inprimis in Conſiliario requiritur: Ne principum conſilia eliminet, &, antequam in nervum eruperint, prodat. Vnde *ſilen-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tium à *Valerio Maximo* appellatur *Optimum tuti-ſimumque rerum adminiſtrandarum vinculum. Neque res magnæ ſuſtineri poſſunt ab eo, cui facere grave eſt*. Curtius. Vnde *Alexander* cum arcanas quaſdam literas *Hephæſtioni* legiſſet, detractum annulum ori ejus admovit, quaſi os clauſurus & ſignaturus. Idem à conſiliariis ſuis omnes requirunt Principes.

Nuſpiam gentium religioſius cultum eſt olim ſilentium, quàm apud *Perſas*, apud quos *nec ſpes nec metus eliciebat vocem, qua proderentur occulta: Regum enim diſciplina ſilentium vitæ periculo ſanxerat, linguamq; gravius caſtigabat, quàm ullum probrum:* Curtius. *Apud Perſas*, inquit Ammianus Tarcellinus, *nemo conſiliorum eſt conſcius præter optimates, taciturnos & fidos:* Apud quos quoq; *ſilentii* colitur numen: *Perſis* proximi ſunt in ſilentii cultu *Hiſpani*, qui, teſte *Iuſtino*, ſępe tormentis pro ſilentio rerum creditarum ſunt immortui. Eodem nomine & veteres *Romani* ſunt celebres. Memorabile eſt exemplum *Pompeji*, qui à *Gentio* Rege interceptus, cum Senatus *Romani* conſilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi ſimul & deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi excuſſit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit. *Valerius Maximus*.

II. *Conſtantia* quoque requiritur, quæ prudentiæ facit indicium: ne ſubindè conſilium mutet, & in incerto fluctuet. Vnde non temerè præcipitandum conſilium: quia præcipitantiam ſequitur pœnitentia. *Magnam rem puta*, inquit Seneca, *unum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo unum agit: Cæteri multiformes ſunt.*

III. Denique *animi magnitudine* & *præſentiâ* in facto opus eſt: Vbi celeriter peraganda ſunt deli-

deliberata, ex præcepto *Ariſtotelis*. Seu, *maturè facto opus eſt, poſtquam conſulueris*, de ſententia *Saluſtii*. Neque animus ſtatim abjiciendus, ſi vel progreſſus ſint tardiores & difficiliores, vel etiam eventus planè non reſpondeant: quia hos præſtare non eſt conſiliarii: *Quis enim ſuadeat*, inquit, *Curtius, ſi malè ſuaſiſſe periculum ſit*. Neque ex eventu de conſiliis judicium faciendum: quia *ſæpè optimè cogitata peſſimè cadunt*, ob varios caſus, quos prævidere vel præcavere humana induſtria haut potuit.

IV. Placet requiſita conſiliarii in anguſtum quaſi contracta uno oculi ictu pervidenda repræſentare. Conſiliarius non ſit nimis ſenex vel juvenis: præſtet ſilentium: opinionis ſuæ non ſit nimis tenax: cum legatis aliorum principum ne agat privatim: aliis principibus ne ſit obnoxius: à conſiliis abſtineat noxiis in caput autoris tãdem redundaturis: opportuna ſuggerat conſilia, non poſt cladem, ſeu eventum ſequiorem: hiſtoriarum & exemplorum polleat notitia: à præcipitantia ſibi caveat, neque feſtinet niſi quando in mora periculum eſt: affectus omnes maturè ponat: Sincerè conſulat, non ad principis placitum adulatoriè: honeſtæ ſit famæ: forti ſit & intrepido animo: meliora aliorum conſilia lubens admittat: in ſenatu frequens ſit, nec in cauſis odioſis diverticula quærat: extra Senatum de Republica in circulis & conviviis ne diſputet: injuſſu principis de ſumma Reipublicæ conſultationem ne inſtituat: Iuris & Reipublicæ ſit probè peritus: ultro ſe princĩpi ad conſilium offerat: experientia rerumque uſu valeat: pius ſit: præſenti acquieſcat ſtatu: novum ne expetat: ab omni alienus ſit adulatione & aſſentandi ſtudio: ne ſit audax: non conſilio tantùm ſed & re principem juvet. Vide *Adam. Contzen.* Polit. lib. 7. cap. 13.

THES. X.

Fuerunt requiſita Conſiliarii : ſequuntur *privilegia* quæ inter alia hæc ſunt præcipua 1.) Sui patriæ poteſtatis nexu liberati. (2.) Committitur in eos crimen læſæ Majeſtatis, ſi in odium principis ſit factum. (3.) Immunes ſunt ab omnibus oneribus & muneribus aliis.

EXPLICATIO.

I. *Privilegia* & prærogativam Conſiliariorum loquuntur eximii eorum tituli, quos leges ipſi tribuunt. Appellantur enim *pars corporis principum* : *Amici principum & parentes* : quo nomine *Alexander Severus Vlpianum* ſalutat.

Dicuntur inhærere principi, ſicut *ſtellæ firmamento*, & principem ita decorare, ut *ſplendor firmamentum cœli*, ut *radii ſolares ſolem*,

II. Et *hactenus quidem, de Conſiliariorum requiſitis & officio*. A principum parte nonnulla quoque requiruntur Conſiliarios attingentia : è quibus ſequentia obſervanda:

(1.) *Princeps* ſuos Conſiliarios intimè habeat cognitos & exploratos.

(2.) *Princeps* de negotiis gravibus & periculoſis maturè cum ſuis conſiliariis communicet. Quia *timet atque eum deficere omnia videntur, qui in ipſo negotio conſilium capere cogitur*: Cæſar. Interim caveat, ne inutili cunctatione agendi tempora deliberando conſumat.

(3.) *Princeps* conſulendo libertatem conſiliariis ſuis non adimat : neque iraſcatur iis, ſi voto ſuo adverſari videat : exemplo *Marci Principis*, cujus memorabile illud: *Æquius eſt ut ego tot taliumque amicorum conſilium ſequar, quàm tot talesq; amici meam unius voluntatem*.

(4.) *Princeps* uni ſuorum Conſiliariorum non

ita

ita ſit addictus, ut omnia ejus reſponſa pro *oraculis* habeat, & quidvis ſibi perſuaderi patiatur, repudiatis aliorum conſiliis.

(5.) *Princeps* Conſilia probè examinet, & cogitet; an ad Reipublicæ ſalutem tendant? an media ad executionem proponantur idonea & viribus ſuis paria?

(6.) *Princeps* ne excandeſcat in Conſiliarios ſi benè cogitata malè cadant. Optatum enim conſilii præſtare eventum nec debet nec poteſt conſiliarius benè ſibi conſcius. Alias *defuturi ſunt, qui ſuadeant, ſi malè ſuaſiſſe periculum ſit:* Curtius. Vnde, eodem autore, *non melioris fidei habendi, qui prudentius ſuaſerint.*

CAPVT XV.

DE LEGATIS.

THESIS. I.

FVit *Conſiliarius*: ſequitur *Legatus*, qui eſt perſona publica ſacratiore nomine ad Principem vel Rempublicam miſſa, ſine imperio, rei dicendæ agendæque causâ: Cujus conſiderandus (1.) *Vſus* (2.) *Requiſita* (3.) *Privilegia.*

EXPLICATIO.

Conſiliariorum uſus potiſſimum eſt in Republ: legatorum extra Rempubl. apud alios principes & Reſpublicas.

THES. II.

Vſus legatorum ex *objectis* manifeſtus eſt: Vnde legatio eſt vel *pronuba* vel *officioſa*, vel *Reipubl.* causâ pacis bellivè tempore, vel denique *libera.*

EXPLICATIO.

I. Legationes una cum Republ. cœperunt.

 Vtque

Vtque maximi ſunt uſus, ita jure nituntur optimo. Nam ſi privatis licet, cum rebus ipſi ſu[...] præeſſe vel non volunt vel non poſſunt, per ali[...] idipſum agere, Cur non & Principibus & Rebus publicis?

Accedit, quod nec in rem ſit Reipubl. vel principis, nec ratio autoritatis permittat, ut quovi[...] nomine ad exteros proficiſcatur ipſe Princeps. Aliis hæc demandanda provincia, qui pro dignitate principis perſonam repræſentare poſſunt.

II. Mittuntur autem legati, vel ad contrahenda principum nomine matrimonia: Vnde *Legatio pronuba*: Vel ad lætitiam aut mœſtitiam ſignificandam, gratulandi vel conſolandi causâ. Vnde *officioſa Legatio*: Vel ad expedienda negotia Reipublicæ ſummam concernentia, præſertim ad ineunda fœdera, ad impetranda offerenda auxilia, vel ad denunciandum bellū, qui in ſpecie appellantur *Feciales*. His deniq; legationibus accedit alia ſpecies, quæ *libera* appellatur *legatio*: quâ publico nomine à Republ. vel principe commendatur, qui tantum rerum ſuarum privatarum causâ exiit, vel ad ſolvendum votum, vel ad vitandum periculum, vel denique ad hæreditatem, aut ſua nomina exigenda. Indultum hoc olim fuit clariſſimis & optimè meritis viris, ut majore abeſſent cum autoritate.

THES. III.

Requiſita ſunt *generalia* vel *ſpecialia*:

THES. IV.

In *genere* in legato requiritur (1.) *Omnigena virtus*, maximè verò temperantia, animi magnitudo & fidelitas (2.) *Exquiſita doctrina*, quæ continet notitiam linguarum exoticarum, Iurisprudentiæ, philoſophiæ & hiſtoriarum.

EXPLICATIO.

I. Inter *virtutes* legati eſt

1.) *Temperantia*; quæ non tantùm præſcribit ei mediocritatem in cibo & potu: ſed & oculos manuſque continentes, ut à *dorophagia* planè ſit alienus. *Sobrietatis* exemplum eſt inſigne in *Xenocrate*, Athenienſium legato, qui guſtare priùs nihil voluit, quàm *legationem* ſuam expoſuiſſet. *Legati* ebrii & ebrioſi plerunque dominorum ſuorum autoritatem proſtituunt. Olim apud *Athenienſes* & hodiè apud *Venetos* capitale *Legatis* eſt, in *Legatione* contrectaſſe munera. Interim tamen, ſi munera *Legatis* offerantur, poſtquam ſuâ functi ſunt *Legatione*, benevolentiæ teſtificandæ cauſa, prorſus ea repudiare non tenentur. Vnde & *Romani* olim hoc nomine *Legatis* exteris dedêre munera, quod & hodiè Regibus & Rebuſp. ſolenne eſt.

(2.) *Animi magnitudo*, quâ adverſus omnẽ vim, omnemque eventum pectus gerat imperterritum: Sæpe enim ingratum eſt *legationis* argumentum, quod Domini ſui nomine urgere *legati* eſt, ſi maximè odium & invidiam adverſæ partis in ſe derivet: Cujus nec autoritas nec vehementia abſterrere *legatum* & extra mandatorum fines abripere debet.

(3.) *Fidelitas*: quæ in eo conſiſtit, ut Domini ſui mandata fideliter exponat, & limites eorum ne tranſgrediatur: Reſponſa etiam fideliter referat, & omnibus in id viribus incumbat, ut ex voto Domini negotia conficiat.

II. *Exquiſita doctrina*, hoc eſt, *Linguarum exoticarum, Iuriſprudentiæ, Philoſophiæ & hiſtoriarum* notitia in *legato* requiritur, cum propter negotiorum, quæ *legatis* committi ſolent, magnitudine, quę inſignem requirit prudentiam & ſcientiam; tùm propter varietatem converſationum, quibus omnibus cum laude defungi *legatum* decet.

THES. V.

In *ſpecie* alia requiruntur *in ipſa legatione*, ali *poſt legationem*.

THESIS VI.

In *legatione* à legato requiruntur (1.) Vt ſcriptum Principis mandatum exhibeat. (2.) Vt ab omnibus aliis negotiis abſtineat, quibus impedir officium legationis poſſit. (3.) Vt, ſi quid præter mandata inciderit, quod Principem attingat, illicò certiorem reddat principem, ejuſque exſpectet mandatum: Si verò moram non ferat res conſilium, quod in rem Principis ſit, capiat. (4.) Ne flagitium vel ipſe committat, vel à ſuis committi permittat.

EXPLICATIO.

I. Licet *Legato* in *legatione* etiam propria ſua curare; ſi impedimento *legationi* non ſint, & principis autoritati non officiant. Sin verò per ea rectè aut cum dignitate defungi *legatione* non poſſit, nihil præter domini ſui negotium agere, neque alienis vel propriis etiam rebus ſe immiſcere debet. l. *Paulus* 8. §. fin. ff. de legatis.

II. Si quod in *legatione* flagitium commiſerit Legatus, nullo defenditur privilegio *legatorum*. Vnde *Legati Perſici* in aulâ *Amynthæ* Regis *Macedonum* in Gynæcæo ſe inſolentius geréres interfecti ſunt in ipsâ aulâ. Et *Auguſti* ad M. *Antonium* legatus, cum liberiore ſermone erga *Cleopatram Antonii* uxorem eſſet uſus, nudatus & verberibus cæſus eſt. Sic *Carolus Burgundiæ Dux* injuriam ſibi à Cancellario Regis Galliarum *Ludovici* XI. legato illatam in ipſo Rege vindicavit bello.

THES. VII.

Poſt legationem requiritur (1.) Vt expeditionem

ſuam

ſuam nemini aperiat, niſi Principi, à quo miſſus eſt. (2.) Vt fideliſſimè omnia renunciet: nihil iræ, nihil invidiæ aut odio, nihil amori det. (3.) Ne ignem igni addendo principem ad extrema incitet, &, turbas excitet.

THES. VIII.

Hactenus legati requiſita: Sequuntur *privilegia*, inter quæ præcipua ſunt ſequentia: (1.) Iure gentium inviolabiles ſunt legati, quantiſper ſe intra mandatorum limites continent. (2.) Non poſſunt perjura capi pro *repreſſaliis*. (3.) Vacationem habent ab aliis Reipublicæ muneribus, non tantùm in ipſa legatione, ſed & biennio pòſt. (4. Si abſint, & domi conveniantur, non coguntur mittere procuratorem. (5.) Durante Legatione non coguntur ſubire dubiam judiciorum aleam, ſed domum provocandi jus habent. (6.) Repetere jure poſſunt ſumtus, quos in legatione erogarunt, vel ad ſanitatem recuperandam impenderunt. Et, ſi quod in viâ paſſi damnum fuerint, ad reſtitutionem poſſunt agere.

EXPLICATIO.

1. *Iure genium* effectum eſt, ut *Legati* haberentur ſancti, hoc eſt, ab omni violentiâ tuti: quia ſtatim ab ipſis civitatum primordiis apud omnes gentes paſſim *legatorum* uſus fuit receptus. Hinc *Cæſar* lib. 3. de bello Gallico: *Legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum inviolatumque fuit*. vid. 8. ff. *de rerum diviſione*. Et eleganter *Cicero* in Verr. 3. *Legationum jus humano divinoque vallatum præſidio eſt, cujus tam ſanctum & venerabile nomen eſſe debet, non modò ut intra ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur*. Neque tantùm in acceſſu inviolabiles ſunt, ſed etiam in reditu: quia nemo deſinit eſſe legatus, antequam principi renunciaverit quid perfectâ legatione geſtum fuerit.

Gaudent hoc jure etiam hoſtium legati, ad hoſtes miſſi: Imo, qui legatus eſt, non tantùm ad eũ, ad quem ſe miſſum affirmat, ſed & contra quem miſſus eſt, hoc quoque frui jure debet. Hinc *Alexander* olim pepercit legatis *Athenienſium*, qui ad *Tyrios* in *Alexandrum* animandos miſſi erant.

II. Quæritur I. *An jure hoc gaudeant quoq;, qui ſub legationis prætextu ſpeculandi cauſa miſſi ſunt?*

Reſp. Si *legationem* ſcripto probare poſſint, & tamen interim ſpeculatores quoque ſint, cirò dimittendi, potiùs quam violandi ſunt. Deficiente verò idoneâ probatione, jure legatorum frui non debent.

III. Quæritur 2. *An jure hoc quoque frui debeant legati, quibus interdictum, ne venirent?*

Reſp. Si *juſta* interdicendi cauſa fuit, jure legatorum non fruuntur: Sin *iniuſta*, omnino frui debent. Tale olim interdictum erat *Franciſci Regis Galliarum*, qui ne audire *Fecialem Caroli V.* & Majeſtate ſuâ indigna excipere cogeretur, crucem pro palatio figi mandavit, & *Feciali* exitium minatus eſt, ſi veniret & mandata exponeret.

IV. Quæritur 3. *An ejus quoq; Principis Legati hoc frui jure debeãt, qui legationis jura ãte violavit?*

Reſp. Communis eſt Doctorum ſententia: *Fidẽ frangenti haud ſervandã eſſe fidem:* Et fruſtra quis poſtulat ab eo ſibi fidé ſervari, cui fidem à ſe præſtitam recuſat ſervare. Interim præſtat violatori fidei non dare fidem, quàm datam violare: *perjuria enim perjuriis non ſunt vindicanda.* Imo *fides etiam perfidis præſtanda eſt.* Ambroſius 2. de off.

V. Quæritur 4. *Quomodo puniendi ſint legatorum violatores?*

Reſp. *Crimen læſæ Majeſtatis* committunt violatores *legatorum*, Gail. de pignoribus obſerv. 5. num. 6. De *jure canonico* exterminatur à Repub. Chriſtiana. Civitas, quæ *legatos* violavit, bello

peti

peti & deleri ſolet. Contigit hoc *Corintho* à Romanis, *Tyro* ab Alexandro, *Græciæ* civitatibus à Perſis.

VI. Olim legatorum præmia erant tria. (1.) *Locus*, hoc eſt, ædes liberæ. (2.) *Lautia*, hoc eſt, Xenia miſſa. (3.) *Munera*, in quibus *aureus annulus*, quem durante legatione palam gerebant, poſt legationem verò deponebant, & domi ferreo utebantur.

CAPVT XVI.

DE MINISTRIS Regum & Principum in ſpecie ſic dictis.

THESIS I.

HActenus *Legati*: ſequuntur *miniſtri* Principum & Regum in ſpecie ſic dicti, qui ſunt *ſuperiores* vel *inferiores*: omnes tamen probi & fideles eligendi.

EXPLICATIO.

In delectu aulicorum miniſtrorum danda Principi opera, ut eligat (1.) *Quibus eſt genus honeſtum*: vilis enim ille, qui viles tantum ſibi admovet. (2.) *Qui vitæ ſunt probæ & inculpatæ*: quia ex his plerunque æſtimari princeps ſolet, ut rarò fallit conjectura (3.) *Qui ad functiones, quibus adhibentur, ſunt idonei*: ſecus ſi fiat, in aulâ nihil rectè & ex uſu Principis geretur. (4.) *Qui ingenio ſunt medio, pares negotiis, non ſupra ea*. Hi enim præſentibus acquieſcunt, nova non expetunt. *Tiberius* à miniſtris optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat: *Tacitus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. II.

Superiores ſunt Rerum domi vel foris gerendarum autores in aulis, vel extra aulas principum: Quales, pacis tempore, *Præfecti aulæ, provinciarum, judiciorũ publicorum, Vrbium, Theſaurorum.*

EXPLICATIO.

In majoribus aulis miniſtri & officiarii ſuperiores eſſè ſolent, Magnus aulæ magiſter: Mareſchallus Superior: Præfectus Stabuli: Mareſchallus inferior: Cubicularii Principis, Kammerjunckern: Burggravius aulæ; Burgvogt: Præfectus commeatus aulici: Kůchenmeiſter/ &c. De diſtributione officiorum aulicorum, ut & reliquorum omnium Politicorum monent prudentes *ſingulis muneribus ſingulos eſſe præficiendos, non unum pluribus ſimul*: quod & *Ariſtotelis* eſt præceptum, 4. Polit. εἷς πρὸς ἕν: hoc eſt, *unus ad unum*; quia vix, & ne vix quidem unus uni ſufficit muneri omnibus ſuis partibus rectè, & ut par eſt, obeundo. Olim *Comes ſtabuli* in Imperatoria aula maximæ autoritatis erat. Vnde *Valentinianus* fratrem *Valentem* hac ornavit dignitate: In Germanicis principum aulis mediocris hodie eſt dignitas: In regia Gallica inter ſummas corruptè appellatur *Coneſtablius* vel *Coneſtabilis*, cui Equitatus omnis totusque exercitus committitur. Olim fratribus Regis & Cognatis omnibuſque *Mareſchallis* imperabat. In aulis Imperatorum erat *Præfectus prætorio.*

THES. III.

Inferiores ſerviunt vel rebus ſuo loco & ordine gerendis, ut *Quæſtores, Secretarii, Scribæ*, &c. vel Principis ſplendori amplificando, ut, *turba nobilium* plerunque otioſorum: vel corpori ejuſdem cuſtodiendo, ut *Satellites*.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

I. *Satellitio* ad corporis cuſtodiam opus habent magni principes & reges : Quia *parum tuta eſt ſine viribus majeſtas*. Livius. Idque novo potiſſimum principi, ſub initia ſtabiliendi principatus, eſt neceſſarium: quia principatus armis quæſitus, armis tuendus eſt : *Cuſtodibus* eſt opus, qui, ut cum *Senecâ* loquamur, *ſomnum ejus nocturnis excubiis muniant, latera objecti circumfuſique defendant, incurrentibus periculis ſe opponant*. Exemplo *Romuli*, qui trecentos armatos ad corporis ſui cuſtodiam delegit, quos *Celeres* appellavit. Hodie *Turcarum* Imperator multa millia circum ſe habet. Habent & alii Reges. Hoc cum facere neglexiſſet *Iulius Cæſar* ab amicis monitus, ſecuritatem tandem horrendâ cæde luit. Monent *Politici* ad cuſtodiam corporis non eſſe legendum *ſatellitium* ex peregrinis. Quod tûm demum Principi obſervandum, ſi fideliores eſſe noverit, aut ſaltem æquè fideles indigenas, quàm peregrinos. Etenim ea nationum nonnullarum levitas, ut ne propriis quidem principibus ſuis ſatis fidæ ſint. Hodiè in *Galliâ* Regii, & in *Italia* Pontificii *ſatellites* plerique ſunt *Helvetii*.

Præter ſatellites *ordinarios* quoque *milites* requirit *Lipſius*, nempe manum aliquam grandiorem, pro viribus & modo regni, ad ſubita caſuum aut bellorum. vnde *Cajus Cæſar* ſolitus dicere: duo eſſe, quæ principatus comparent, ſervent, augeant, *Milites* & *Pecuniam*. Magnis hoc dictum principibus & Regibus, ſi vel hoſtes habeant vicinos, vel ſubditos parum fidos. Neutros ſi habeant, & regna nihilominus numeroſo milite fatigent, tyrannidis ſuſpecti fiunt.

II. Aulicorum miniſtrorum mores breviter notat autor.

(1.) *Ple-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(1.) *Pleriſque ineſt animus contemtor & ſuperbia, commune nobilitatis malum.* Saluſt.

(2.) *Pauci literatorum favent induſtriæ :* Vnde literatos præ ſe contemnere & dedecori ſibi eruditionis multi famam ſolent ducere, & publicè doctos appellari probroſum putant.

(3.) *Addicunt animos voluptatibus.*

(4.) *Sæpè comicam præ ſe ferunt faciem, & tragicam agunt perſonam.*

Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore verſant.

Adjiciunt complexus & oſcula, facti naturâ & conſuetudine exerciti velare odium fallacib. blanditiis. Contra verò jubet eos eſſe *Lipſius*, ex veterum monumentis,

(1.) *Obſequioſos* : quanto enim quis apud Principem obſequio promtior, honoribus & opibus extolletur. *Tacitus.*

(2.) *Vtiles :* ne ſint tineæ & ſorices palatii: *Conſtant. Imper.*

(3.) *Audaculos :* quia malus miniſter regii Imperii pudor : *Senec.*

(4.) *Gloriæ Principis ſui ſtudioſiſſimos:* ut non ſuæ, ſed Principis velificentur gloriæ : nihil ſibi, ſed omnia principi tribuant. Eſt enim hæc regum conditio, ut caſus tantum adverſos hominibus tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ. *Æmil. Prob.*

(5.) *Patientes injuriarum :* Vnde apud Senecam, interrogatus quidam : Quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet? Injurias, inquit, ferendo & gratias agendo.

(6.) *Cautos :* quia multi iis tenduntur laquei.

III. Miniſtros, de quibus actum *huc uſque*, nonnulli *apertos* vocant, iiſque opponunt, *miniſtros occultos*, quibus clam & occultè princeps utitur : ſolentque *exploratores* appellari, quibus pacis tempore ad vitam, actiones & ſermones

ſubdi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bditorum explorandos uti principes nonnulli
lent : imo ipſimet Principes interdum ſub ig-
oto habitu funguntur hoc officio.

Quæritur à Politicis : *An hujuſmodi occultis
iniſtris uti princeps debeat ?*

Reſp. *Ariſtoteles* 5. Polit. cap. 11. ait, *Tyranno-
um* proprium eſſe κατασκόπους ϗ ὠτακουστὰς, hoc
ſt, *exploratores* & *coricæos* habere. Vnde *Tacitus*
4. Annal. ſcribit: *delatores hominum genus publico
xitio repertum , & pœnis quidem nunquam ſatis
oercitum.* Interim nõ planè principibus negligẽ-
dos eſſe exploratores alii rationibus & exemplis
contendunt. Nobis, ſi *Princeps*, non *Tyrannus* ſit
informandus, ita ſtatuendum videtur : *Si Prin-
ceps juſtam de ſubditis malè ſuſpicandi cauſam non
habeat, præſtabit, exploratoribus non uti :* Secus ſi
faciat, animos ſubditorum à ſe alienabit, & de ty-
rannide ſuſpectus fiet : *Sin verò juſtis de cauſis ſu-
ſpectam ſubditorum fidem habeat, majora mala per
exploratores præcavere citra reprehẽſionem poterit,*
modo ſingulis delatorum relationibus temerè fi-
dem nõ habeat, & temerè in judicium neminem
vocet, multò minus indictâ causâ damnet. De ex-
ploratoribus belli tempore, contra hoſtes adhi-
bendis nulla eſt controverſia. Ipſos verò princi-
pes ſub ignoto habitu fungi hoc officio, res vide-
tur indigna principibus.

CAPVT XVII.

DE SVBDITORUM ET CI-
vium cauſa efficiente, Subiecto, Adjun-
ctis, Officiis, & numero.

THESIS. I.

HActenus *perſonæ adminiſtrationem juvantes :*
Sequuntur quæ adminiſtrationem & imperi-
um

um præcipuè patiuntur vocanturque uno nomine *ſubditi*, quorum conſideranda (1.) *Efficiens*. (2.) *Subjectum*. (3.) *Adjuncta*.

THES. II.

Efficientis nomine veniunt modi, quibus fit aliquis ſubditus: qui duo ſunt: *Origo* & *Domiciliū*.

EXPLICATIO.

I. *Origine* cenſetur & fit ſubditus, qui natus eſt ex ſubdito Principis vel magiſtratus etiam extra territorium: *Sequitur enim ſoboles conditionem parentum*.

II. *Domicilium*, quod ſubditum conſtituit eſt, ubi quis fortunarum ſuarum ſedem habet fixam: Non enim *conteſtatione* tantùm, ſed *re & facto* domicilium inducitur: Ipſa nimirum habitatione concurrente cum animi conteſtatione. *Tempus*, quo *domicilium* acquiritur, nonnulli conſtituunt decennium: alii judicis arbitrio hoc relinquendum putant.

In civitatibus *Germaniæ* paſſim incolatus poſt annum acquiritur: Neque permittit magiſtratus, ſine gravi causâ, advenam diutius ibi commorari, ſi lapſo anno jus civitatis nolit redimere. *Venetiis* annos quatuordecim incolere neceſſe eſt iis, qui jura civium plebejorum adipiſci volunt: qui tamen ab Imperiis omnibus, omnique ſuffragiorum jure ſummoventur.

III. *Domicilio* renunciare quilibet poteſt, cum ſe ſuaque bona in alium locum transfert, etſi origini renunciare non poteſt: quocunque enim ſe transfert civis originarius, nihilominus jus originis retinet: Nempè quo ad munera & honores, non quoad Iuriſdictionem: Hæc enim cum *domicilio* novo conjuncta eſt. De conſuetudine tamen originarius civitatis renuncians civitati & domicilium alio transferens civis eſſè deſinit, quo ad munera & Iuriſdictionem.

THES.

THES. III.

Subjecti nomine intelliguntur ii, qui haberi in numero civium & ſubditorum poſſunt. Cujuſmodi ſunt (1.) Qui ejuſdem ſunt nationis, ſive ſub eodem ſive ſub diverſis nati magiſtratibus: quorum plerunque eadem, vel non admodum diverſa lingua. (2.) Qui alterius ſunt nationis, & peregrini appellantur, ſub certis tamen conditionibus. (3.) *Iudæi*, itidem ſub certis conditionibus.

EXPLICATIO.

I. *An in numerum civiũ tutò recipi poßint peregrini?* Inter politicos controverſum eſt. Et olim quidem cùm *Lacedæmonii*, tùm *Athenienſes* in civitatem peregrinos non recipiebant: quia à peregrinis plerunq; mores induci ſolent peregrini, & civiũ jura paulatim labefactari. Vnde *quod locuſta ſegeti, id civitati peregrinus eſſe dicitur*. Diverſum tamen aliis placuit. Vnde Cicero, *uſu urbis*, ait, *prohibere peregrinos inhumanum eſt*: lib. 3. de off. Et *Theſeus* primùm *Athenas* receptione peregrinorum populoſiſſimas effecit. *Alexander* M. *Alexandriam* ad *Nili* oſtia à ſe conditã. Idem *Romæ Romulus* & poſtmodum alii fecerunt, cũm Reges tùm Imperatores *Romani*. Hodiè quoque paſſim in civitates peregrini recipiuntur, ut etiam recipi poſſunt, imò debent, ſub hiſce conditionibus:

(1.) *Si bonæ ſint nationis.*

(2.) *Si præter meritum ſuum miſeri, aut religionis causâ ſolum vertere coacti ſint.*

(3.) *Si prodeſſe Reipubl. poßint.*

(4.) *Si civitatis legibus ſe uſuros promiſerint.* Ita facilè vitantur incommoda, quæ timeri à peregrinis ſolent.

II. *Iudæi* quoque recipi poſſunt his obſervatis conditionibus.

(1.) *Si*

(1.) *Si tranquillè & pacificè vivant.*

(2.) *Si habitu utantur à Chriſtianorum habitu nonnihil diverſo.*

(3.) *Si officiis publicis non præficiantur.*

(4.) *Si Chriſtianos pro ſervis non habeant.*

(5.) *Si novas ſynagogas non extruant.*

(6.) *Si matrimonia cum Chriſtianis non ineant.*

(7.) *Si à blaſphemiis in Chriſtum abſtineant.*

(8.) *Si ab immodico fœnore ſe contineant.* Specimen hujus fœnoris exhibet Limnæus de I. P. lib. 3. cap. 2. n. 41. Alle Wochen 2. Franckfurter Pfennig von einem Gülden / machen in 10. Jahren 33. fl. in 20 Jahren 2592 fl in 22. Jahren 5691. fl. 20. Gülden in 20. Jahren/ machen 51854. fl. 13. ſchil. ſechs vnd ein halben Heller.

Ratio autem, cur non planè ſint repudiandi à Chriſtianorum civitatibus & converſatione *Iudæi*, præcipua hæc eſt: *quia promiſſionem converſionis ad Chriſtum & Chriſtianiſmum habent expreſſam:* Rom. 11. v. 26. Hujus verò converſionis occaſio ipſis præcideretur, ſi in Chriſtianorum cœtibus planè non tolerarentur.

Exoſos ſe quidem multi reddunt per fœnorationem, quâ ad inopiam ſæpè Chriſtianos redigunt. Attamen ſeverâ lege coërceri iniquitas iſta poteſt. Neque tantùm fœnoratorias exercent artes, ſed mercaturam plurimi, non majori fœnore quàm multi Chriſtiani, imò tolerabiliori. Quæſtionem hanc de Iudæis recipiendis prolixè tractat Limnæ. de I. P. lib. 3. cap. 2. ubi tandum concludit, non eſſe recipiendos.

Notat *Camerarius* Iudæos illos, qui à Chriſtianis expulſi fuerunt, primò omnium ad *Turcas* attuliſſe varia artificia & perfectiorem machinarum bellicarum aliarumque multarum rerum uſum, quo Barbara *Turcarum* gens antea fuit deſtituta. Incredibili damno Reipubl. Chriſtianæ

id ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

accidit. Vnde *Turcicus* Imperator olim mira-
is eſt Chriſtianorum ſtoliditatem, *quod tantam*
udaorum multitudinem in propriam perniciem
epellere, quàm in emolumentum ſuum retinere
aluerint.

THES. IV.

Adjuncta ſubditorum tria potiſſimum conſi-
leranda (1.) *Officium* (2.) *Numerus* (3.) *Ordo.*

THES. V.

Officia quæ magiſtratui debent ſubditi ſunt
quatuor potiſſimùm (1.) *Honor*, (2.) *Obedientia*
(3.) *Tributum* (4.) *Opera militaria.*

EXPLICATIO.

I. *Honor* conſiſtit in recognitione ſuperiori-
tatis, & veneratione majeſtatis tanquam divinæ,
Vnde illud 1. *Petr.* 2. v. 17. *Time DEVM: Hono-
ra Regem.* Honoris hujus comes *benevolentia*, quæ
ſe exerit per preces pro magiſtratu, quas præcipit
Paulus 1. Timoth. 2. v. 12.

II. *Obedientiam* ſubditi debent magiſtratui
in Politicis omnimodo. Rom. 13. v. 2. Adeò ut
& durioribus & iniquioribus Dominis ſit mos
gerendus. 1. Pet. 2. v. 18. Et cogitandum heîc
ſubditis, ſe juſtè à DEO puniri etiam per magi-
ſtratus ſui iniquitatem: quam tamen ſuo tempo-
re DEVS vindicat. Si verò divinæ legi contra-
ria magiſtratus mandet, cum *Apoſtolo Petro*
DEO potius quàm homini obediendum: quod
apud *Platonem Socrates* quoquè facit. *Obediam*,
inquit, *DEO potius quam vobis.* Pertinet huc Im-
peratoris regula, 3. Inſtit. tit. 27. §. 7. *Mandatum
non eſt obligatorium, quod contra bonos mores eſt.*
Arma contra iniquum magiſtratum ſumere non
debent, qui meri ſunt ſubditi, ſine certis legi-
bus & conditionibus. Poſſunt tamen ea ſumere
regni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

regni vel principatûs ordines, quibus ſe obligav Rex vel Princeps, & ad certarum legũ obſervat tiam adſtrinxit. Has ſi leges everſum eat, & cor tra datam fidem Reipubl. ſtatum convellat, Ord num eſt operam dare, *ne quid detrimẽti Reſpublic capiat.* Nam ſi princeps à fide conventionis, ca pitulationibus & regni legibus recedit, eam à ſub ditis ſperare non poterit, l. ſi quis major & ibi Dd Cod. de *tranſact.* Vnde Principes *Proteſtantes* ii reſp. ad tabulam proſcriptionis *Caroli* V. *Qui Cæſari debeant principes, quid invicem ipſe præſta re debeat, aliunde nobis conſtat: ut nos illi, ſic ill viciſſim nobis obligatus eſt. Quod enim indictâ cauſâ nos proſcribit & poſſeſſionibus dejicere vult, in e juris vinculum diſſolvit, quo clienti, ſeu beneficiario devinctus eſt invicem Patronus. Sleidanus* lib. 17.

III. *Tributa* magiſtratui debentur, ut ſuſtinere onus adminiſtrationis, & conſervare Remp. poſſit.

IV. *Opera militaria* debentur quoque magiſtratui, ut per ea defendatur Reſpubl. & conſervetur tranquillitas civium.

THES. VI.

Numerus civium in eadem civitate non nimius, ſed modicus eſto.

EXPLICATIO.

Rationes ſunt:

(1.) Quia nimis multi cives munerum civilium inducunt confuſionem, & regi difficilius poſſunt.

(2.) Quia nimis multi in eadem urbe cives inter ſe ferè ignoti ſunt, adeoque mutuum amorem & benevolentiam invicem ſibi præſtare non poſſunt: Quod tamen maximè neceſſarium in civitate.

(3.) Quia ſeditionibus obnoxiæ ſunt admodum populoſæ civitates.

(4.) Quia

(4.) Quia rerum venalium caritatem inducunt cives nimis multi. Quod ſi verò jam invaluerit multitudo, non utique exſcindenda eſt: ſed in *claſſes* & certa *collegia* diſtribuenda: vel deductione *Coloniarum* minuenda: Neque verò, ne nimium excreſcat civium multitudo, de *Ariſtotelis* conſilio. 7. *Polit.* cap. 16. procurandus fœminarum abortus: quia impium & immane hoc conſilium.

CAPVT XVIII.

DE ORDINE NOBILIum & literatorum.

THESIS I.

O*Fficia* & *numerum* civium atque ſubditorum ſequitur *ordo*, qui eſt inter ſubditos *magis utiles*, & *minus utiles*.

EXPLICATIO.

Cum *harmonicum corpus* ſit Reſpublica, non niſi ex diverſis membrorum ordinibus conſtitui poteſt: veluti concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione: quâ ſimilitudine utitur *Cicero*, lib. 2. de Republ. referente *Auguſt.* lib. 2. de C. D. cap. 21. *Ex ſummis*, inquit, *& imis & mediis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderatâ ratione civitas conſenſu diſſimillimorum coivit.*

THES. II.

Ordo *magis utilium* eſt (1.) *Nobilium & Equitum* (2.) *Literatorum* (3.) *Negotiantium.*

THES. III.

Nobilitatis conſiderandæ (1.) *Cauſæ* (2.) *Privilegia.*

EXPLICATIO.

Nobilis Latinis dicitur quaſi *noſcibilis* à noſcen-

ſcendo, propter nominis celebritatem, quæ eſſ in omnibus debebat: Germanis dicuntur Jun ckern/ quaſi Junge Herrn/ non ab ætate, ſed à gra du, quia ſunt minores Domini. Der Adel/ und nomen trahat incertum eſt. Nonnullis videtu dici ab Aquilâ Adler; unde Edelleut/ quaſi Ade lersLeut: pertinent enim ad *Aquilam Romanam* tanquam propugnatores ejus: aliis à *Græco* ἄθλοι certamen vel ἄθλον certaminis præmium: quia fortitudinis & eruditionis præmium eſt *Nobilitas*.

THES. IV.

Cauſæ nobilitatis ſunt vel *procreantes* & *conſervantes*, vel *deſtruentes* & *corrumpentes*.

THES. V.

Procreantes & *conſervantes* nobilitatis cauſæ ſunt tres, quæ totidem nobilitatis conſtituunt gradus: quorum *primus* eorum eſt nobilium, qui ſuâ majorumque virtute ſunt nobiles, ſive armis, ſive literis claritatem adepti: *Secundus* eorum, qui tantùm ſuâ virtute ſunt nobiles, & nobilitatis privilegia atque jura principis favore adepti: *Tertius* eorum, qui propriæ virtutis indigi tantummodò majorum crepant imagines.

EXPLICATIO.

I. Tertius *nobilitatis* gradus omnium eſt infimus. Vnde illud *Ovidii*:

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

Item:

——— *perit omnis in illo*
Gentis honos, cujus laus eſt in origine ſolâ.

II. *Literis* & *armis*, hoc eſt, *fortitudine bellicâ* & *eruditione* inprimis nititur *nobilitas*: horum præſidiorum ubi neutrum eſt, aut fuit, ibi labare

bare *nobilitatem* neceſſum eſt. ita autem de prærogativâ, in conferendâ *nobilitate*, certant *literæ* & *arma*, ut dubia etiamnum videatur palma: etſi interim multorum eſt ſententia præferendas eſſe *literas*, quæ non tantum *pacis* ſed & *belli* ſunt inſtrumenta, adeoque latiùs patent quàm *arma* & ad abſolvendam hominis perfectionem longe plus conferunt, quàm rigida *Martis* inſtrumenta, quibus efferari modò plerosque videmus. In *nobilitate* igitur *Ars Marti* concilianda, hujus feritas illius manſuetudine temperanda: adeoque nobilium filii non prius ad *Martis*, quàm ad *Artis* caſtra dimittendi, niſi penitus efferandi & ab omni humanitate in primo ætatis flore alienandi videantur: Fuit hoc conſilium *Caroli Magni*, qui cum *Pariſienſem* Academiam anno 791. aperuiſſet, inprimis *nobiles* adoleſcentes Profeſſoribus formandos tradidit, quibus tamen alios quoque honeſto loco natos & pauperes junxit. Omnes hoſce cum aliquando ad ſe accerſiviſſet, eorumque progreſſus ipſe exploraſſet, (erat enim egregiè doctus, & multarum linguarum peritus) tandem *nobilibus* ad ſiniſtram & *pauperibus* ad dextram diſpoſitis, primum ad *pauperes*, qui omne ſtudium in doctrinâ collocarunt, converſus, magnis eorum diligentiam laudibus extulit: *Vos*, inquiens, *mandato meo obſecuti omni mente & cogitatione in literas incubuiſtis. Agite ergo, præmia induſtriæ veſtræ conſequemini: Erigam enim & extollam vos, honoribusque & opibus augebo: alios Epiſcopos, alios conſiliarios in aulâ meâ faciam.* Deinde *nobiles* à ſiniſtrâ, qui voluptatibus magis, quàm literis dediti fuerunt, appellavit iratus: *Vos duri*, inquiens, *& perverſi, qui opibus & imaginibus à parentibus acceptis nitimini, ignominiâ affeciſtis Cæſaream Majeſtatem, mandatumque ipſius neglexiſtis. DEVM teſtor, niſi mores emen-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

daveritis, à me nil niſi indignationem & pœna exſpectabitis, ut cæteri veſtro exemplo corrigantu Hæc ab *Aventino* narrantur.

Principis intereſſe ut *nobilitas* defendatur, multis probat *Ieſuita Contzen*, Polit. lib. 8. c. 20.

THES. VI.

Corrumpentes & *deſtruentes* nobilitatis Cauſæ, ſunt artes ſordidæ, quæ illiberalis & ſordidi quæſtus causa exercentur: Etſi non minus nobilitatem dedecent, alia quoque vitia nimis hodi multis familiaria, inter quæ præcipua ſunt, faſtus, luxus, ignavia, tyrannis.

EXPLICATIO.

I. *Artium ſordidarum* exercitia non obfuſcant tantùm nobilitatem ſed & planè tollunt. Hinc *Cicero* 1. de off. *Illiberales & ſordidi ſunt quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non artes emuntur.* Eſt enim in illis ipſa merces *authoramentum* ſervitutis. Atque eam ob cauſam *Romæ* quæſtus omnis *patribus* indecorus eſt viſus. Hinc *Tarquinius* vilior habitus, quòd mercaturam pater ejus exercuiſſet. Quam & *Veſpaſianus* & *Pertinax* nou ſine dedecore uſurparunt. Videatur Lex, *ſi qua*. C. *de ſecundis nuptiis* Communiter jura ſtatuunt, omnem negotiationem lucri causâ ſuſceptam eſſe Nobilioribus indignam. L. *Nobiliores* C. de *Commerciis* Etſi aliud hodiè videtur *Hiſpanis, Italis* & *Anglis*. Memorabile eſt reſponſum *Sigiſmundi Poloniæ Regis*, quod nobilibus nonnullis jus negotiationum petentibus dedit. *Oportet me in regno habere triplex genus hominum, nempe* Ruſticos, *qui agrum colant*: Mercatores, *qui neceſſaria importent & exportent: & denique* Nobiles, *qui me & Patriam defendant: quæ defenſio Patriæ cum per ſe ardua ſit, & cum aucupio lucri ac quæſtus vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa pe-*

ctora

ſtora patriæ defendendæ nata mercatorum negotiis implicari, aut ſi hoc cupiant, permittant mercatoribus *in ſuum locū ſuccedere, & patriæ defendendæ curam ſuſcipere: quod quidem cum facturi generoſi* nobiles *nūquam ſint; idcirco mercatoribus ſuū ſtatum permittant, & ſuum tueantur.* Vide *Limnæ.* lib.6.cap.5. num.70.&c. Interim ne *Regibus* quidem & *principibus* planè indignam eſſe *mercaturam* multis Probat *Ieſuita Contzen* lib.8. cap.10.

II. Iniquiores ſunt illi, qui paupertate amitti nobilitatem judicant: Etſi ex vulgi quidem ſententia:

Et genus & virtus, niſi cum re vilior algâ eſt.

Vt verò paupertas nobilitatem non deſtruit, ita nec divitiæ per ſe & ſolæ eam conferunt, etſi viam multis ſternunt ad nobilitatem, & calamitoſo hoc ſeculo in majori apud pleroſque ſunt pretio, quàm virtus. Interim non negamus, *ſplendorem* nobilitati ab iis conciliari: quibus multum olim debuit familia *Mediceorum* Florentiæ, *Turrianorum* Mediolani, *Carrariorum* Patavii.

Neque *advocandi munus* nobilitatem abolet, præſertim ſi in ſummo Imperii Tribunali id fiat. Eſt enim laudabile & honoratum *Advocatorum* officium. Vnde & *Germanicus* oravit cauſas, teſte *Suetonio*, in *Caligula* cap. 3.

Multò minus j*udicandi munus* nobilitati maculam inurit: quia *nulla major poteſt eſſe gloria, quàm præeſſe* judiciis, *per quæ conſervatur hominum ſocietas.* Nec quicquam tàm decet principes, quàm juri dicendo præeſſe, Inſignia exempla ſunt in *Romulo, Tarquinio, Philippo* Macedone, *Alexandro M., Auguſto, Iulio Cæſare, Galbâ, Veſpaſiano, Trajano, Hadriano, Severo.* Quibus omnibus præferendi *David* & *Salomon* Reges Iſraëlis. Hinc ante Reges Populus *Iudaicus* ſub *Iudicibus* fuit.

Denique & hoc obſervetur; nobilitatem ex

 genere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

genere derivatam non amitti per *matrem ignob*-*lem*: quia fœminis nobiliſſimam dignitatem m-riti tribuunt, l. *fœminæ*, ff. de *Senat*. Vnde Imp *Valent. Theodoſ.* & *Arcad. mulieres*, inquiun *honore maritorum erigimus & genere nobilitamu* l. mulier. C. de dignitat.

THES. VII.

Fuerunt cauſæ nobilitatis: ſequuntur *privil*-*gia*, inter quæ ſequentia. (1.) Delinquentibus m-tigari pœna ſolet, niſi atrociſſimum fuerit cr-men. (2.) Non ſubjiciuntur torturæ. (3.) Per Pro-curatorem comparere poſſunt in criminalibu: (4.) A furcæ ſupplicio ſunt immunes. (5.) A publica munera cogi non poſſunt. (6.) In digni-tatibus & beneficiis Eccleſiaſticis præferuntur ig-nobilioribus. (7.) Si conveniantur, in quan-tum facere poſſunt, relinquuntur iis amplioreſ ſumtus, quàm ignobilioribus. (8.) Si non poſſi-dent immobilia, ſatiſdare non tenentur.

EXPLICATIO.

I. Videantur pro ſingulis hiſce privilegiis aſ-ſerendis leges apud Autorem lib. 3. cap. 39. & præcipuè *Limnæ*. de l. P. lib. 6. cap. 4.

Nobilium *Mediatorum* (de *immediatis* ſuo lo-co) alii ſunt Schrifftſaſſen / alii Amptſaſſen Illis immediatè Princeps vel *Cancellaria*, ut vocant, imperat: hi unà cum ruſticis ſubjiciuntur Topar-chis ſeu Præfectis den Amptleuten/ Amptſchöſſern. Obiter hoc addo, inter alia nobilium privilegia etiam hæc recenſeri, quod præſumantur *virtu*-*tibus magis exculti*: quod præſumantur *præ cæte*-*ris memores æternæ ſalutis*: quod præſumantur *eſ*-*ſe Politici & noſſe arcana Imperii*: quod præſu-mantur *prudentiores & exercitatiores*: quod præ-ſumantur *fideliores & liberaliores*. *Præſumtiones* hæ officii ſui admonent Nobiles.

De quæſtionibus: An nobilitas ſit juris civilis inven-

inventum? Item: An Electores, Principes, Duces jus habeant nobilitandi? vide Limnæ. lib. 6. cap. 1. n. 20. &c. 36. &c.

II. Admodum varii ſunt *ordines* Equitum: ut Equites *Aurei Velleris*: Equites *S. Michaëlis*: Equites *Annunciationis Mariæ*: Equites *Menſæ Orbicularis*: Equites *Stellæ*: Equites *Lunæ creſcentis*: Equites *S. Spiritus*: Equites *Spinæ Altæ*: Equites *Canis*: Equites *Spicæ*: Equites *Draconis*: Equites *Elephantis*: Equites *S. Martii*: Equites *S. Iohannis*, qui olim *Rhodii* ſunt dicti, nunc *Malthesii*: Equites *ordinis Teutonici*: Equites *Templarii*: Equites *Cruciferi*: Equites *S. Sepulchri*: Equites S. *Mauritii*: Equites S. *Lazari*: Equites: *S. Stephani*: Equites *Ieſu Chriſti*: Equites S. *Mariæ redemtionis*: Equites B. *Mariæ Lauretanæ*: Equites *militiæ Ieſu*: De ſingulis vide *Limnæ*. loco ante allegato. Sũt & in Angliâ Equites *Aureæ Periſcelidis*. Equites Nobilibus ſuperiores ſunt: fiunt, non naſcuntur: Eſt enim dignitas tantum perſonalis. Ex ignobili fit Nobilis, ſed, ex veteri more, non Eques, qui olim non niſi ex Nobili fiebat. Habent Equites omnia Nobilium privilegia, ſed non viciſſim Nobiles Equitum: olim Nobilibus non concedebatur catena aurea, niſi 200. floren. Equitibus 400. Equitibus conceſſa erant calcaria inaurata, Nobilibus non idem. Et hanc in rem ſanctiones fuere Imperiales. Seculum noſtrum ordinis impatiens omnia mutavit.

Thes. VIII.

Hactenus ordo nobilium: ſequitur *ordo literatorum*; in quibus ſunt (1.) *Theologi* (2. *ICti & Advocati* 3. *Medici & Alchimiſtæ* (.) *Philoſophi, Oratores & Poetæ*.

Explicatio.

I. *Theologis* in Eccleſiis & ſcholis publicè docentibus carere Reſpublica nec debet nec poteſt;

teſt: quia æternæ ſalutis viam hi commonſtran[t] ut felicitatem Politicam adepti ad cœleſtem & æ[-] ternam tranſmittantur: ſine quâ infelix eſt om[-] nis felicitas. Horum eſt intra ſuos ſe cancellos t[e-] nere. De *Iure Saxonico* abſurdum eſt, ſi cauſaru[m] ſeculariũ ſe peritos *Clerici* oſtendant. Porro om[-] nis faſtus & ambitionis expertes eſſe debent, e[-] xemploque bono auditoribus ſuis præire. *Tur[pe] enim doctori cum culpa redarguit ipſum.* Videatu[r] præceptum *Apoſtoli* 2. Corinth. 6. v. 1. 3. 4. 1. Timoth. 2. v. 12. & ſeq. Tit. 1. v. 7. 8.

II. *ICti & Advocati* in Republ. neceſſarii ſunt quia dirimunt *Ambigua cauſarum fata*, ſuæqu[e] defenſionis viribus, in rebus ſæpe publicis ac pri[-] vatis, lapſa erigunt, fatigata reparant & non mi[-] nus generi humano provident, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent l. 14. C. *de Advocatis.*

Ordinem hunc honeſtiſſimum infamant *Rabulæ forenſes, Viliſſima capita, Forenſia pecora, Canes curiales & Togati vultures*, qui ſolida juris cognitione deſtituti, ad avaritiam explendam, vel paupertatem atque famem fugiendam, nullâ conſcientiæ habita ratione, nulloque juſtitiæ amore perditiſſimas quoque cauſas defendendas vel extenuandas recipiunt, omnibus viribus lites fovent & producunt, ut *Clientes* ſuis exuant fortunis, & cum nocentibus innocentes peſſundent. Tandem etiam, ubi cauſarum commiſſarum infirmitatem rationibus & legibus tueri non poſſunt, ad convitia deflectunt. Vnde à conviciandi libidine abſtinendum ſibi meminerint graves & eruditi *Advocati*. Non in hos, ſed in rabulas dictum, quod apud *Tacitum* occurrit: *publicæ mercis nihil tam vænale, quam Advocatorum perfidia.* Et apud *Columellam*: *Sine cauſidicis ſatis felices olim fuere futuræque ſunt urbes*, In hos ferri oportebat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tebat duram illam legem, quæ in Comitiis Moguntinis ſub Friderico III. Anno 1441. in omnes Iuris Doctores & Advocatos lata legitur: Alle Doctores der Rechten / ſie ſeynd Geiſtlich oder Weltlich/im Heyligen Römiſchen Reich Teutſcher Nation/ ſollen/ nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht/ bey keinen Rechten/ vnd in keines Fürſten oder andern Raht mehr gelitten / ſondern gantz abgethan werden. Sie ſollen auch fürbaß in / vor Gericht oder Recht nicht weiter reden/ ſchreiben/ noch Raht geben Sintemahl Gott den Menſchen mit ſeiner eygenen Weißheit begnadet vnd verſehen hat / ſo mag er in der new fürgenommenen Ordnung ſeines Rechtens ſelb wol warten.

III. *Medicorum* in Republ. uſus quoq; eximius, neceſſitas magna. Hi enim ad ægros animi ſui ſolicitudinem referunt, & cum propriæ etiam valetudinis periculo alienæ vel recuperandæ, vel conſervandę operantur. Vnde *Chriſtus* ait Matth. 9. v. 20. *Iis, qui malè habent, opus eſſe Medico.* Et *Eccleſiaſticus*. cap. 38. v. 1. jubet *Medicum honoribus affici convenientibus uſui ejus, quia Dominus ipſum creavit.* Et inter *Iudæos* olim *Chriſtus* Doctrinæ ſuæ fidem fecit medicinæ miraculoſo uſu, quando omnis generis morbos ſanavit. Olim eidem facultati reges quoque operam dederunt, *Mithridates, Maſiniſſa, Iuba Mauritaniæ* Rex, imo ipſe etiam *Salomon*, teſte *Ioſepho*. *Ludovicus XI. Galliarum* Rex medico ſuo *Cauterio* ſingulis menſibus mille coronatos dedit. eximium *Homeri* antiquiſſimi eſt Encomium *Medici.*

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hoc eſt: *Vir Medicus multis anteferendus erit.*

Vel: *Vir aliis medicus multis præſtantior unus.*

Excipitur tamen contra Medicos

(1., *Experimenta artis faciunt per mortes aliorum.*

 Plinius

Plinius libr. 29. cap. 1. *Ergo tolerandi non ſu*
in Repub. Medici.

Reſp. *Antecedens* univerſaliter verum non e. Vnde & *conſequentia* eſt nulla. Imperiti *Medi* faciunt hujuſmodi experiméta, quibus carere facilè poteſt Reſpubl. Hujus farinæ ſunt *impoſtor* & *Circumcelliones*, qui Medicorum ſe titulis jactitant, &, ut proverbium habet, *in vaſis jactur figulinam exercent*, quos *Galenus* in lib. prænotionum dicit *hoc uno à latronibus differre, quod cives intra mœnia & non in montibus deprædentur.*

Magna igitur heîc opus circumſpectione, ne vita & valetudo civium indoctis & infelicibus permittatur. *Ad docendam*, inquit *Adam. Contzen* Polit.lib.4.cap.25.num.6. *& exercendam Medicinam nemo niſi diu accurateque doctus admittatur. De honoribus Academicis ſupra dixi, qui quia ſæpe dantur indignis, non debet eâ autoritate ſtare Princeps, ut ſi quis ex Italiâ Galliâve alicujus Academiæ teſtimonio inſtructus veniat, is Medicus cenſeatur. Quid enim indignius, quã eum, qui aliquot aureis Medici titulũ emit, habere jus publicũ occidendi, & per ignobiles, interdum etiam illuſtres mortes, artis experimẽta quærendi? Nimis ſæpe* jactari *vulgata paræmia ſolet, quod olim factum & dictum eſt: ſoli Medico, ſoliq; Advocato,* ſine pœna mortis, occidere faseſt. *Medico imperito, ſi ægros curandos ſuſceperit, capitale eſto, quãvis fortè curaverit. Nam bonus exitus à DEO eſt, ipſius temeritas ægrũ perdiderat.* Hæc ille, qui doctos Medicos, ſi boni ſint viri, etiam ad publica conſilia adhibendos docet.

(2.) *Babylonii* medicos urbe expulerunt. *Herodotus* lib. 1. Et *Roma* ſine medicis annos amplius ſexcentos floruit. Ergo Medicis facilè carere Reſpubl. poteſt.

Reſp. 1. Ad *antecedens*: Medicos urbe ſuâ non expulerunt *Babylonii*, quos olim nullos habuerunt,

unt, qui artem profiterentur: Interim medicæ facultatis neceſſitatem agnoverunt, quia ægrotos in forum deportarunt, & prætereuntium de is ſanandis ſententias rogarunt, quod & *Romæ* olim factum ante conſtitutam medicinam. Cum igitur nemo eſſet Medicus, Medicinam profitebantur omnes.

(3.) *Conſequentia* negatur: Primum enim exempla illa tanti non ſunt momenti, ut propterea negligendi ſint medici: Deinde melius cum *Babyloniis* & *Romanis* actum fuiſſe, quod profeſſione medicos non habuerint, quàm ſi habuiſſent, nemo hiſtoricus fide dignus affirmat.

Alchymiſtis, qui non niſi aurificinam profitentur, facilè carere Reſpubl. poteſt: quia plerique non niſi impoſtores & fumi venditores ſunt.

Chymicis verò, qui medicamentis ex vegetabilib. & mineralibus præparandis occupantur, iiſque utuntur in medicinâ faciendâ, locus in Reſpubl. minimè negari debet: quia Medici ſunt; modò artem rectè calleant, & experimenta per ægrotorum mortes non faciant.

IV. *Philoſophos* in Rempubl. eſſe recipiendos palam eſt: quia Philoſophia, quam profitētur, *virtutis eſt indagatrix, & vitiorum expultrix*. Unde ut olim, ſic & hodie plerunq; principum & Regum formatores fuerunt & ſunt *Philoſophi*. Gratulabatur ſibi *Macedoniæ* Rex *Philippus*, quod iis temporibus natus eſſet filius *Alexander*, quibus uti poſſet *Ariſtotele* præceptore. Philoſophorum vitia non imputanda Philoſophiæ: niſi omnia Rectorum vitia Reipublicæ quis imputanda arbitretur, & ex ipſo mundo relegandas Reſpublicas: vide *Adam. Contzen*: de Republ. lib. 4. c. 23.

V. *Oratores* quoque minimè excludendi, qui orationis concinnæ præſidio ſervire poſſunt multitudini regendæ: non qui judicia corrum-

 pant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

punt, & mercenarias linguas innocentibus opprimendis & nocentibus liberandis impendunt. Inprimis verò magnus eorũ uſus eſt in obeundis legationibus. Dignam eſſe rectoribus Rerumpublicarum eloquentiam oſtendit Ariſtoteles ad Alexandrum. *Quemadmodum liberas civitates*, inquit, *communis lex, quæ ad honeſtiſſimum aliquem finem ducat, dirigere conſuevit, eodem etiam modo & oratio tua queat eos, quos ſub imperio tenes, ad id agere, quod conducibile ſit & utile:* Vim eloquentiæ in Reipubl. adminiſtratione inſigniter deprædicat Cicero lib. 1. de Orat. Neque in pace tantum, ſed & in bello maximus eſt eloquentiæ uſus. Vnde inclinatas acies oratione ducum ſæpè erectas legimus: & plus eloquentiâ, quam armis effectum. De *Conſtantino* Victor ſcribit, eum, quod aut vix, aut multo ſanguine obtinendum erat, eloquentiâ patraviſſe. *Cyneas* Pyrrhi orator plures fertur urbes oratione cæpiſſe, quàm callidiſſimus Imperator bello.

VI. Neque negligendi *Poëtæ*, qui fabularum amænitatibus & involucris, quibus ingenia exercent, ſalutaria inculcant monita, virtutes extollunt, & liberiore ſtilo in vitia invehuntur: Vnde & proſunt & delectant, ſecundum illud *Horatii:*

> *Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ,*
> *Aut ſimul & iucunda volunt, & idonea vitæ*
> *Dicere.*

Hinc in pretio olim fuit *Craſſo Prindarus, Scipioni Africano Ennius, Alexandro Homerus, Auguſto Virgilius, Mæcenati Horatius, Gratiano Auſonius.* Et etiamnum hodie Romani Imperatores, cũ poteſtatem coronandi Poëtas conferant *Palatinis Comitibus*, honeſtiſſimè ſe de doctis Poëtis ſentire innuunt. Exſtat eruditus *Baſilii* liber, *de utilitate ex Poëtarum etiam prophanorum ſcriptis capienda.*

Iniqui-

Iniquiores olim *Poëtis* fuerunt *Spartani* & *Pla-
o*, qui ferre eos in Republ. noluerunt, quia mul-
i ex iis amorum ſunt magiſtri & adulatores: ſed
niquè omnibus imputatur, quod aliquorum
luntaxat vitium eſt, & non ab arte, ſed ab artifi-
e eſt. Multa in laudem Poëtarum dicta vide a-
pud *Adam. Contzen* polit. lib. 4. cap. 19.

CAPVT. XIX.

DE ORDINE NEGOTIANtium & inutilium in Republicâ civium.

Thesis I.

FVit *ordo literatorum*: ſequitur *ordo negotiantium* & manuaria artificia tractantium: qui conſiderantur in *genere* vel in *ſpecie*.

Thes. II.

In *genere* conſiderantur ſub appellatione vulgi, cujus mores ita deſcribit vetuſtas. (1.) *Verbis ferox eſt.* (2.) *Affectus ponit & ſumit.* (3.) *Stupidum & judicii expers.* (4.) *Negligit Rempubl.* (5.) *Credulum eſt.* (6.) *Suſpicax.* (7.) *Invidum.* (8.) *Leve & inconſtans.* (9.) *Lucri avidum.* (10.) *Superſtitioſum.* (11.) *Rebus ſecundis ad ſeditionem pronum,* (12.) *Ad plures inclinat.* (13.) *Favet fervidis.* (14.) *Sine duce nihil audet.* (15.) *Dat vires famæ.* (16.) *Ludicris delectatur.*

Thes. III.

Negotiantium in ſpecie alii ſunt *mercatores*, alii alia ad Rempubl. neceſſaria procurant.

Thes. IV.

Mercatorum negotiatio eſt *diffuſa* & *reſtricta*: *Illa* honeſtior; eorum eſt, qui majori quantitate merces, ut vulgò ajunt, *integras*, aliis divendunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

pretio tolerabiliore: *Iſta* aliquantò vilior eorum eſt, qui à mercatoribus mercantur, & illicò minutim vendunt.

EXPLICATIO.

I. *Prioris* generis *mercatores* olim in patriâ ſuâ *decurionatum* & alios honores petere poterant. l. 12. ff. de *Decurionatu*. Hos inter olim erant quoque *Solon* & *Thales*. Hodie iis abundat *Italia*, *Hiſpania*, *Belgium* & nobilia multa *Germaniæ* emporia. Hi ferè ſoli orbis divitias accumulant & rerum gerendarum nervos in manibus habent: quibus uti Magnates didicerunt.

Poſterioris non idem: quos *Cicero* nihil proficere ait, niſi admodum mentiantur: Quæ tamen iniquior eſt cenſura, ſi omnes promiſcuè notet: Neque commodè carere iis Reſpublica poteſt.

Pertinent huc *Dardanarii*, qui annonam coemunt, ut carius vendant. Sic dicti à *Dardano* quodam profligatiſſimo mago, qui maleficis artibus annonam in ſua granaria avertere, & menſuras in admetiendo minuere ſolitus eſt. Alias etiam *annonæ flagellatores* appellantur.

THES. V.

Alia ad Rempubl. neceſſaria ſunt (1.) *Victus*, qui procuratur à piſtoribus, coquis, laniis, agricolis, venatoribus, & piſcatoribus. (2.) *Amictus*, quem procurant pannifices, ſartores, textores, ſutores. (3.) *Medicamenta & valetudo*: quæ procurantur à pharmacopæis & obſtetricibus. (4.) *Literæ ſeu Libri*: quos procurare Typographorum eſt & Bibliopolarum. (5.) *Ædificia*: ad quæ operam conferunt ſtructores, ſculptores, fuſores, pictores, & omnis generis fabri. (6.) *Sententiæ capitalis executio*, quæ demandatur carnificibus.

EXPLICATIO.

I. Magna eſt *Artificum mechanicorum, ſeu opificum*.

ficum, in Republica neceſſitas & utilitas:

(1.) Quia ab otio ad negotium plebem avocant, & ſic innumeris malis occaſionem præcidunt.

(2.) Quia carere iis Reſpub. culta non poteſt: propter victum, amictum & habitationem: ad quæ ſinguli opifices ſuas conferunt operas.

(3.) Quia divitiæ per opifices in Rempubl. inferuntur: Extranei enim per hos invitantur, ſuiſque opibus merces opificum redimunt: ut experientia teſtatur.

(4.) Quia pauperibus per officia conſulitur, & publica ac promiſcua mendicitas à Republ. excluditur: Quævis enim terra artem alit.

II *Piſtorum* alii *neceſſitatis* cauſa ſunt comparati, qui panes cibarios conficiunt: Alii *deliciarum* cauſa, qui ex ſaccharo & melle edulia concinnant, quos *Dulciarios* appellamus. Hi in urbem invecti demum, anno ab ea condita 580.

Lanii extra mænia mactare pecudes debent, ne ſordibus urbem inquinent & inficiant.

Coqui viliſſima veteribus mancipia erant: quos ne in ſervitiis quidem *Romani* veteres habebant, ſed ex macello conducebant. Apud *Lacones* quoque neglecti ſunt, quia præter ſalem & acetum pro obſoniorum condimentis nihil dabant.

Tandem verò, invecto luxu *Aſiatico coquinaria* in pretio & æſtimatione cæpit eſſe, & ars haberi cæpta, quod vile miniſterium erat.

Agricolæ apud veteres *Græcos* & *Latinos* in pretio fuerunt: quibus carere nullo modo Reſpubl. poteſt. Egregium eſt *Ciceronis* encomium: *Nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Vnde olim multi heroës agriculturæ dediti fuere. *Hercules*, *Cyrus*, *Diocletianus*, *Attalus*, *Maſiniſſa*, *Scipio*, quo nomine apud Romanos olim *tribus ruſtica* fuit honeſtiſſima.

Vena-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Venationis ſtudium jucundum & utile eſt: quia natura nobis indulſit dominiũ in feras. Vnde jucunditate hujus laboris capti venatores quævis ſubeunt pericula, tempeſtates quaſvis tolerant. Nec minor eſt *piſcationis* jucunditas & utilitas.

III. *Hominis valetudinem* poſt *Medicos* curant *Pharmacopæi, Chirurgi & Obſtetrices.*

Pharmacopæorum eſt, Venena & medicamenta periculoſa fatuis vel ſuſpectis hominibus non vendere: ſecus ſi faciant, tenentur. Magiſtratus eſt operam dare, ut medicamentis idoneis inſtructa ſint pharmacopolia: quam in rem ſtatis temporibus per medicos viſitanda.

Chirurgorum & *barbitonſorũ* filios in nonnullis civitatibus liberis ad collegia ſua & ſodalitates non admittunt Tribuni: More peſſimo & imperialibus conſtitutionibus prohibito.

Obſtetrices in pretio haberi leges volunt, & ferè eodem quo *medicos*: quia medicinam videntur exhibere: l. 1. §. 2. ff. de extraord. cognit.

Capitis periculum ſubeunt, ſi partum falſum ſuppoſuerint. Ad hanc ſeriem referunt quoq; nonnulli *athletas*, qui corporis exercitationem & membrorum agilitatem docent: quo nomine à veterib. æſtimati ſunt & pro præmiis coronati. Vacationem quoque habuerunt civilium munerum, ut tutelæ & ſimilium. Etſi veteribus *Saxoniæ* incolis prorſus exoſi fuerunt.

IV. *Typographia*, Reipubl. admodum neceſſaria & utilis ars, inventa eſt anno 1440. Argentinæ, ut nonnulli volunt. Inventorem nonnulli laudant *Iohannem Fauſtium*, alii *Guttenbergerum.*

Typographorum eſt utilibus libris excudendis operam impendere, non evulgare famoſos libellos ad prægravandam innocentium famam.

V. *Architecti, ſculptores, fuſores, ſtatuarii, Marmorarii, Pictores, &c.* utilem quoque Reipubl.

navant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

navant operam, modò ad luxum non abutantur artib. ſuis. Vnde in *Iure civili* non poſtremo loco habentur: Olim verò in maximo fuerunt pretio, & præcipuè Regibus cari.

VI. *Sententiæ capitalis* executoribus, ut *apparitoribus, Lictoribus*, & *Carnificibus* Reſpubl. quoque commodè carere non poteſt: ne, deficientibus illis, honeſtiores hac macula ſe cogantur inquinare: Vti apud *Lituanos* accuſatoribus hæ partes demandantur. Quod apud *Hebræos* quoque factum.

Non approbant jura conſuetudinem illam quarundam Rerumpublicarum, in quibus plebs lapidibus carnifices obruit, ſi fortè in actu executionis deficiant, & uno ictu rem non peragant.

Thes. VI.

Hactenus ordo civium magis utilium: Sequitur ordo minus utilium, qui ſunt *Pantomimi*, *Hiſtriones, Tibicines*.

Explicatio.

I. *Pantomimi* olim erant periti ſaltatores & geſticulatores, qui pedum manuumque, totiuſque corporis artificioſa geſticulatione, quicquid vellent, ſignificare aliis poterant: etiamſi vocem planè nullam mitterent, nec ſcriptura uterentur. Hinc ad nobilem quendam *Pantomimum Demetrius Cynicus* dixit: *O homo, quæ facis, nec video ſolum, ſed etiam ipſis manibus mihi videris loqui:* Plura videantur apud *Cælium Rhodiginum*, lib. 5. c. 3. de *Pantomimis*. Magnus olim *Pantomimis* honos fuit habitus, quorum mancipia fuêre nobiliſſimi juvenes. Temporibus verò *Tyberii* domos *Pantomimorum* ingredi Senatoribus non licebat. Dicti *Pantomimi*, quia omnia imitabantur geſtu: Πάντα μιμέμενοι.

Hiſtrio lingua *Thuſcâ* vocatur *Ludio*. *Hiſtriones* olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

olim & hodie perſonati Comœdias & Tragœdias agunt. Infames olim habiti ſunt, ſi ob præmium in Scenam deſcendiſſent. Hodiè plena iis *Anglia*; multoties *Italiá* ejecti fuerunt: *Tacitus*.

III. *Tibicines* à tibiæ cantu ſic dicti, apud *Iudæos* olim & *Romanos* nec non pleroſque Gentiles frequentes fuerunt, qui DEOS per tibicines mulcere, iiſque in conviviis uti conſueverunt. Omnem tibiarum uſum improbavit *Ariſtoteles* lib. 9. Polit. c. 6. *Alcibiades* ajebat tibiarum uſum *Thebanorum* filiis, qui loqui neſcirent, convenire, non genti *Atticæ*, cujus principes ſunt *Pallas* & *Apollo*, quorum illa fiſtulam confregit, hic tibicinem excoriavit. *Plato* tibicines ab imperitis adhiberi dicit, qui, cum ob inſcitiam ſe mutuis colloquiis exhilarare nequeant, luculentâ mercede alienam tibiarum vocem conducere ſoleant.

CAPVT XX.

DE IURE PATRONATUS, bonis Eccleſiæ, Scholis Trivialibus & Academiis.

THESIS I.

H*Actenus inter adjuncta togatam adminiſtrationem circumſtantia, fuerunt perſonæ*: ſequuntur *res*, quæ ſunt munimenta gubernationis politicæ eaque recepta *domi* vel *foris*.

THES. II.

Quæ *domi* ſunt recepta, ſerviunt Reip. vel *conſervandæ* vel *augendæ*.

THES. III.

Rempubl. *conſervat* cura rerum (1.) *Sacrarum*. (2.) *Religioſarum*. (3) *Sanctarum*, (4.) *Publicarum*.

THES.

THES. IV.

Sacra res ſunt (1.) *Ædes ſacra.* (2.) *Bona eccleſiaſtica.* (3.) *Seminaria Reipublicæ.*

THES. V.

Ædes ſacræ ſunt ædificia divino cultui habendo deſtinata: quibus adjunctum jus *patronatus*, quod eſt poteſtas præſentandi & nominandi inſtituendum ad beneficium & officium ſacrum vacans.

EXPLICATIO.

I. Acquiritur & inducitur jus *patronatus* quinque modis:

(1.) *Per fundationem:* Si prædium donetur vel relinquatur templo extruendo.

(2.) *Per extructionem:* Si quis impenſis ſuis ædem ſacram ædificet.

(3.) *Per dotationem*: Si Eccleſiæ miniſtris neceſſaria conſtituantur: ita quidem ut penes Eccleſiam ſemper ea maneant.

(4.) *Per præſcriptionem immemorialem.*

(5.) *Per donationem,*

Non autem eſt neceſſarium, ut unus tantùm ſit *patronus* unius Eccleſiæ: poſſunt enim plures eſſè, ita tamen, ut *jus patronatus* non penes ſingulos ſit diviſum, ſed penes omnes in ſolidum: quorum unus non eſt magis *patronus*, quàm alius: etſi unus plus quàm alius contulit: poſſuntque plures *patroni* præſentare plures, è quibus unum eligere eſt penes *Epiſcopum.*

II. *Præſentatio* fieri debet intra quatuor menſes à tempore vacationis, ſi patronus ſit *ſecularis:* Sin *Eccleſiaſticus*, intra ſex menſes: Vbi meminerit *Patronus* præſentandam eſſe perſonam idoneam, ratione (1.) *fidei* & doctrinæ (2.) *vitæ*: de quibus requiſitis conſulendus *Apoſtolus* ad *Titum* 1. verſ. 7. 8. 9. 10.

Quæritur heîc: *An repudiare poßit Epiſcopus à Patro-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Patrono præſentatum, qui alienus ſit ab Epiſcopi religione? Affirmativam juris veritati magis congruam & uſu paſſim receptiorem eſſè docet *Theodor. Reinkingk.* lib.3. claſſ. 1. cap. 9. num.21. Debet enim Patronus talem Epiſcopo præſentare, qui cenſuram ejus poſſit ſuſtinere, & ad veritatem cæleſtem propagandam idoneus cenſeatur: qualis ab Epiſcopo judicari non poteſt, qui ab ejus religione eſt alienus.

Eſt & hoc obſervandum, non licere *Patrono* præſentatum & inſtitutum removere, ſed penes *Epiſcopum* hoc eſſe.

III. *Patrono* vel fundatori Eccleſiæ hic honos debetur, ut, ſi ad inopiam redactus fuerit, ab Eccleſia ei modeſtè ſuccurratur.

Notentur verſiculi:

Patrono debetur honos, onus, emolumentum:
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

THES. VI.

Bona Eccleſiaſtica ſunt, quæ ſacris perſonis & ædibus ſuſtētandis & conſervandis ſunt deſtinata: quorum conſideranda *acquiſitio* & *alienatio.*

THES. VII.

Acquiruntur variis modis, ut *Legato, Donatione, Emptione,* &c.

THES. VIII.

Alienantur non niſi in quibuſdam certis caſibus, qui ſunt circa alienationis (1.) *Formam*: per tranſactionem, locationem, pignoris obligationem, alienationem emphyteutico jure factam (2.) *Materiam*: ſi uſus fructus rei tantùm alienetur: Si ædes ſint ruinoſæ, vel multis præſtationibus obnoxiæ, vel modicæ, vel nimis remotæ. (3.) *Finem*: ſi fiat alienatio vel captivorum redimendorum cauſa, vel æris alieni ſolvendi gratia,

vel

vel ad alendos pauperes, vel ad fabricam Eccleſiæ, vel ad Eccleſiæ conditionem meliorem reddendam.

Explicatio.

I. *Eccleſiaſtica bona* nullo juſtiore titulo alienantur, quàm *redemtione captivorum, ſepulturæ fidelium & ſuſtentationis pauperum*: In humanum enim & impium eſt, inanimes, ligneas, lapideas, argenteas, aureas ſanctorum imagines theſauris ornare, & pauperes, vivas Dei imagines, negligere. Non habet aurum Eccleſia ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus. Vnde *Ambroſius* olim ab *Arrianis* reprehenſus, quod ad captivos redimendos diſtraxiſſet aureos calices, reſpondet, *DEO gratiores eſſe animas captivorum, quam aurea vaſa & ornamenta templorum.*

II. *Bona Eccleſiaſtica* in prophanos uſus non eſſe convertenda & in principis ærarium inferenda, probat *Danæus* Polit Chriſt. lib. 3. cap. 2. ſequentibus argumentis: (1.) Quia expreſſa Dei lex eſt, Lev. 27. v. 28. *Vlla res devota, quam devoverit quis Iehovæ, ex omnibus, quæ ſunt ei, ex hominibus aut beſtiis, aut ex agris poſſeſſionis ſuæ, ne venditor neque redimitor: omnis res devota ſanctorum eſt Iehovæ.* (2.) Quia qui Chriſti bona fraudat & intervertit, aut eripit ei, non tantum *prædo* & *raptor*, verum etiam *Sacrilegus* eſt: (3.) Quia qui *Matri* alimenta eripit, vel denegat, non modo velut *homicida*, ſed ſicut *parricida* damnandus eſt: necat enim, qui alimenta ſubtrahit. Qui verò res *Eccleſiæ* dicatas in profanos uſus convertit, alimenta matri ſubtrahit: cum *Eccleſia* ſit mater. (4.) Quia *invaſor* & *raptor* eſt qui aliena uſurpat, invadit & ſibi applicat, adeoque publicâ pœnâ coërcendus. (5.) Quia idem ſentiunt Patres omneſque pii viri, quos autor ille allegat.

Thes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IX.

Hactenus bona Eccleſiaſtica : ſequuntur *Reip. ſeminaria*, quæ ſunt *Scholæ triviales* & *Academiæ*.

EXPLICATIO.

Scholæ & Academiæ vocantur *ſeminaria* Reipublicæ, quia in iis quaſi ſeminibus doctrinę ſparſis naſcuntur & efflorescunt idonei Rerumpubl. Rectores & Cives. Hominum enim ingenia literis non exculta quaſi barbarie ſylveſcunt & efferantur : Vnde nec parere nec imperare poſſunt. Hinc æſtimanda *ſcholarum* neceſſitas & utilitas. Vnde *Cicero* ; *qui non rectè inſtituunt atque erudiunt liberos, non ſolum liberis, ſed etiam Reipubl. faciunt injuriam*. Et *Diogenes Pythagoricus* fundamentum totius Reipubl. conſiſtere in adoleſcentium educatione dixit. *Picolomineus* ſcribit, grad. 10. cap. 30, *Conſtantem Platonis, Ariſtotelis & omnium, qui de Republicâ ſcripſerunt, ſententiam eſſe : Inanes eſſe omnes in Republ. leges, niſi juventus rectè inſtituatur* : Vt enim in ſemente tota ſpes meſſis poſita eſt : ita totius reliquæ vitæ exſpectatio ab educatione primæ ætatis pendet. Indicium igitur laborantis & malè conſtitutæ Reipubl. eſt neglectus vel contemtus ſcholarum, eorumque, qui Scholis præſunt.

THES. X.

Scholarum in eo poſita eſt gloria ut officio ſuo ritè fungantur *præceptores* & *diſcipuli*.

THES. XI.

Officium *præceptorum* conſiſtit *doctrinæ* inſtillatione & *diſciplinæ* directione.

THES. XII.

Doctrinæ inſtillatio duos propoſitos fines habet, cognitionem rerum & facultatem res animo cōceptas propriâ & perſpicuâ oratione explicādi.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

I. Ad rerum cognitionem & doctrinam rudioribus inculcandam requiritur ex parte *præceptorum.*

(1.) *Methodus ſeu ordo*, quæ quaſi anima eſt inſtitutionis: Vnde & *docentibus* & *diſcentibus* proſperè & ex voto omnes cedunt labores. Initium a. faciendum ab inſtillatione veræ *pietatis*, ſine quâomnis doctrina venenum eſt. Hinc ſubjungendæ *artes liberales* eo ordine, quo unaquæque alteram antecedit, & ad addiſcendam aliam conducit. Vbique verò in ſingulis artibus generalia præmittenda ſunt ſpecialibus, quæ ſine illis intelligi non poſſunt.

(2.) *Dexteritas ſeu* judicium: ne nimis onerentur tenelli diſcentium animi, & ne, neglectis utilibus & neceſſariis, minus utilia minuſque neceſſaria tradantur.

(3.) *Laborioſa patientia:* ne eadem ſæpius inculcare, & ſuo cum labore diſcentium labores ſublevare, modiſque omnibus etiam tardorum conatus promovere pigeat.

(4.) *Exercitatio ſedula*, quæ eruditionem conſummat, judicium firmat, ingenium acuit, & ad reddenda ea, quæ ſemel memoriæ commiſſa ſunt, promtos reddit.

II. Cave autem ſterilem tantum & umbraticam cognitionem, ſeu ſpeculationem heîc intelligas, quæ Reipubl. cives exhibere poſſit tantum doctos, non autem bonos: Scientiam in civibus ſuis Reſpublica potiſſimum *practicam* requirit, eamque propter ipſam *praxin*, quâ maximè ſalus Reipublicæ continetur. Vnde Politici veteres ad quatuor potiſſimum virtutes inſtitutionem civium revocarunt, nempe ad *prudentiam, fortitudinem, juſtitiam & temperantiam* : *Ariſtotel.* 7. polit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Polit. cap. 15. *Plato.* in Politico. Xenoph. de Republ. Laced. Quæ omnia nos probamus, & quantum fieri poteſt, pueris, adoleſcentibus & juvenibus verbis uſuque inculcanda judicamus. Præcipuam tamen inſtitutionis partem eſſe *inſtillationem veræ pietatis & religionis* arbitramur, de qua maximè laborandum magiſtratui, ut cives habeat non tantum prudentes, fortes, juſtos & temperantes, ſed vel inprimis pios & doctrinæ pietatis ſcientes & ſitientes.

III. Facultas res animo conceptas propriâ & perſpicuâ oratione explicandi, paratur præceptis artium dicendi perſpicuè traditis, & ad uſum applicatis: Inprimis verò aſſiduâ *ſtili* exercitatione.

THES. XIII.

Diſciplinæ directio conſiſtit 1.) In monitis. (2.) In animadverſione moderatâ in delinquentes. (3.) In exemplis docentium.

EXPLICATIO.

Diſciplina Scholaſtica exercetur & conſervatur ſalutaribus monitis ſeu legibus: Increpationibus ignavorum: Animadverſionibus in contumaces, & inprimis *exemplo* docentium: quo ad pietatem, modeſtiam, diligentiam, ſobrietatem patientiam, omnemque virtutem mire excitantur diſcentes, ſi virtutum harum in præceptoribus quotidiana viderint ſpecimina: Vnde illud Poëtæ:

——— ——— non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm exempla regentum.

THES. XIV.

Hactenus officium præceptorum: Sequitur officium *diſcipulorum*, cujus præcipuæ partes ſunt (1.) *Docilitas.* (2.) *Diligentia* (3.) *Obedientia.* (4.) *Gratitudo.*

Ex-

Explicatio.

I. *Docilitas* in diſcipulis requiritur: ne in addiſcendis artibus aliena contemnant judicia, & ſemel conceptas opiniones nimis pertinaciter tueantur: ſed ut alios audiant, & convicti argumentis cedant, veriſque ſententiis firmiter inhæreſcant: ne etiam temerè improbent, quod non intelligunt, aut facilè deſerant, quod difficile videtur.

II. *Diligentia* & *obedientia* eximiæ diſcipulorum ſunt virtutes, ſine quibus nulli in ſtudiis & morib. bonis progreſſus fieri poſſunt: *Quæcunque ſalutaria ſunt,* ait Seneca, *ſæpe agitari debent, ſæpè verſari, ut non tantùm nota ſint, ſed etiam parata.* Obedientia à diſcipulo excludit contumaciam, & exerit ſe in morum honeſtâ gubernatione & obſervantiâ rationis ordiniſque diſcendi à præceptore præſcripti.

III. *Gratitudo* vel inprimis diſcipulos decet: quia, teſte *Ariſtotele, præceptoribus, qui veram ſapientiam nobis impertiunt non poteſt reddi præmium æquivalens.* Vnde *Antonius* Imperator magiſtrorum ſuorum aureas imagines in ſacello *larium* ſuorum habuit.

Thes. XV.

Fuerunt Scholæ: Sequuntur *Academiæ*, quæ ſingularibus à ſummo Principe ſeu eo, qui ſuperiorem non agnoſcit, privilegiis & Iuriſdictione donatæ ad juſtam maturitatem diſcentium perducunt ſtudia, tituliſque ornant *Magiſtrorum, Licentiatorum* & *Doctorum.*

Explicatio.

I. De Academiâ paucula commentari libet, diſtinctis 9. capitis. (1.) de *Etymo:* (2.) de *causâ efficiente:* (3.) de *materiâ:* 4.) de *forma:* 5.) de *fine:* (6.) de *effectis:* (7.) de *ſubjecto loco:* (8.) *de ad-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

adjunctis: (9.) de *individuis præcipuis*.

Etymon apud philologos controverſum eſt. Nonnulli ab *autore* dictam putant *Academiam* quem *Academum* vel *Hecademum* fuiſſe opinantur, virum heroëm, qui privatum ſuum agrum *Athenis* Gymnaſio publico deſtinaſſe & communib. *Muſis* conſecraſſe ſuoque de nomine appellaſſe dicitur à *Pauſania Laertio*, & aliis: Etſi *Cadmus* aliis arridet Phænicius, qui Græcis *Hermes* dictus, Libybus *Hercules*, qui ad vitam humaniorem & liberalia ſtudia homines revocavit, multisq; urbibus de nomine ſuo nomen dedit. Ab hoc arx & Gymnaſium Thebanum *Cadmia* vel *Cadmèa* nominata, & populi quoque *Cadmèi*, qui ab *Argivis* ejecti ſedibus ſuis *Athenas* conceſſerunt, quas humanioribus ſtudiis excoluerunt & *Cadmeæ*, ſeu Scholæ publicæ, originem nomenque dederunt: quæ poſtmodum *Lybium* & *Afrorum* more præfixo A, dicta eſt Acadmea, *Acadmia* & tandem *Academia*. Arridet hæc notatio doctis, ut videre eſt apud D. *Franciſcum Iunium*.

Alii verò à *ſubjecto loco* dici putant: quod ſit vel eſſe debeat ἐκὰς τῶν δήμων, procul à turbâ hominum: Seceſſum enim amant *Muſæ* foríque fugiunt ſtrepitum.

Aliis videtur appellatio tracta *ab effectu*, quod ſit ἀκη vel ἄκος τοῦ δήμου, hoc eſt, acies vel Medicina hominum. Ingenium enim acuit & medicinam animæ adfert *Academia*.

II. *Efficiens* Academiæ citra controverſiam eſt Magiſtratus ſummus, qui alium ſuperiorem non agnoſcit: Vnde in *Imperio Romano* jus inſtituendi & confirmandi *Academiam* eſt inter ea, quæ ſoli *Majeſtati Cæſareæ* ſunt reſervata, nulliq; *ſtatui Imperii* communicata. Quod verò in *Imperio* poteſt *Imperator*, quilibet *Rex* in ſuo poteſt *regno*, imò quælibet *Reſpublica*, quæ ſuperiorem

non

non agnoſcit. Interim ex conſuetudine longi temporis acquiri quoque *jus Academiæ* docet *Matth. Steph.* de Iuriſd. lib.3. par.2. cap.2. n.27.

Moſcovitæ nullas admittunt Academias, nulla literaria collegia, cùm ut hæreſiũ occaſiones præcidantur, tum ne quis Principe, vel Duce ſapientior & doctior videatur. Habent enim ſibi perſuaſiſſimum principem ſolum, omnia ad religionem pertinentia ſcire, omneſq; nodos & difficultates uno verbo poſſe expedire. Fuerunt quoque olim rariſſimæ in Germania Academiæ: unde ſuos Germani *Bononiam* & *Lutetias* ablegarunt.

III. *Materiæ* nomine intelligimus Perſonas ex quibus *Academiæ* conflatum eſt corpus, quæ ſunt *minus principales* vel *principales*: Inter illas ſunt χαρτοφύλαξ, hoc eſt, *conſervator* & cuſtos Actorũ publicorum, *Syndicus* ſeu Actuarius, *Collector* ſeu Quæſtor, *Pedellus* ſeu Stator Academicus.

Hæ ſunt *Profeſſores* & *Studioſi*, ſeu *Docentes* & *Diſcentes*.

In *Profeſſoribus* tria potiſſimũ requiruntur: (1.) *Probitas morum*, quâ prælucere omnibus debent diſcipulis, qui plerunque Doctorum exempla facilius, quàm præcepta ſequi ſolent: poſſuntque in corrumpendis diſcentiũ animis & moribus plus docentiũ mali mores, quàm in excolẽdis iis præcepta bona. (2.) *Eruditio exquiſita*: quia nemo, quod parum novit, docere poteſt. (3.) *Dexteritas docendi & facundia*, ſine quâ nullus eſt occultę & latentis eruditionis fructus. Videatur l. 7. C. de Profeſſ. & Med. Requiruntur autem in *Academiis* omnium Artium, Scientiarum & Facultatum Doctores, *Grammatici, Rhetores, Logici, Mathematici, Phyſici, Ethici, Politici, Hiſtorici, Theologi, ICti, Medici*. Quia *Academia* eſt quaſi univerſale quoddã *emporium*, in quod omnis generis merces ex toto orbe convehuntur, ut cujusvis ſatisfieri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

tisfieri Emptoris voto poſſit. Hi *Profeſſorum* ordines in quatuor diſtribui *collegia* ſolent, in *Theologicum, Iuridicum, Medicum* & *Philoſophicum*. Inter profeſſores eminent *Cancellarius, Decanus* & *Rector*: *Cancellarius* in Academiis nõnullis eſt perpetuus & plerunque Epiſcopus, in aliis ambulatorius. Confert publico eloquio Decanis & Promotoribus dignitatem, conſervat quoq; privilegia.

Decani munus eſt 1. convocare collegas. 2. ſi conſilia à facultate petantur, aliorum rogare ſuffragia, ſententiam concipere & deſcriptam obſignare. 3. Candidatorum gradum ambientium nomina ad Senatum referre.

Rector Academiæ caput eſt, cujus eſt 1. Studioſos in Album recipere. 2. De negotiis ſuæ juriſdictioni ſubjectorum cognoſcere. Vbi quandoque ſolus partes audit, quandoque Concilium aut Conſiſtorium cogit & ſuffragia exquirit. Rector Academię *Patavinæ* more Senatorum *Venetorum* purpuratus incedit, poteſtque aureâ uti ſtolâ, & exacto munere, aureâ donatus catenâ in ordinem equitum *S. Marci* recipitur. Rector Academiæ *Bononienſis* facultatem habet abſolvendi ab Excommunicatione. Rector Academiæ *Iuliæ*, durante officio, eſt S. Palatii Lateranenſis, Aulæ & Imperialis conſiſtorii Comes.

In *Studioſis* requiritur (1.) *Pietas* erga DEUM. (2.) *Obſervantia* Profeſſorum & Doctorum. (3.) *Sobrietas*. (4.) *Caſtitas*. (5.) *Modeſtia* & *Verecundia*. (6.) *Aſſiduitas* in audiendis lectionibus publicis & frequentandis exercitiis Academicis. (7.) *Labor indefeſſus* in moribus & eruditione proficiendi. (8.) *Facilitas* & *manſuetudo* erga commilitones. (9.) *Gratitudo* erga Præceptores. (10.) *Honeſtas* in veſtitu, quem ab omni levitate alienum eſſe decet, & diverſum à militari. Hæc qui ad *Academias* non adferunt, vel ab omnibus aut

ple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

pleriſque deficiunt, de ſententiâ communi omnium DD. non *membra* genuina ſunt Academiarum, ſed *purgamenta* & *carcinomata* à liberalium Iuvenũ cætu ad Indos releganda. Hinc antequam digrediar, de ſtudioſis armatis Iudicium *Adami Contzen*, ex Polit. lib. 4. c. 8. n. 10. recitare libet. *Ego*. inquit, *admiror in quibusdam Academiis ſtudioſos armatos incedere, contendere, provocare, depugnare, noctu etiã armatos diſcurrere, quod Nero & nequiſſimi fecêre, obvios ſuperbè appellare, invadere, ferire, quod urbanorum eſt latronum, adeò ut licentia armorũ infamia pericula latrociniaq́ȝ è ſylvis luſtrisq́ȝ in urbes & politiſſimorũ hominũ phrontiſteria exciverit. Neq́ȝ enim ignoramus urbes eſſe in quibus aptius juſtitiæ & ſacræ Themidos alumni ſe mutuus vulneribus conficiant & cives inquilinosq́ȝ nefariè oppugnẽt. Quales illos olim juſtitiæ interpretes aut legũ Præſides ſperabit Reſpubl., qui velut ad latrocinia inſtituerentur, ita graſſantur. Quid igitur ſuades? Quid enim? Princeps Martiis hiſce pullis leges militares ponas, quãdoquidẽ Academicã mãſuetudinẽ feraculâ jactãtiâ averſãtur. Leges militiæ German. è caſtris ad academias reducẽdæ ſũt*, &c

Hodie primus in *Academias* Germanicas ingreſſus fit per ritum *Depoſitionis*, quem excipit *præſtatio juramenti* & *inſcriptio*. Ritus *Depoſitionis* quia altâ nititur vetuſtate & ex *Athenienſi Academiâ* ad nos manaſſe creditur, non adeo improbatur Doctis: Vide *Matth. Steph.* de Iuriſdict. lib. 3. part. 2. cap. 5. num. 4. 5. 8. & *Chriſtoph. Beſold.* in diſſertat. de ſtudioſ. cap. 1. Quamvis ineptum & majeſtati rei literariæ minus convenientem judicet *Limnæ*. lib. 8. cap. 6. num. 20. cui equidem non contradixero. Sed præter hunc *initiationis* ritum, alia invaluit ſuperioribus annis in plerisque *Germaniæ Academiis* barbaries, quæ à communibus ſtudioſorum juribus & ſacris repel-

lere nititur *Tyrones* & *Novitios*, niſi annum inte grũ iniquiſſimis ſe ſubmiſerint exagitationibus & ſubinde graviora damna *largis poculis* & *ſumptuoſis dapibus* redemerint. Conſumet tandem peſtis hæc *Academias*, blandaſque *Muſas* in *Gorgonea* mutabit monſtra, niſi *Hercules* aliquis maturè ei opponatur, qui *Academicis Proceribus* totâ mente barbariem hanc averſantibus, ἀλεξίκακον porrigat dexteram. Exarſit pridem in hanc peſtẽ Zelus *Academiæ Rinthelenſis*, qui publico expreſſus programmate, anno 1621. 18. Novembr. *Invaſit*, inquiunt Rector & Senatus Academicus Rinthelenſis, *proh dolor, Academiam noſtram novam nova quædam contagioſa & eodem modo in aliis hactenus inaudita lues. Irrepſerunt in eam pauci quidam* Helluones, Lurcones, Comedones, ἀλλοτριοφάγοι, Crumenimulgæ, Gulones, Phagones, Canes venatici, *qui à militibus armatis parum differentes* bona (*ut cũ Iuvenale loquamur*) ſumma putant alienâ vivere quadrâ: *qui non ſolum quibuſdam commilitonibus ſtatus quæſtionem contra aperta jura movere nõ dubitant, ſed iiſdem quoque ut & juvenibus novellis, ſine ullo ferè perſonarũ diſcrimine, tanquam* vultures *opimo cadaveri inhiant, & quibuſcunque poſſunt modis & mediis, ſæpè in hac annonæ caritate univerſali plus extorquent pecuniæ, quàm ſtudiorum gratiâ ſecũ attulère. Cum autem ejuſmodi proceſſum* ἀκάθαρτον *illud* πνεῦμα *& Princeps vitiorum omniũ, Diabolus introduxerit*: &c. Satis graphicè deſcripta barbaries iſta. Superiori anno 1635, *Ienenſis* quoque *Academia* in barbarum hũc morem graviter eſt invecta, ejuſq; natales ad orcum retulit, quo dignum Draconis infernalis crimen infandæ turpitudinis: ut à *Rectore* & *Profeſſoribus* deſcribitur. Eadem Academia ejuſdem ſententiæ programma hujus anni 1638. 11. Martii, nuperrimè evulgavit, & orcinum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

hoc ἐκτεαμν ad natale ſolum relegavit denuò.

IV. *Forma* Academiæ conſiſtit in poteſtate & autoritate publica. (1.) Docendi & tradendi plenè perfectèque artes omnes liberales, ſcientias & Facultates, *Theologicam*, *Iuridicam*, *Medicam*. (2.) Conferendi gradus *Baccalaureatus*, *Magiſterii*, *Licentiæ*, *Doctoratus*. (3.) Exercendi Iuriſdictioné *Imperii meri* & *mixti* erga cives Academicos.

V. *Finis* eſt informatio plena cũ *theoretica*, tũ *practica* circa res divinas, naturales, humanas & politicas, quas pro objectis habent artes liberales, ſcientiæ contemplativæ & practicæ, Facultates, *Theologica*, *Iuridica* & *Medica*: ut optimis magiſtratibus & civibus ad omnes uſus abũdet Reſpublica. Hujus enim ut nobiles ſunt partes *Academiæ*, ita ad ejus conſervationẽ, amplificationem & exornationem omnia conferre debent ſtudia.

VI. *Effectus* inſignis eſt collatio graduum Academicorum, quibus eorum, quos probè informavit *Academia*, remunerari ſolet induſtriam & eruditionem. Hinc *Baccalaurei*, *Magiſtri*, *Licentiati*, *Doctores*.

Baccalaurei dicuntur, qui confecto humanioris literaturæ primo curriculo, auditiſque per biennium plerunque cum fructu juſto philoſophis, publicum progreſſus ſui teſtimonium ſophis ritu ſunt conſecuti. *Germania* noſtra Philenni ritu ſunt conſecuti. *Germania* noſtra Philoſophiæ tantum habet *Baccalaureos*. Apud alias nationes Facultates quoque ſuos habent *Baccalaureos*. Dicti ſunt à *baccis Lauri*, quia olim hujus gradus Candidatis frondes laureæ bacciferæ auro & argento decoratæ ſolebant offerri. Alii tamen *Bacalarios* appellant à *baculis*: quia olim porrecto *baculo*, tanquam mancipationis in ſtudium ſigno, primam ſtudii autoritatem judicabantur conſecuti. Aliis aliæ arrident origines, de quibus *Martinius* in lexico & *Be-*

& *Beſoldus* in diſſert. de ſtudioſ. cap. 6.

Magiſtri in ſpecie appellantur, qui totius Philoſophiæ curriculo feliciter abſoluto, & ad eam maturitatem ſtudiis adductis, ut cum laude profiteri & docere Philoſophiam poſſint, ſupremæ laureæ decus, quod *Magiſterium* appellant, rigido præeunte Examine publicoque ſpecimine, ritu ſolenni ab *Academiâ* acceperunt. Hos & *Doctores* Philoſophiæ appellant. Apud *Gallos*, *Italos* & alios etiam *Theologiæ Doctores* κατ' ἐξοχὴν *Magiſtri* appellantur, & quidam *Magiſtri Noſtri*: quia omnis doctrinæ ſibi vendicant cenſuram, communemque omnibus navant operam: *Beſold*. in diſſert. cap. 7.

Licentiati hodie appellantur in *Germaniâ*, qui eruditione pares *Doctoribus*, omnibusque defuncti Examinibus & ſpeciminibus, quibus, defungi oportet *Doctores*, in publica ſolennitate eam accêpere *Licentiam*, ut quandocunque voluerint, ſupremum in facultate, quam profitentur, honorem, quem *Doctoratum* appellamus, poſſint petere, quem & conferre, nullo alio præunte Examine vel ſpecimine, tenetur *Academia*. In promotione omnia iis conferuntur inſignia, præter *Pileum* & *Doctoris titulum*.

Doctorum ſummus inter literatos gradus eſt, qui hodie communiter non niſi ad Facultates *Theologicam*, *Iuridicam* & *Medicam* reſtrictus eſt, & ſolenniſſimè confertur in *Academiis*, data publicè docendi & profitendi *Theologiam*, *Iura*, *Medicinam*, autoritate, & Doctores *Theologiæ*, *Iuris* & *Medicinæ*. promovendi poteſtate. Magna *Doctoratus* dignitas, quæ temerè nec petenda nec conferẽda. Non petenda ſine conſcientia exquiſitæ eruditionis: non conferenda ſine ſcientia & evidentibus ejusdem documentis. Alias in petitores & collatores redundat ignominia,

nia, imo ipſam dignitatem.

Olim ii *gradus Academici* majoris fiebant, quàm infelici hoc noſtro ſeculo, præſertim in *Germaniâ*, quæ ad primam relapſura barbariem videtur. Ambivère eos *Principes* quoque, ne dum *Nobiles*, quorum multi modo dedecori ſibi ducunt, ſi vel *docti* vel *conſulti* publice ſalutentur. Inter *Principes* graduum horum non puduit *Iohannem, Ducem Megapolitanum*, Theologiæ Doctorem Pariſienſem: *Hermannum Haßiæ principem*, Magiſtrum Pragenſem, ut & *Richvinum Lotharingiæ Ducem*: *Georgium Ducem Teccenſem*, Iuris V. Doctorem: *Albertum IV. Ducem Bavariæ*, Baccalaureum Pariſienſem. Alios taceo. Vide *Limnæ*. lib. 8. cap. 8.

VII. *Subjecti* nomine locus venit, quo erigenda *Academia*. Non eſt ille quivis promiſcuè modo detur optio:) ſed (1. *Salubris*, qui corpus præſtet ſanum, quod in primis ad ingenii requiritur culturam (2.) *A mari magnuque fluminibus remotior*; ne inquinetur promiſcuâ quorumvis hominum è quovis terræ angulo confluentium ſentinâ. (3.) *Fertilis* quidem, ſed *deliciis non nimis affluens*, ut tolerabilis quidem ſit victus ratio, propter pauperes, non tamē in luxum effundatur Sibariticum, à quo ſobriæ & temperantes abhorrent *Muſæ*. (4.) *Non nimis populoſus*: quia ſeceſſum & ſilentium amant *Muſæ*. (5.) *Tutus* & adverſus hoſtilem incurſionem munitus: quia metus & trepidatio tranquillas fugant *Muſæ*.

VIII. Inter *adjuncta* principem tenent locum *Privilegia*, quæ ſunt vel *Senatus Academici*, vel *Profeſſorum* & *Doctorum*, vel *Studioſorum*.

Senatus Academici, præter poteſtatem conferendi gradus, inſigne privilegium eſt *Imperium merum & mixtum*, in cauſis criminalibus & civilibus civium Academicorum: quod de jure

omnibus Imperii competit *Academiis*, ut & alii extra Imperium. Probat hoc 10. Argumenti *Matth. Steph.* de Iuriſdict. lib. 3. p. 2. cap. 12 num. 97. 98. & ſeqq. Et noviſſimè *Iohannes Iacobus Friſch*, in reſolutione quæſt. Iurid. 25. Argumentis: ad quos Lectorem remittimus. vide *Limnæ.* lib. 8. c. 9.

De *Profeſſorum*, *Doctorum* & *Studioſorum* privilegiis prolixè diſſerunt *Matth. Steph.* de Iuriſdict. lib. 3. part. 2. & *Chriſtoph. Beſold.* in diſſertat. de ſtudioſis, &c. *Adam. Contzen*, Polit. 4. cap. 15. Celebris heîc eſt conſtitutio *Friderici I.* Auth. Habita, C. *Ne filius pro patre.* De Academiis diſſerentem vide *Limnæ.* de I. P. lib. 8. toto.

IX. Reſtat jam ut præcipua *Academiarum* per univerſum orbem Chriſtianum *individua* enumeremus.

Academiæ in *Germania* numerantur quinque & viginti. *Baſileenſis*, fundata à Pontifice *Pio II.* An. 1459. *Heidelbergenſis*, fundata à *Ruperto II.* An. 1346. *Marpurgenſis*, fund. à *Philippo Haſſiæ Landgravio*, An. 1526. *Ienenſis*, fund. à *Iohan. Friderico*, Electore Sax. Anno 1548. *Helmſtadienſis*, fund. à *Iulio*, Duce Brunſ. An. 1576. *Francofurtenſis*, fund. à *Ioachimo*, Elect. Brandenb. & Fratre ejus *Alberto*, Cardinale & Electore Moguntino, An. 1506. *VVittenbergenſis*, fund. à *Friderico*, Elect. Saxon. An. 1502. *Tubingenſis*, fund. ab *Eberhardo*, Duce VVirtenb. An. 1477. *Argentinenſis*, fund. An. 1566. quo à *Maxim. II.* quædam accepit privilegia, quæ completa à *Ferdinando II.* An. 1621. *Viennenſis*, fund. à *Friderico II.* Imperat. An. 1236. renovata ab *Alberto III.* Archid. An. 1363. *Colonienſis*, fund. An. 1388. in qua olim docuerunt *Albertus M.*, *Thomas Aquinas*, *& Iohannes Scotus*. *Erphordienſis*, fund. à *Dagoberto* Francorum Rege, An. 650. olim florentiſſima, in qua

Eoba-

Iohanus Heſſus 1500. Auditores habuit, tandem miſerrimè vaſtata propter ſtudioſorum inſolentiam & nocturnos tumultus. *Herbipolenſis*, fund. à *Iohan.* Duce VVurtzeburg. An. 1403. *Lipſienſis*, fund. à *Frid.* Duce Saxoniæ, An. 1409. nata ex ruinis Academiæ *Pragenſis. Roſtochienſis*, fundat. à *Iohan.* & *Alberto* Ducibus Megapol. Anno 1415. colonia Academ. *Erfordienſis & Lipſienſis. Friburgenſis*, fundat. ab *Alberto VI.* Archid. Auguſt. Anno 1460. *Ingolſtadienſis*, fundata Anno 1410. amplificata à *Ludovico* Duce Bavariæ, An. 1459. *Moguntina*, fundata An. 1482. aliis 1461. à *Diethero Iſenburgico. Regiomontana*, fundat. ab *Alberto*, March. Brand. Anno 1544. *Altorfiana*, fundata An. 1581. *Gryps.vvaldenſis*, fund. à *Vratiſl. IV.* Duce Pomer. Anno 1456. inſtaurata à *Philippo* Duce, An. 1547. *Leydenſis*, fundata An. 1575. *Duacenſis*, fundata à *Philippo II.* Rege Hiſpaniæ, An. 1562. *Lovanienſis*, fundata à *Iohanne Duce Brabant.* An. 1425. *Delingana*, fundata ab *Otthone Truchſeßio, VValpurgio*, Epiſcopo Auguſt. An. 1549. *Gieſſenſis*, fundata An. 1607. *Rinthelenſis*, fundata à *Comite Schaumburg.* An. 1620.

In *Gallia* celebres ſunt Academiæ: *Pariſienſis*, fundata à *Carolo M.* An. 791. quæ crevit ſub *Ludovico VII.* An. 1139. & ſub *Franciſco*, An. 1530. *Montuſpeſſulana*, fundata An. 1196. *Aurelianenſis*, fund. à *Philippo pulchro*, Gall. Rege, An. 1312. *Andegavenſis*, fundata à *Ludovico II.* Duce Andium, An. 1396. *Avenionenſis*, fundata An. 1390.

In *Italia*: *Bononienſis*, fundata à *Theodoſio II.* Anno 447. Ex cujus reſcripto appellata eſt *fons omnium ſcientiarum*, vulgo, *mater ſtudiorum. Ticienſis*, fundata à *Carolo M.* An. 794. *Patavina*, fundata à *Carolo M.* An. 791. quę poſtmodum privilegia accepit ab *Vrbano IV. Clemente VI. Eugen. IV. Vrbano V. Peruſina*, fund. An. 1290.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Piſana, fundata 1339. inſtaurata ſub *Laurent Medice.* Anno 1487, *Senenſis*, fundata 1330.

In *Anglia* : *Cantabrigienſis*, fundata à *Luc Rege* An. 170. amplificata à *Sigeberto Pio R.* An 630. & *Oxonienſis*, fundata ab *Alphredo* Ang Rege Anno 875.

In *Scotia* : *Sanct-Andreana*, fund. à *Iacobo I.* e carcere Anglicano reverſo. An. 1411.

In *Hiſpania* : *Conimbricenſis* fundat. à *Dionyſi VI.* Rege Portugal. An. 1279. *Toletana*, fundat. à *Franciſco Alvaro*, An. 1518. *Hiſpalenſis*, fundata An. 990. *Granatenſis*, fundata An. 1518. *Complutenſis*, fundata An. 1515. *Salmanticenſis*, fundata An. 1404.

In *Daniâ*, *Hafnienſis* : fundata à Rege *Frider.* Anno 1539.

In *Sueciâ*, *Vpſalienſis* : claruit An. 1540. ſub *Iacobo Ziglero* & *Olao M.*

In *Bohemiâ Pragenſis*: fundata à *Carolo IV.* Anno 1360. in qua ante motus *Huſiticos* erant ſtudioſorum exterorum 40. Millia.

In *Poloniâ*, *Cracovienſis* : fund. à *Caſimiro II.* Rege: Anno 1364.

CAPUT XXI.

DE JURE SEPULTURÆ.

THESIS I.

HActenus *ſacræ*, ſequuntur *religioſæ*. quarũ nomine venit *jus ſepulturæ*: circa quod quæritur (1.) *An mortui ſint ſepeliendi?* (2) *Quinã ſint ſepeliendi?* (3.) *Quæ cum iis ſepelienda?* (4.) *Quomodo ſint ſepeliendi?* (5.) *Quo loco?* (6.) *In ſepulchrorum violatores, quid ſit ſtatuendum?*

THES. II.

Honore ſepulturæ omnino afficiẽdi ſũt mortui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Rationes ponuntur:

1. *A communi gentium conſenſu*: Pauciſſimis enim extremè Barbaris Exceptis, gentes omnes ſepeliunt ſuos mortuos. Arguit hic conſenſus facti rationem prægnantem: poſt cruenta prælia olim prima fuit cura de ſepeliendis cæſis, quos utraque pars repetiit, ut patet ex *Herodoto* & *Thucydide*: *Parthorum* ea fuit immanitas, Vt mortuos ſuos avibus & canibus dilaniandos objecerint. Hodiè adhuc in *India Occidentali* populi nonnulli efferati ipſi devorant ſuos mortuos, quos tamen plerunque trucidant, ne morte expirent naturali minuſque delicatas ſuperſtitibus epulas præbeant. Vnde barbara fuit *Theodori* Philoſophi aſſertio, dicentis, *nihil intereſſe, ſupra terram an infra terram putreſcat*: Barbara quoque *Diogenis* ſanctio, qui inhumatum ſe abjici juſſit, baculo ſaltem appoſito.

(2.) Quia corpus hominis divini ſpiritus habitaculum fuit, ad imaginem quoque Dei certo reſpectu conditum: unde ſepulturæ honore planè dignum eſt. Et in maximum nobiliſſimæ creaturæ contemtum cedit ſepulturæ negatio. Imo in ipſum conditorem redundat contumelia.

(3.) Quia non ſepulta cadavera putredine & fœtore ſuo vivos lædunt & offendunt graviter.

Thes. III.

Sepeliendi honeſtè omnes mortui, quos leges non excipiunt: Excipiunt *uſurarios manifeſtos, fures & latrones, Iudæos* & *excommunicatos*: qui vel planè non ſepeliuntur, vel abſque ullo honeſto ritu defodiuntur: quam *caninam & aſininam* ſepulturam vocant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Cum mortuis in tumulum pretioſa inferri no[n] debent ſive *ornamenta* ſive *pecunia*. l. At ſi quis 14. §. non autem oportet. ff. de Relig.

EXPLICATIO.

Pulchra ſunt hanc in rem *Caßiodôri* verba: *Ædificia tegant cineres : Columnæ vel marmora ornent ſepulchra : Talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. Culpæ genus eſt inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium.* Et *Ambroſius: Quid proficit ſepulchrorum ſuperbia? Damna ſunt potius viventium, quàm ſubſidia mortuorum.* Mos igitur improbandus populorum *Orientalium*, qui ingentibus theſauris mortuos onerarunt.

THES. V.

Mortuorum adornanda funera & ſepeliendæ exuviæ ſine ambitione & impenſis nimiis.

EXPLICATIO.

Ratio eſt; Quia nulli bono vel uſui funerum ambitio: quam mortui non ſentiunt, & vivi plerunque non abſque moleſtia & damno ſentiunt. *Mitto ſupervacaneos honores*, inquit *Horatius*. Quo & illud *Senecæ* pertinet: *Minus moleſtiarum habet funus tacitum.*

THES. VI.

Locus ſepulturæ deſignandus extra civitatem, l.3.§.5.ff. *de ſepulchrorum violatoribus*. Hodie tamen etiam intra urbes imò in ipſis quoque ſacris ædibus ſepeliri ſolent multi ex honoratioribus.

EXPLICATIO.

Cur extra urbes ſepeliendi ſint mortui. *Rationes* ſunt.

(1.) Quia alia vivorum, alia mortuorum debet eſſe manſio.

(2.) Quia

(2.) Quia exhalationes è ſepulchris & putridis cadaveribus aſcendentes noxiæ vivis ſunt, & morbos excitant contagioſos: quorum ab hominum conſortio materies removenda. Vnde Lex XII. Tabularum: *Mortuum hominem in urbe ne ſepelito.*

Thes. VII.

Sepulchrorum *violatores* infamia notant leges, imò & capite quandoque plecti ſolent.

Explicatio.

Vituperandi etiam, qui ſola ducti curioſitate ſepulchra aperiunt, & mortuos inquietant. Hos inter *Cambyſes* fuit, qui ut mortuos inſpiceret, vetuſta recluſit ſepulchra: Ita *Xerxes Beli* monimentum aperuit, *Darius Semiramidis*, *Alexander Cyri. Cicero Archimedis*, *Otto III. Caroli Magni*, *Carolus V. Rudolphi I.* & ſucceſſorum.

Capvt XXII.

De Rebus Sanctis,

Hoc eſt, pace religionis, de pace publica, de Banno ſeu proſcriptione Imperii: Et de publicis, hoc eſt, Fluminibus.

Thesis. I.

Hactenus res religioſæ: Sequuntur *Sanctæ*, quarum nomine veniunt *ſanctiones publicæ* illuſtriores in Imperio Romano receptæ, quæ tres potiſſimum ſunt. (1.) *De pace Religionis.* (2.) *De pace publicâ.* (3.) *De Banno* ſeu proſcriptione Imperii.

Thes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. II.

Pax religionis eſt ſanctio ſolennis in Comitiis *Auguſtanis* juſſu *Caroli* V. à *Ferdinando* Rege & ſtatibus Imperii Anno 1555. habitis facta, & à *Maximiliano* Cæſare anno 1566. confirmata, quâ præter *pontificiam Religionem* etiam *Auguſtana confeſſio* in Imperio Romano ita fuit recepta, ut, qui addicti ei tum temporis Principes & ſtatus Imperii cum ſubditis erant, omnesq; eorum ſucceſſores eidem ſe addicturi, ſub clypeo & clientela Imperii Romani, non minus eſſent tuti, quàm *Pontificii*, neque minus ſuis gauderent privilegiis, dignitatibus, jure epiſcopali & reditibus quàm *Pontificii*, nullo modo turbandi, aut ad *Pontificiam* religionem ritusvè adigendi: Inſuperque bona eccleſiaſtica *ante tranſactionem Paſſavienſem* ab Eccleſiâ *Romanâ* alienata, & in alios ſacros uſus converſa, quieti, nemine contradicente, poſſiderent, ita ut *Pontificiis* ea repetere ſub ullo prætextu deinceps nefas eſſet.

EXPLICATIO.

I. Neceſſitatem *pacis religioſæ* ineundæ & in Imperio Romano ſanciendæ attulit *reformatio* Anno 1517. à *Luthero* cæpta, & ſequentibus annis in Imperio *Romano* continuata. Publicè enim contra *Romanæ & Pontificiæ* Eccleſiæ errores concionari, diſputare & ſcribere poſtquam *Lutherus* in Saxoniâ cœpit, eique plures in Imperio Principes & Reipublicæ acceſſerunt, illicò frendere *Pontificii*, & excommunicationis fulmina in *Lutherum* ejuſque aſſeclas vibrare *Romanus Pontifex*, idemque Imperatorem *Romanum* ad ſacri belli ſocietatem & *reformatæ religionis* excidium ſtimulare. Ab hoc cum aſſenſum facilè impetraſſet, in reformatæ religionis dogmata,

juſſu

juſſu Imperatoris, inquiſitum eſt, ut vel diſputationibus vel armis confeſſores eorum oppreſſi tandem ſublato omni diſſidio, ad Pontificiæ eccleſiæ gremium redire cogerentur.

Primum igitur *confeßio proteſtantium* à *Philippo Melanthone* ſcripto comprehenſa *Auguſtæ Vindelicorum*, eorundemque nomine *Carolo V.* in Comitiis *Auguſtanis* exhibita, anno 1530. & in conſeſſu procerum publicè prælecta.

Manſit tamen in ſuſpenſo pax uſq; ad annum 1532. quo eam à Cæſare *Albertus Moguntinus* & *Ludovicus Palatinus* impetrarunt; uſque ad generale, liberum & Chriſtianum concilium, quo omne in Religione diſſidium componeretur. Secutum indè *Concilium Tridentinum*, anno 1546. quod cum à *proteſtantibus* non admitteretur, quia liberum & Chriſtianum non erat, pax religioſa nutare iterum cœpit, donec anno 1552. in *tranſactione Paſſavienſi* omnibus *Auguſtanam Confeßionem* amplectentib. de novo promiſſa pax eſt, quæ ſecunda fuit, & tribus annis poſt, nempè 1555. in Comitiis *Auguſtanis*, nomine *Caroli V.* à *Ferdinando I. Caroli* fratre convocatis & celebratis, ſolenni decreto ſancita & roborata eſt. Quam poſtmodum *Maximilianus II. Ferdinandi* filius, anno 1566. confirmavit: quod etiamnum *religioſæ pacis* fundamentum eſt: etſi convellere id quidam ad turbas & ſeditiones nati homines ſummopere laborant.

II. An pacis religioſæ clypeus etiam *Reformatas*, quas ita vocant, Eccleſias tueatur & protegat, in quæſtione eſt; Negant *Pontificii* & ex *Lutheranis* Theologis plerique; Affirmant Reformati.

Adverſarii pro negativa ſua allegant.

(1.) Varia præjudicia.

(2.) Diſſenſionem & diſceſſionem ab *Auguſtana Confeßione.*

Refor-

Reformati & *Orthodoxi* affirmativæ ſuæ itidem duo habent fundamenta.

1. Qui doctrinam profitentur *confeſſioni Auguſtanæ* in dogmaticis conformem. Senſum verò Auguſtanæ confeſſionis ex *formula concordiæ*, quam ne *Lutherani* quidem omnes approbarunt, ſed ex *Scripturâ* depromendum judicant. *Quod* æquiſſimum eſſe poſtulatum negare non poſſunt, qui ſummum controverſiarum de fide exortarum judicem agnoſcunt Spiritum Sanctum in Scripturis loquentem. Qui diſſenſum doctrinæ noſtræ ab *Auguſt. Confeſſ.* vulgò exaggerant & exagitant, vel *Auguſtanam Confeſſionem* non ex Scripturâ, ſed ex hypotheſibus & præjudiciis malè interpretantur, vel per falſiſſimas conſequentias abſurda nobis dogmata impingunt, vel denique à noſtris benè aut ambiguè dicta in peſſimam partem accipiunt. In hæc tria principia Adverſariorum contradictiones reſoluuntur: quicquid tandem obloquantur & ſcribant.

2. Quia per ſententiam publicam, poſt cauſam legitimè cognitam, nondum huc uſque à pace religioſa ſunt excluſi: imò verò à præcipuis ſtatibus Lutheranis pro A. C. ſociis jam olim ſunt habiti; quòd à noſtris ſæpè ad oculum eſt demonſtratum, & ſuperiori quoque 1636. anno à. *D. Iohann. Crocio.* Memorabilia ſunt acta magni conventus *Naumburgenſis* An. 1561.

THES. III.

Pax publica eſt ſanctio ſolennis Imperatoria & ordinum Imperii, quâ publicæ ſecuritati adverſus improbos pacis violatores conſulitur, & ſub capitis pœna prohibetur. (1.) *Ne quis ex quacunq; causâ ad offenſionem alterius delectum militum agat & bellum moveat.* (2.) *Ne alterum dolosâ & atroci violentiâ poſſeſſione deiiciat & ſpoliet.* (3.) *Ne bellum alteri & extremas inimicitias denunciet.*

(4.) Ne

4.) Ne hoſtibus Imperii Romani Loricas, Scuta, Arcus & alia arma vendat. (5.) Ne ad æmulationem alterius ædificet, & ad denunciationem deſiſtere recuſet. (6. Ne juriſdictionem Cæſaream contumaciter negligat. (7.) Ne ſubditos alterius ad rebellionem incitet. (8.) Ne proſcriptos Imperii receptet.

EXPLICATIO.

I. Neceſſitatem pacis hujus ſanciendæ attulit Imperio *Romano* publicæ ſalutis conſervandæ ratio, quæ ſine ſecuritate obtineri nullo modo poteſt. Vbi enim adverſus vim publicam remedia & præſidia nulla ſunt, ibi ſocietatem humanam & publicam convelli & everti neceſſe eſt. Et in Imperio quidem *Romano* cum hæc *ataxia* jam olim invaluiſſet, ſevera legi ei maturè occurrendum cum ſtatibus Imperii Imperator judicavit: *Vt hâc ratione tuta eſſet inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænaretur nocendi facultas.*

Lex hæc ſancita olim *VVormatiæ*, anno 1495. quæ confirmata eſt *Auguſtæ*, anno 1500. *VVormatiæ*, anno 1521. *Norinbergæ*, anno 1522. *Auguſtæ*, anno 1548. 1551. 1555. *Ratisbonæ*, anno 1557. *Auguſtæ*, anno 1559. 1566. *Spiræ*, anno 1570. & *Ratisbonæ*, anno 1576. *Germanicè* appellatur Landfried.

II. Conſtitutio Imperii de *pace publicâ profanâ* violatur *omittendo & committendo: omittendo* violant, qui jus *Pacis publicæ* in uno vel pluribus articulis negligunt, qui non parent, vel negligéter parent, qui vim publicam patientibus & auxilium inclamantibus opem non ferunt & publicos graſſatores non repellunt, ſed connivent.

Committendo violant, qui (1.) per ſe vel per alium, ſub quocunque prætextu, aliquem armis oppugnant, ſpoliant, capiunt, obſident, adverſus alterum conſpirant, fœdus ineunt, ex poſſeſ-

ſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſione dejiciunt, incendio damnum inferunt, c. (2.) Qui *pacis publicæ* violatoribus auxilium runt vel commeatum præſtant. (3.) Qui vic tores receptant. (4.) Qui bona & poſſeſſio ſuas in fraudem conſtitutionis hujus aliena. (5.) Qui poſſeſſiones violatorum & proſcrip rum occupant, eorumque tuitionem ſuſcipiu (6.) Qui violatores *pacis publicæ* in comm nionem & jus caſtri communis & indiviſi re piunt. (7.) Qui ſubditos alienos & à Domi ſuis ac Magiſtratu profugos receptant. (8.) Q alteri vim publicam minantur. (9.) Qui alique armatâ manu, *contra pacem publ.* capiunt, in vi cula cojiciunt & contra Imperii conſtitutione vinculis prius non liberant, quàm jurato pr miſerit carcerem non vindicare. (10.) Qui co tra conſtitutionem ſaltem conantur aliquid, et conatum non perficiant. (11.) Qui aliquid mo liuntur, quod ad arma & ſeditionem in Imperi tendat. (12.) Non tantum qui bellum denun ciant, ſed & qui *literas diffidationis* alterius no mine ſcribunt *Matth. Stephan.* lib. 2. p. 1. cap. 3 numero 88. & ſeqq.

THES. IV.

Bannus ſeu proſcriptio Imperii eſt pœna, quâ violatoribus pacis publicæ aqua & igne interdicitur, ita, ut à nemine in fidem & clientelam recipi, ab omnibus verò impunè tàm in perſonâ, quàm in rebus offendi poſſint.

EXPLICATIO.

I. *Banni* conſiderandum (1.) *Etymon* (2.) *Efficiens* (3.) *Materia* (4.) *Forma* (5.) *Effectus.*

Etymon quod attinet, nonnulli deducunt à *Vandalico* Banner/quod eſt vexillum: Alii à *Germanico* Baan / quod & publicam viam & judicium criminale ſignificat. Vnde *Banniti* erunt,

qui-

ribus publicarum viarum uſus eſt interdictus, el qui judicio criminali ſunt obnoxii. *Germanicè* vocantur Echter / quæ Græcæ originis vox onnullis videtur, ab ἐχθρός, hoſtis.

II. *Efficiens* Banni eſt ſolus Cæſar & Camera nperialis, quæ Cæſarem & omnes Imperii ordines repræſentat: Ratio patebit ex conſideratione *materiæ*, in quam ſolus Imperator & Camera jus abent.

III. *Materia* ſunt omnes Romano Imperio ubjecti ordines, tàm *ſeculares*, quàm *Eccleſiaſtici*: qui ratione dignitatis, Regalium & feudorum mperialium immediatè Cæſari & Imperio ſunt ubjecti.

IV. *Forma* conſiſtit in pronunciatione & publicatione ſententiæ, quâ à pace publicâ tanquam violatores ejus *Banniti* eximuntur, omnibus ſuis dignitatibus, regalibus & feudis privantur, omnibuſque ita permittuntur, ut vitæ neciſque jus quivis in ipſos habeat. Formula *Germanica* ferè hujuſmodi eſt:

Nach dem Beklagter dem Landtfrieden in denen oder jenen Vrſachen zuwider gehandelt: So denunciren vnd erklären wir denſelben als offenbahren Aechter/ in der Käyſerlichen Majeſtät vnd des Heyl. Reichs Acht: Setzen jhn auß dem Frieden in den Vnfrieden/vnd erlauben ſeinen Leib/ Haab vnd Güter allermänniglich.

Habent tamen hoc peculiare perſonæ *eccleſiaſticæ*, quòd bannitæ per ſententiam publicam Imperatoris & Imperii non amittant niſi regalia & privilegia Imperii *ſecularia*, ſalvis interim manentibus perſonis, in quas nullam juriſdictionem uſurpant Imperatores, unde & vitæ neciſque jus nemini concedunt, quia ad eccleſiaſticum *Pontificiu* forum hoc pertinere creditur. Eadem ferè & feminarum bannitarum eſt ratio: quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

quia non privantur, niſi beneficiis, favoribus privilegiis juris communis & municipalis.

Effectus eſt executio, quâ immittitur actor bona *Banniti*, omneſque obligationes, pacta & actiones bannitorum fiunt irritæ: Daß alle Verſchreibungen / Pflücht vnd Bündnuß jhnen zuſtehende / vnd darauff ſie Sprüch vnd Forderung haben möchten / gegen die jenige / die jhnen verhafft wehren / ab vnd todt ſeyn ſollen. Diſtincta *Banni* effecta numerari ſolent quinque:

(1.) In *Bannum* declarato interdictum eſt aquâ igni, quem qui ſciens ſuâ domo vel aulâ receperit, tanquam reus criminis ejuſdem accuſari poteſt.

(2.) *Bannitus* in ſummo vitæ fortunarumq; periculo ita cõſtituitur, ut ab omnibus tàm in perſonâ, quàm in rebus & bonis ſuis offẽdi poſſit.

(3.) *Bannitus* amittit feuda, quæ ad Dominũ directum, ſive nova, ſive antiqua ſint, revertuntur.

(4.) *Bannitus* infamis redditur.

(5.) Omnes obligationes, juramenta, pacta, omniaque jura ex parte *Bannitorum* caſſa, irrita & nulla fiunt: *Matth. Steph.* de Iurisdict. libr. 2. par. 1. c. 3. n. 108. 109. & ſeqq.

Olim apud *Suevos* & *Francos* alia fuit pœna in publicæ pacis turbatores conſtituta: Cogebantur enim *canem* humeris impoſitum portare per paſſus mille, multis ſpectantibus, quâ pœnâ affecit *Fidericus. I. Henricum Palatinum*, alioſque 10. *Germaniæ* comites, *Conrad. Ritterhuſ.* in oratione de *Friderico* I.

THES. V.

Fuerunt res ſanctæ: Sequuntur *publicæ*, inter quas flumina, quæ potiſſimum ſunt conſiderationis politicæ. Eſt autem *flumen* perennis aquarum decurſus: Cujus conſideranda (1.) *Diſtinctio* (2.) *Vſus*, (3.) *Proprietas*, (4.) *Iurisdictio*.

THES.

THES. IV.

lumen eſt *publicum* vel *privatum*, illud omnium patet uſibus, & jure cenſetur regalium: hoc in privatorum fluit prædiis, eſtque totum privati uſus.

EXPLICATIO.

I. *E flumine publico & navigabili aquam ducere non licet*: quia per aquarum derivationes minuitur fluminis aqua, & ſic publico, hoc eſt, navigationi, quæ neceſſaria Reipubl. nocetur: ſi vero flumen per ſe non ſit navigabile, aquarum ex iis deductio prohibita non eſt. De poteſtate ædificandi in publico flumine, vide inter alios Daniel. Ottonem de Iure publ. cap. 11.

II. *In privato flumine nemo quicquam moliri poteſt invito Domino*, quia nihil differt ab aliis locis privatis, quæ aliorum uſibus non patent.

THES. VII.

Vſus fluminũ publicorum communis omnium eſt: *proprietas* publica populi: *Iurisdictio* principis eſt, qui delicta in flumine commiſſa ulciſcitur.

EXPLICATIO.

Monent politici cavendum eſſe Magiſtratui, ne quis flumina præſertim magna à naturali ſuo curſu abducere & alio derivare tentet.

Ratio eſt; Quia ejuſmodi conatus ferè ſemper infeliciter ceſſerunt. Sic *Necus Ægyptii Rex* cum *Nilum* in mare rubrum ducere conaretur, in medio opere hominum ſuorum amiſit duodecim millia. *Demetrius*, *Cæſar*, *Caligula & Nero* Iſthmum perfodere fruſtrà tentarunt. *Seleucus Nicanor Boſphorum Cimmerium* cum mari *Caſpio* juncturus à *Ptolomæo* jugulatus eſt, priuſquam operi manum admoviſſet. Fruſtra conati, *Trajanus Euphratem* in *Tygrim* derivare, *Carolus Magnus Danubium & Rhenum* conjungere; *Carolus IV. Moldaviam* & *Danubium*.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XXIII.

DE COLONIIS, ARMI
Arcibus & Propugnaculis.

THESIS I.

H*Actenus munimenta gubernationis Polit cæ domi recepta, & Reipubl. conſervanc ſervientia :* Sequuntur ea, quæ ſerviui eidem augendæ, & conſiſtunt in acceſſione (1 *Hominum*, (2.) *Armorum* (3.) *Arcium* (4 *Propugnaculorum* (5.) *Opum* (6.) *Conſiliorum*.

THES. II.

Acceſſio *hominum* fit per *Colonias* : Eſt auten *Colonia* deductio civium ex aliqua civitate popu loſa in locum alium,ut & civitas levetur,& ex e: veluti matre prodeant aliæ tanquàm filiæ : qua: *Colonias* appellare Latini ſolent.

EXPLICATIO.

I, Duo ſunt præcipui *Coloniarum* deducendarum fines.

(1.) *Ne nimiâ multitudine civium obruatur civitas.* Eſt enim nimia multitudo *periculoſa* civitati & *gravis*. *Periculoſa* quidē, quia ſeditionibus maximè obnoxia eſt : Vnde *Livius* ait, inſtitutam eſſe *Coloniarum* deductionem ad frangendum plebis impetum : Et ex hiſtoricis *Lipſius* : *Populo alicui diffidis? premere eum vis? Colonias tibi ſuggero. Gravis* verò, quia rerum omnium inducit caritatem.

(2.) *Vt vires Reipubl. augeantur acceſſione novarum urbium & civium.* Siquidem *Coloni* cives & ſubditi manent ejus Reipubl. ex qua prodierunt & deducti ſunt.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Hinc *Coloniæ Romanorum* olim, quę numerantur centum ſexaginta tres, non ſui erant arbitrii, ſed jura & inſtitūta omnia habebant à *Populo Romano*. Vnde coloniæ *ſervitutis ſedes* æſtimantur *Lipſio*, nō niſi in externos uſurpandę: quia *non aſſuetæ frenis ſervitutis tumidæ gentiū inflatæq́ʒ cervices facile aliàs ab impoſito jugo reſiliunt*. Florus.

II. Obſervanda heîc differentia *municipiorum & coloniarum*. *Municipia* erant civitates à populo *Romano* in ſocietates munerum & honorum receptæ, ſuo interim utentes jure.

Coloniæ verò civitates erant à *Romanis* quaſi conditæ, & ad jura atque inſtituta Pop. Rom. adſtrictæ: Harum cives *coloni:* Illorum *municipes* dicebantur, à muneribus capiendis ita appellati.

Thes. III.

Arma Reipublicæ ſunt neceſſaria ad tuitionem vitæ, libertatis & facultatum adverſus hoſtes externos & domeſticos: Nec non ad incrementum in proferendis imperii limitibus.

Explicatio.

Non carere *armis* poteſt Reſpubl. ; quia ſine iis civium nec vitam, nec libertatem, nec fortunas defendere adverſus hoſtes poteſt, qui nunquam ſive domi, ſive foris deſunt. Vnde *Hiſpanis* olim arma ſanguine cariora erant, neque ullam credebant vitam eſſe ſine armis. Hanc igitur in rem præter publica armamentaria etiam privata ſua arma habere ſinguli cives debent ad repellendos impetus repentinos.

Thes. IV.

Arces opportunis locis in regno vel provinciâ extructæ neceſſariæ ſunt principi, non tantùm qui ſuos magis quàm externos, ſed & qui externos magis quàm ſuos timet: Per has, tanquam Aſyla, adverſus vim ſe & ſubditos ſuos facilè tueri princeps poteſt.

Expli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Circa arces tria potiſſimum ſunt obſervand:
(1.) *Vt loco commodo exſtruantur : maxime v in principatus aut regni meditullio* : ut inco omnibus urgente neceſſitate tantò facilior eas aditus pateat. Si loco exſtrui vel *montoſo ſaxoſo* vel *paluſtri* poſſint, ut facilè nec ſuffo nec impeti ab hoſtibus queant, tantò plus pr ſtant incolis provinciæ ſecuritatis. Hodiè provinciis *Hiſpanicis* & *Italicis* in pleriſque u bibus populoſioribus & munitioribus, vel ju ta eas, validæ ſolent exſtrui arces, non tàm a hoſtes repellendos, quàm ad cives in fide obſequio retinendos. De quo ſeculi noſtri m re ita judicat *Lipſius* : *Arces non tàm firm compedes, quàm cenſentur : ad exiguum motu validæ : fragiles, ut ipſi vidimus, ad commu nem & magnum. In finibus tamen ut contra ho ſtem, haud valde eas ſpernam : in mediterrane & contra cives, valdè.*
(2.) *Vt ſufficienti præſidio muniantur* : etſi propter anguſtiam non adeò magnum & numeroſum requiritur. Arci *Babyloniæ* ſeptingentorum præſidium impoſuit *Alexander*. *Suſarum* arci mille.
(3.) *Ne totius regni vel principatus vires temerè uni committantur arci, quâ expugnatâ vel occupatâ totus periclitetur ſtatus* : Quod *Dario* accidit, qui ingentes opes *Arbella* congeſſerat, quæ omnes deindè ad *Alexandrum* ſunt devolutæ, ad quatuor millia talentorum.

THES. V.

Propugnacula civitatum inter munimenta Reipubl. quoque numeranda, quibus rectè conſtitutis & conſervari & augeri poteſt Reſpubl.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

I. Quæritur: *utrum propugnacula civitatum*, Veſtungen/*ex uſu Reipubl. ſint?*

Machiavellus negativam tuetur ſequentibus argumentis:

(1.) *Quia ignaviæ occaſionem præbent, & cives iis confidentes in torpore & mollitie detinent.*

(2.) *Quia ſecuros reddunt cives, hoſtiumque contemtores.*

(3.) *Quia ingenti ſumtu pacis belliq; tempore ſunt fovenda: unde ærarium Reipubl. exhauritur.*

(4.) *Quia non ſatis tuta ab inſultibus hoſtium, hoc præſertim tempore, quo nihil inexpugnabile, per cuniculos & tormenta bellica.*

(5.) *Quia ad defectionem & rebellionem invitant ſubditos.*

(6.) *Quia ad exercendam tyrannidem Principes inſtigant: qui propugnaculis ſuis nixi levi de causâ quoſvis offendunt.*

(7.) *Quia hoſtes invitant ad diuturnas obſidiones, quæ infinita ſecum trahunt incommoda.*

(8.) *Quia cives ad ferendam obſidionem reddunt obſtinatiores, & ſæpè in extremas calamitates præcipitant.*

(9.) *Quia hoſtes iis ſemel potiti difficulter poſſunt ejici: Vnde diutius quoque in viſceribus provinciæ hærent.*

(10.) *Quia occaſione eorum cives militiæ aſſueſcunt, adeoque in pace etiam ſua uti fruique pace prohibentur.*

In hanc Machiavelli ſententiam *Ageſilaus* olim cuidam validos oppidi muros oſtendenti, &c, *an pulchri viderentur*, roganti, reſpondit: *pulchri per Iovem, ſed in quibus mulieres habitent, non viri.* Et *Lycurgus* interrogatus, *cur Sparta expugnari non poſſet!* Reſpondit: *Quia non lateribus, ſed*

 viris

viris cincta eſt. Et *Phantoides* legatus in *Aſian* miſſus oſtendentibus murum benè munitum dixit: *Per DEOS, ô hoſpites, quàm bellum eſ hoc conclave mulierum!*

II. Contra vero ſalutaria eſſe propugnacula Civitatum, plerique alii ſtatuunt politici: Idque ob ſequentes rationes:

(1.) Quia urbes ſine propugnaculis omnium patent latrociniis & hoſtium injuriis.

(2.) Quia naturâ toti animantium generi eſt inditum, ut ſuæ conſulat ſecuritati, per loca tutiora & inacceſſa: Vnde quadrupedes in ſua luſtra confugiunt, & aves in præruptis & inacceſſis locis nidificant. Quantò igitur magis in hanc curam incumbendum eſt homini.

(3.) Quia cincti propugnaculis cives & fortiter hoſtem poſſint repellere, & in pace atque otio tutò degere.

(4.) Quia ornatui & magnificentiæ civitatum ſerviunt.

(5.) Quia per propugnacula ſanguini civium poteſt parci. Stultum enim objectu corporum humanorum efficere, quod lateribus & calce effici poteſt.

(6.) Quia etiam pii *Iudææ* Reges propugnacula exſtruxerunt, ut *Aſſa*, 2.Chron. 14. v.6. *Ioſaphat*, 2.Chron.17. v.2. *Ezechias*, 2.Chron.32. verſ. 5. & alii.

III. Poſteriorem hanc ſententiam probamus, adhibitâ tamen diſtinctione: *Si eæ ſint civitatum & provinciarum vires atque facultates, ut omnia ad defenſionem propugnaculi neceſſaria ſine magno ſuo incommodo poßint procurare.* Hâc poſita conditione non adeò magni ſunt momenti rationes *Machiavelli*: quia iiſdem penè rationibus excuti è civiũ & ſubditorũ manibus poſſunt omnia arma & legitimæ adverſus vim defenſionis media.

Addunt

Addunt & hoc nonnulli, urbibus liberis inutiles eſſe arces, ſed omnem ſumptum, qui arci ſeorſim impendendus, mœnibus, foſſis, propugnaculis eſſe dandum: arces in liberis urbibus ſeditioſi cives facile occupant & hoſti tradunt. Pacis tempore cuſtodiendæ ſunt: bello autem flagrante miſerum civibus eſt ſolatium, relictis ædibus, in arcem confugere, quam diu tueri non poſſunt. Contra vero urbibus non liberis & populoſis, provinciiſque bello ſubactis plane neceſſarias eſſe arces, ut in officio & obſequio contineantur jam ante diximus. Vel millies Hiſpani *Occidentales Indias*, Luſitani *Orientales* amiſiſſent, ſi abſque arcibus fuiſſent.

CAPUT XXIV.

DE OPUM USU ET ACQUIſitione: ubi de Fiſco, Tributis, collectis & vectigalibus.

Thesis I.

HActenus munimenta, quæ ſerviunt augendæ Reipubl. & conſiſtunt in acceſſione hominum, armorum, arcium & propugnaculorum: Sequitur *acceſſio opum*; quarum conſideratur (1.) *Vſus*, (2.) *Acquiſitio*, (3.) *Poſſeſſio*.

Thes. II.

Vſus opum in augendâ Republicâ tantus eſt, ut imperii *nervi* appellentur haud immeritò: modò non nimium iis inhietur.

Explicatio.

I. *Nervi* Reipublicæ appellantur opes: quia ut moveri corpora noſtra, ſuiſque fungi muneribus abſque nervis non poſſunt: Ita ſine opibus & pe-

& pecuniâ vix quicquam Reſpublicæ poſſunt Non conſervari, non augeri abſque iis: ſiquiden pleraque omnia alia præſidia, quibus opus ha bent cives, pecuniâ vel opibus parantur: quibus omnia ſunt pervia, ſecundùm illud *Horatii*:

Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo.

Spectat huc priſcum illud: Ἀργυρέαις λόγχαισ μάχου, ϗ πάντα κρατήσεις, hoc eſt: Argenteis ha ſtis pugna & vinces omnia. Quam neceſſaria ſint Principi opes, multis oſtendit *Adam. Contzen* Polit. lib. 8. cap. 5. *Cùm pecuniæ*, inquit, *obediant omnia, certum eſt nihil eſſe, quod non obediat, exceptâ virtute; omnia, inquam, pecuniæ obediunt, etiam pecunia accepta, illi, quæ ſperatur; præcedens ſecuturæ: Omnia obediunt, etiam arma hoſtilia, etiam pecunia hoſtilis ærarii, ſi major à te ſperetur: Hinc pecuniâ multi ſunt principatum aſſecuti.* Et genus & regnum regina pecunia donat.

II. *Non nimis inhiandum opibus & pecuniæ:*

(1.) Quia *nimio ſtudio paratæ divitiæ non finis miſeriarum ſunt, ſed principium.* Seneca.

(2.) Quia ubi nimium divitiarum parandarum ſtudium, ibi virtus hebeſcit, & innocentia pro malevolentia duci incipit: Vnde *Prudentius*:

Pudor per aurum ſolvitur:
Violatur auro integritas:
Pax occidit: Fides perit:
Leges & ipſæ intercidunt.

THES. III.

Acquiſitio opum eſt per delationem ad *fiſcum*, vel per *exactionem*.

THES. IV.

Delationis ad *fiſcum* conſiderandæ, 1.) *Cauſa*, (2.) *Perſonæ intermediæ*, (3.) *Eventus*.

EXPLI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Fiſcus ſignificat *ærarium* ſacrum ſeu publicum, in quo theſauri ſunt publici. Olim tamen *fiſcus* ab *ærario* diſtinctus erat: Ille Principis; hoc populi erat.

Thes. V.

Cauſæ quibus ad fiſcum deferuntur opes ſunt (1.) *Cauſa inteſtati* (2.) *Teſtamentum* (3.) *Delictum* (4.) *Indictio mulctæ* (5.) *Inventio theſauri.*

Explicatio.

Ex *cauſâ inteſtati* acquiritur fiſco, ſi quis ſine hærede deceſſerit: tùm verò demum in vacantia bona ſucccedit *fiſcus*, ſi hæc illi intra quadriennium vindicata fuerint.

Ex *teſtamento* ſuccedit fiſcus, ſi hæres hæreditate ſit indignus, & ſi capere non poſſit, quod à defuncto ipſi relictum eſt.

Ex *delicto* acquirit fiſcus *vel omiſsionis*: ut, ſi vectigal ſolutum non ſit, ſi non vindicata defuncti mors: Ita ſi maritus mortem uxoris per injuriam cæſæ neglexerit vindicare, dotem perdit, eaque fiſco acquiritur. Vel *commiſſionis*: ſi criminis capitalis reus ſibi mortem conſciverit, ſi quis in fraudem civilium munerum bona ſua abalienarit: ſi quis rem litigioſam vendiderit.

Mulctæ quoque & *inventi theſauri* fiſco acquiruntur.

Hodie quoque, de jure antiquo, attamen contra jus novum, expulſa ad littus navis, vel naufragorum bona in maritimis nonnulllis civitatibus & principatibus acquiruntur *fiſco*, conſuetudine prorſus barbarâ.

Thes. VI.

Perſonæ fiſci cauſam agentes ſunt *advocati fiſci*, in quibus requiritur (1.) *Peritia juris* (2.) *Fidelitas & integritas*, ne occultent commoda fiſcalia, vel fiſci

fiſci nomine privatos calumniis vexent. Vnd immunitatem habent à muneribus aliis, & ſortiuntur dignitatem comitivam.

THES. VII.

Eventus delationis ad fiſcum ſpectat *delatorem*, vel ipſum *fiſcum*.

THES. VIII.

Delatori certa ſunt conſtituta præmia: nempe ſi alium deferat, tertia ejus, quod defert, pars: Si ſe ipſum, profitendo ſibi, quod capere non poſſit, relictum eſſe, dimidia ejus pars. Si tamen per errorem ſe ipſum detulerit, hoc illi non officit: Sin verò detulerit, & non obtinuerit, punitur.

THES. IX.

Ad *fiſcum* qui ſpectat eventus, privilegii nomine continetur, quod quintuplex potiſſimum eſt: (1.) *Fiſcus* habet jus pignoris in bonis ſui debitoris, & aliis creditoribus pręfertur. (2.) *Fiſco* agenti reus cogitur edere inſtrumenta. (3.) Contra *fiſcum* lata ſententia, intra triennium, etiam ſine appellatione, poteſt retractari. (4.) Qui à *fiſco* aliquid comparavit, ejus nomine ab alio conveniri non poteſt, ſed datur adverſum *fiſcum* intra quadriennium actio. (5.) *Fiſcus* evictionis nomine non in duplum, ſed in ſimplum tenetur.

THES. X.

Hactenus acquiſitio per delationem ad fiſcum: Sequitur acquiſitio per exactionem: (1.) *Tributorum*, (2.) *Collectarum*, (3.) *Vectigalium.*

EXPLICATIO.

Alias ratio augendi ærarii honeſta triplex conſtituitur: (1.) honeſta & oneroſa, per vectigalia & tributa, (2.) honeſta & non oneroſa ſubditis, per accuratam acceptorum & expenſorum rationem, (3.) honeſta & utilis ſubditis, per leges ſumptuarias, agriculturam, &c.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. XI.

Circa *tributa* quinque ſunt conſideranda: 1.) *Quinam exigant*, (2.) *A quibus*, 3.) *Quid & quantum*, 4. *Quomodo*, (5. *Quo eventu*.

THES. XII.

Tributi exigendi jus habet magiſtratus, iſque non quívis, ſed ſummus, vel abſolutè, vel certo reſpectu.

EXPLICATIO.

Neceſſaria eſt in Republ. *tributorum* exactio.

(1. *Quia tributa ſunt nervi Reipublicæ*. Nam *neq́ quies gentiũ ſine armis, neq́ arma ſine ſtipendiis, neq́ ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt*. Tacit.

(2.) Quia ut corpus ad extremam tabem venire neceſſe eſt, alimentis ventriculo denegatis: ita & Rempublicam, ſi tributa Magiſtratui negentur.

Durum quidem eſt *neceſſitatis telum*: attamen animorum plagas, quas infligit *tributorum exactio*, nonnihil mitigat: quando intelligunt ſubditi non poſſe conſervari Rempublicam ſine tributorum penſione. Vnde illud *Tullii præceptum: Da operam, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint*, Neceſſitati *eſſe parendum*.

Vt juſtum ſit tributum, tres requiruntur conditiones: *Poteſtas, cauſa, proportio*: *Poteſtas* eſt in principe vel magiſtratu ſummo: *Cauſa* eſt neceſſitas publica: *Proportio* eſt, ut tributum reſpondeat facultatibus.

THES. XIII.

Exigenda ſunt tributa non à *perſonis* ſed à *rebus*: Vnde non niſi harum nomine ſolvunt perſonæ.

EXPLICATIO.

Non debent tergiverſari ſubditi in pendendis *tributis*.

Quia *ſunt teſſera ſubjectionis Magiſtratui debita*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Qui igitur tributa negat, ſubjectionem nega[t]. Hinc ipſe *Chriſtus* pro ſe & *Petro* ſacrum ſolv[it] tributum. Cujus imitatæ exemplum Eccleſiæ, [et] ipſæ de ſuo contribuere tenentur, urgente nece[ſ]ſitate.

Laudabilis heîc olim fuit promtitudo *Britannorum*, de quibus *Tacitus*: *Delictum ac tributa &c injuncta imperii munera impigrè obire ſoliti ſunt ſi abeſſent injuriæ.*

THES. XIV.

Exigenda tributa *pro quantitate fortunarum* & facultatum, non è ſordidis rebus, non ex confictis cauſis, neque immodica.

EXPLICATIO.

I. Pro *quantitate facultatum* exigenda tributa: quia iniquiſſimum eſt, ſupra vires facultatum exigere: Vnde uti augeri poſſunt tributa, auctis facultatibus, ita & minui debent iiſdem minutis. Ad hanc obſervandam æquitatem inſtituenda *adæratio*, hoc eſt, æſtimatio patrimoniorum & poſſeſſionum, quas ii habent, à quibus tributa exiguntur: quam *peræquationem* nonnulli appellant, & æſtimatores, *peræquatores*. Nonnunquam etiam ad tempus penitus remittenda tributa in ſolatium miſeriæ. Vnde olim in tempus tributis levatæ urbes *Aſiæ* terræ motu afflictæ. *Tacitus*. Quod & in aliis factum regnis & provinciis. Sic *Romani* ſecundo bello Punico pecuniam mutuò à civibus ſumere maluerunt, quàm tributum extorquere. *Livius* lib. 36. Sic & *Marcus Antoninus* Philoſophus, Imperator, cum ærario exhauſto largitiones non haberet, quas militibus impenderet, tributum tamen provincialibus indicere noluit.

II. *E ſordidis rebus* non ſunt exigenda tributa: Hujuſmodi fuit *vectigal urinarium Veſpaſiani*, & hodie tributum *ex ſcortis*, quod *Pontifex*

Roma-

Romanus exigit. Ratio eſt: Quia Principis exactoris loquuntur vel ſordidam avaritiam, vel extremam indigentiam. Vtraque ignominioſa principi & Reipublic. Talia ſunt quoque *è confictis cauſis* tributa, quæ tyrannorum ſunt, novos ſubinde *ſinus* & *varia prædandi vocabula* exquirentiũ: *Tacitus. Iulii Cæſaris* temporibus, cujus modo rei nomen reperiri poterat, id ſatis ad cogendas pecunias videbatur: *Cæſar* libr 3. de bello civili.

III. *Immodica* tributa non ſunt exigenda: quia *principes multi pecuniis acerbè conquirendis plus invidiæ ſibi quam virium addiderunt: Tacitus. Plebs pacem exuit principum magis avaritiâ, quàm obſequii impatientia:* Tacitus. *Neque ullum vitium eſt tetrius avaritia, præſertim in principibus & Reipubl. gubernatoribus*; Cicero. *Boni principis eſt tondere, non deglubere pecus.* Vnde in hiſtoriis exoſi nomine immodicorum tributorum ſunt *Caligula, Heliogabalus* & interdum veteres quoque Romani, qui aliquando ex *agro paſcuo* quintam partem fructuum poſtularunt, ex *arvo* decimam: fuitque ærarium *ſpoliarium civium cruentarumque prædarum receptaculum*; Plinius. Occiſo *Iulio Cæſare* ſinguli cives viceſimam quintam omnium bonorum partem dependere juſſi ſunt. *Odi Hortulanum,* inquit apud Plutarchum Alexander, *qui ab radice olera exſcindit. Odi principẽ,* inquit alius, *qui pennas ita incidit, ut nequeant renaſci: Qui rem aufert cum pulviſculo,* Plaut.

THES. XV.

Modus exigendi tributa legitimus ab æquitate præſcribitur: Ne alii ſubleventur, alii premantur & pauperes divitibus æquentur. Vbi inprimis cavenda *violentia*, ne nimis rigidè & per vim extorqueantur tributa pauperibus: Et *impoſtura* in iis, quibus exactio demãdata: ne vel plus quã debent, vel idem bis exigant, & in ſuos uſus convertant.

EXPLICATIO.

I. Sublevantur pauperes ſubditi in penden, annuo tributo, ſi paulatim & per partes, qu cunque ex præſcripto debent, inferre ipſis p mittatur: De ſententiâ *Mæcenatis* ad *Auguſtu* apud *Dionem*, libr. 52. vide *Adam. Contzen*, P lit. lib. 8. cap. 7. n. 5.

II. Periculoſæ ſunt, & ad deſperationem ſu ditos adigunt nimis violentæ exactiones, qua do, pecuniâ deficiente, coguntur boves, mox gros, poſtremò corpora ſervitio addicere. *Tac tus*. Interim ea interdum ſunt tempora, ii hom num mores, ut ne à *vi* quidem omnino ſit abſt nendum. Vnde ad *Andrios* ſuper pecuniâ legatu *Themiſtocles* duobus Diis comitatum venire ſe di xit; *Suadâ* & *Violentiâ*. Plutarch.

III. Inprimis verò heîc coërcenda *miniſtro rum avaritia & crudelitas*, quæ tributa pauperi bus etiam per nefas extorta, veluti prædam, i ſuum conferre ſinum ſolet, & præter imperata pecunias privato ſuo compendio ſervire. Vnd fidiſſimis quibuſque mandanda hæc cura. Si verò deceptum ſe magiſtratus ſenſerit, *Spongias faciat* & exprimat poſtquam affatim biberunt: Æqu um enim eſt, ut, *quas habet pecunias, perdat, qui ereptum alienas ivit*: Plin. vide *Contzen*, lib. 8. c. 7. n. 9. 13.

THES. XVI.

Eventus Exactionis & exſolutionis tributorum, ſi immodica ſint, & præſertim à recens ſubactis rigidè exigantur, ſæpè *rebellio* & *defectio* ſolet eſſe.

EXPLICATIO.

I. Hinc monent Politici, *tutiſſimum eſſe in obſequio ſubditos retinendi remedium, moderatam tributorum indictionem*, præſertim in iis, qui recens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

[t]ens ſubacti ſunt, & imperio novo nondum aſſueti. Vnde inter initia, quandoque condonata legimus. Mitigat quoque ſubditos, *reſtricta* & *utilis* tributorum diſpenſatio, ſi videant principes ſobriè viventes, & nihil temerè effundentes: ſi publico ſervire bono videant ſudores ſuos non privato luxui, vel libidini. Digna Principe *Alexandri Romani* vox: *Nefas eſt ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas ſuorumque convertat id, quod Provinciales dederunt.*

II. Denique tributorum obſervetur diſtinctio, in *ordinaria* & *extraordinaria*: *Ordinaria* ſunt, quæ Magiſtratus à ſubditis ordinariè exigit, ſive ex immobilibus, ſive ex mobilibus bonis.

Extraordinariorum tres potiſſimum ſunt ſpecies.

(1.) *Iugatio*: quâ pro magnitudine, numero & qualitate agrorum & prædiorum ad publicas neceſſitates ſublevandas aliquid contribuitur.

(2.) *Capitatio*: quâ in ſingula ſubditorum capita, viros & fœminas conſtituitur certa pecuniæ ſumma certis temporibus pendenda.

(3.) *Hoſpitatio*: quâ ſubditi hoſpitium præbere gratuitum militibus coguntur. Hi modi extraordinarii jam ſatis ſunt noti & ferè in ordinarios abierunt.

Thes. XVII.

Hucuſque tributa: ſequuntur *collectæ*, quæ ſunt præter tributa ordinaria penſiones extraordinariæ à ſubditis exactæ ob neceſſitatem extraordinariam. Suntque *imperiales* vel *provinciales*.

Thes. XVIII.

Imperiales ſunt generales à ſolo Imperatore, vi ſupremæ jurisdictionis, impoſitæ omnibus Imperii ordinibus ob neceſſitatem publicam. Germanicè Reichsſtewer/ des H. Reichs Anlagen.

EXPLICATIO.

I. Cauſæ, ob quas *Collecta Imperiales* indicuntur ſunt:

(1.) *Si neceßitas urgeat reſiſtendi hoſti nomini Chriſtiani.*

(2.) *Si Camerale judicium reformatione indigeat*

(3.) *Si Imperator expeditionem Romanam ſuſcipiat ad adipiſcendam coronam Cæſaream, & recuperandas provincias ab Imperio Romano avulſas* Noveris heîc, *Expeditionem Romanam ſimplicem*, Anno 1521. fuiſſe peditum 20000. equit 4000. der einfache Römerzug. Quod ſingulis ſtatibus aſſignati ſint equites, pedites & in menſes ſingulos floreni, vide apud Limnæ. lib. 4. c. 7.

II. Quæritur: *An Princeps ſecularis collectam exigere poßit à ſubditis eccleſiaſticorum Principum, ob bona eorum in ſuo territorio ſita.*

Reſp. Doctorum alii negant, alii affirmant, aliis placet diſtinctio. Aut enim *perſonis* præcipuè imponitur collecta, quæ fit, vel *capitatione*, vel *facultatum æſtimatione* ſeu penſitatione. Et ſic *negativam* amplectũtur: Aut *poſſeßionibus & agris* iis, quos in territorio principis ſecularis habent, & tùm *affirmativam* tenent: quæ non improbanda moderatio.

THES. XIX.

Provinciales ad certas tantùm provincias referuntur, & communiter à Principibus, Comitibus & Baronibus indici ſolent, ad dotem filiabus elocatis parandam. Germanicè Landſtewer.

EXPLICATIO.

Quæritur, *an rectè indicantur collecta provinciales ad dotandas Principum, Comitum & Baronum filias?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Reſp, Doctorum alii affirmant, alii negant: Affirmativam multi amplectuntur *Principes, Comites* & *Barones*.

THES. XX.

Hæc de Collectis: Sequuntur *Vectigalia*, quæ ſunt pecuniæ vel portus, vel venditionis, vel circumvectionis nomine exactæ.

EXPLICATIO.

Differunt *vectigalia* à *tributis*, quia ratione *ſoli* tributa poſſeſſores pendunt: Vectigalia verò negotiantes propter *uſum viæ publicæ*.

THES. XXI.

Vectigalium conſideranda (1.) *Conſtitutio* (2.) *Locatio* (3.) *Eventus*.

THES. XXII.

Conſtituuntur vectigalia à ſummo principe, qui in Imperio *Romano* eſt Imperator, ex rationali cauſa: quæ eſt vel in utilitate publicâ, quod aliter ſecurum iter præſtari non poſſit: vel in ſublevandâ patriæ tenuitate, cui vectigalium jus conceditur.

EXPLICATIO.

I. Neceſſaria ſunt Reipubl. *vectigalia*, adeò ut ſine iis imperium retineri non poſſe *Cicero* affirmet, Hinc *Neronis* vectigalia omittere ſtatuentis impetum Senatores attinuêre, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinetur, deminuerentur. Idem hodie & Regibus & Principibus nonnullis eveniret, ſi abſque vectigalium proventibus eſſet. Pro inſigni hoc commodo viciſſim hoc oneris habet magiſtratus, ut ſecura teneatur præſtare itinera. De vectigalibus non minuendis vel abolendis, non eſt quod lex feratur: quia ſeculi *genius* de augendis potiùs, quàm minuendis laborat. Interim juſtas vectigalium debere cauſas eſſe docet *Novell*. 149. 161.

II. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

II. In Imperio *Romano jus* conſtituendi & principibus atque ſtatibus indulgendi vectigalia, ſolus habet Imperator, penes quem ſolum quoque eſt ea reformare vel mutare: Si quis ſine permiſſu Cæſaris nova vectigalia introduxerit, *L. Iulia* de ambitu & vi publicâ tenetur. *L. ultima* ff. ad *L. Iuliam, de vi publica.*

Eſt autem inprimis diſpiciendum, ne nimis vicina & gravia inſtituantur vectigalia, neque in quaſvis res conſtituantur: Arguit n. hoc *avaritiam* & *iniquitatem*. Refert *Athenæus*, cum olim à *Lyſimacho* in *Troade* vectigal ſalinarium eſſet conſtitutum, naturâ quaſi id refugiente, ſtatim ſalinas exaruiſſe, &, remiſſo vectigali, rurſus prodiiſſe. Exemplum hoc ſeculi noſtri cupiditatem non abſterret. Monent Politici peregrinis mercibus non neceſſariis, quamvis non inutilibus, majora eſſe imponenda vectigalia: Sic enim pecuniam in provinciâ manſuram. Hoc utinam noſtra obſervaret *Germania*, quia peregrinis mercibus carere poſſet facillime, idque cum ingenti opum ſuarum incremento.

THES. XXIII.

Locandi vectigalia licentiam habent principes & civitates ad certum tempus. Sed opera danda, ne fœnoratoribus & expilatoribus locent, & hac ratione in ſe aliorum invidiam derivent.

EXPLICATIO.

Hoc nomine olim graves ſubditis & exoſi fuerunt Romani & publicani, quorum hi ab illis redemerunt vectigalia, & tantùm non in publica transformarunt latrocinia. Ducenta millia talentum, h. e. CXX. *Milliones* Aſiæ imperarunt *Antonius* & *Dolabella:* alterum tantùm accrevit avaritiæ & fraudibus *publicanorum*. Audiamus

heîc

heîc *Ieſuitam Contzen*, de ſeculi noſtri moribus liberè diſſerentem. *Hodie*, inquit, *cum in contributionem conſentiunt, additamenta pro collectoribus nimis grandia adjiciuntur. Quantus error in his rebus committatur, docent oculi. Miniſtri enim plerique, qui rei pecuniariæ admoventur, quamvis inſtar ſiccißimarum ſpongiarum tenues ſint, & exſucci inſtar vaccarum, quas vidit Pharao deformes & macie confectas, ut nunquam ſimiles viderit in Ægypto: brevi tamen impinguantur, quamvis ad macros Principes redigantur.*

THES. XXIV.

Eventus, qui vectigal non ſolutum ſequitur, eſt *pœna commißi*, qua fiſco acquiruntur & committuntur res, pro quibus vectigal ſolutum non eſt, præeunte ſententiâ declaratoriâ: De jure tamen *Saxonico* pœna commiſſi mutata eſt in quadruplum vectigal.

EXPLICATIO.

I. Attamen ob non ſolutum vectigal perſonis nonnullis ſuccurritur, ne eorum bona in commiſſum cadant: nempè *minoribus, militibus, fiſco, legatis*, & iis, qui, proprii uſus cauſa aliquid vehunt, aut qui immunitatem à ſolvendis vectigalibus per reſcriptum ſunt conſecuti.

II. Præter hoſce acquirendi modos alii ſunt, quibus honeſtè rem facere Magiſtratus poteſt; quos nominaſſe heîc ſufficiat. (1.) *Oeconomia, prudenter adminiſtrata.* Non poteſt, inquit *Chilon*, præeſſe Reipublicæ, qui rectè non præſit ſuæ domui: pertinet huc *Oeconomia regia*, de qua *Ariſtotel.* 2. Oeconom. (2.) *Amplificatio mercaturæ*, quam ne Regibus quidem & principibus indignam judicant prudentes multi. (3.) *Agriculturæ ſtudium*, quod antiquiſſimum, honeſtiſſimum,

mum, utiliſſimum. (4.) *Cura rerum foßilium*, è quibus ingens & honeſtum eſt lucrum. (5.) *Parſimonia*, quæ ſummum eſt vectigal. (6.) *Leges ſumptuariæ*, quarum aliæ conviviorum modeſtiam præcipiunt, aliæ veſtium pretia moderantur, aliæ ædificationes & familiam regunt. De hiſce omnibus prolixè diſſerentem & diſputantem vide *Ieſuitam*, Polit. lib. 8. cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

CAPVT XXV.

DE OPUM POSSESSIONE, ubi de Cenſu, de Annona, Moneta, Nundinis & Ærario.

THESIS I.

HActenus *opum acquiſitio*: ſequitur *poſſeßio*, ad quam pertinet (1.) *Cenſus* (2.) *Annona* (3.) *Moneta* (4.) *Nundinæ* (5.) *Aerarium*.

THES. II.

Cenſus eſt deſcriptio, quâ cives, omniaque patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque diſcrimina in tabulas referuntur publicas.

EXPLICATIO.

I. Vtiliſſimum hoc habendi *cenſus* inſtitutum olim in Republ. *Romana* viguit. Eſt autem neceſſaria Reipublicæ deſcriptio.

(1.) *Civium*, ut vires Reipubl. cognoſcantur, & certa annonæ & Rei frumentariæ haberi poſſit ratio.

(2.) *Patrimoniorum*, ut conſtet de nervis rerum gerendarum, & quantum à ſingulis civibus exigi poſſit.

(3.) Di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(3.) *Dignitatis & officiorum* : ut diſtinguantur nobiles à plebeiis , peregrini à civibus : Et hi viciſſim , qui in dignitate ſunt , ab iis , qui dignitate carent;quâ ratione familiarum vitatur confuſio, & ignavi à gnavis diſcerni poſſunt.

(4.) *Ætatis* : ut conſtet , quinam militiæ laboribus ſuſtinendis ſint idonei , qui ad honores capeſſendos. Magna in Republ. oritur confuſio, ubi majorem natu vel minorem quiſque pro libidine , & absque rubore , ſe jactare poteſt. Vnde *M. Antonius* olim juſſit apud ærarii præfectos edi nomina ſingulorum, qui nati eſſent intra diem triceſimum.

II. Hodie in pleriſque Rebuſpubl. negligitur cenſus , *res*, ut Livius loquitur , *ſaluberrima magno futuro imperio*. Neglectum hunc luunt multis periculis, multâ iniquitate : quia ſine eo nec ſuas noſſe vires poſſunt nec imminentibus occurrere tempeſtivè periculis,nec in exigendis tributis uti æquitate : divitibus enim æquare pauperes iniquiſſimum.Etſi ſua quoq; cenſus incommoda habet ſi improbus ſit magiſtratus , qui ſuum eſſe judicat , quicquid eſt ſubditorum. Tria autem heîc quæri poſſunt, (1.) *Qui legendi cenſores?* Reſp.viri exploratiſſimę fidei & integerrimi, qui nihil amori, nihil odio dant.(2.) *A quibus legendi?* Reſp. Ab ipſo populo , ut muneri per ſe aſpero odium & ſuſpiciones detrahantur. 3.) *Quoties legendi?* Reſp. Quotannis , propter ſubditorum migrationes, mortes & varia incrementa & decrementa opum, quæ ferè ſingulis contingunt annis. Hoc niſi obſervetur , vitari iniquitas in exigendis trubutis non poteſt , præſertim ſi ædibus ea imponantur,quę poſſeſſores habent modò divites modò pauperes : quos in tributis pendendis æquari quanta eſt iniquitas !

THES.

THES. III.

Annonæ ſummam & ſeveram in Republic curam eſſe par eſt: quia defectum ejus ſeditione & alia maxima ſequi ſolent incommoda.

EXPLICATIO.

In *annona* procuranda olim diligentiſſimi fuerunt *Romani*, qui ex *Africa* & *Ægypto* aliiſque provinciis ad civium alimenta advehi curarunt frumentum. Quam in rem *præfectus annonæ*, ſeu, *ædilis Cerealis*: cujus erat curare, ut incorruptum à fraude advehentium frumentum transfunderetur in horrea, ne concepto humore vitiaretur & concaleſceret. Sine annona non conſiſtit Reſpublica: ſiquidem omnem potentiam domat fames: urbes & regna hoſti tradit commeatus inopia. Nullum in pace firmius principi eſt præſidium, quàm commeatus, nec quicquam periculoſius fame, ſi eam ſedare magiſtratus nequeat: ſine ferro vincitur, qui frumenta tempori non præparat: quod noſtra quoque teſtantur tempora. Iejunus miles nulli utilis eſt: jejunus civis nulla majeſtatis reverentia tenetur. In omnibus igitur locis opportunis contra famem inſtruenda ſunt arma.

THES. IV.

Monetæ maximus eſt uſus in contractibus emptionis & venditionis: Vnde Magiſtratui, cui ſoli cudendæ *monetæ* jus competit, cura ejus ſedula & ſevera incumbit, ut *pondere* & *pretio* ſit juſta, à falſariorum fraudibus intacta.

EXPLICATIO.

De *moneta* breviter ſequentia ſunt obſervanda:

(1.) *Etymon*: Monetam nonnulli dici putant à monendo, quod vel de noſtris moribus, vel de publico valore futura ſecula & poſteros moneat.

neat. *Numus*, ut nonnulli ſcribunt, dici videtur à græco νόμ☉ Lex, quia publicâ lege conſtituitur.

(2.) Efficiens; cujus nomine hoc loco venit, qui jus cudendæ monetæ habet, eſtque non niſi magiſtratus: & olim quidem inter ſumma fuit *regalià* jus cudendi monetam præſertim *auream*. Temporibus *Iuſtiniani Imperatoris*, Rex Perſarum *argenteum* quidem numum cudere poterat, *aureum* vero non poterat, uti nec quisquam alius *Barbarorum*. *Procop.* lib. 3. de bello *Goth.* Inter *Scotos* cæpit uſus numi aurei & argentei, ſub *Donaldo* 1. Rege. Antiquiſſima eſt Regum Galliæ prærogativa monetam auream & argenteam cudere. Hodie in *Imperio Romano* jus cudendi monetam auream & argenteam non tantùm habent ſtatus Imperii, ſed & non ſtatus, ut civitates aliquæ non imperiales. Interim inter *Imperatorem* & *Electores*, noviſſima *capitulatione*, convenit, ne deinceps ulli ſtatuum, ſine conſenſu *Electorum*, jus monetæ cudendæ Imperator largiatur; quod & *Matth.* 1. capitulationi Anno 1612. inſertum. Multitudo cudentium monetas imperio eſt exitioſa. Ius illud privatis locare, pernicioſum.

(3.) *Materia*: quæ ex metallis vel ænea, vel ferrea, vel argentea, vel aurea eſt. Olim ænea & ferrea moneta erat frequentiſſima. Vnde etiamnum *æris* nomine omnis pecunia ſignificatur. Hodiè in uſu maximè eſt argentea & aurea. Apud *Lacedæmonios* corium quoque monetæ materiam præbuit.

(4.) *Forma*: quæ conſiſtit in valore publico, qui pendet à *pondere*, *charactere* & *pretio*. *Character* olim pecudis erat figura: Vnde pecunia dicta. Hodie inſignitur imagine ejus, cujus cuditur

ditur autoritate. vide *Limnæ.* de I. P. lib. cap. 2.

(5.) *Finis* eſt commodior ratio promoven commercia: quæ difficilior & operoſior er ante uſum monetæ, quando merces mercib tantùm ſunt permutatæ: non enim ſemper facilè concurrebat, ut, quod tu haberes, eg deſiderarem, & viciſſim ego haberem, quo tu deſiderares. Electa igitur eſt materia, hc eſt, moneta ex metallo facta, cujus publica & perpetua æſtimatio permutationum difficul tatibus ſubveniret, quâ emi à quovis quidvi poſſet.

(6.) *Leges rei nummariæ*: inter quas olim erant *Numos legitimos reprobare nemini fas eſto: Numiſma publicè ſignatum nullus violato, nequ ad exteros mercandi causâ transferto.*

(7.) *Pœna* eorum, qui falſam cudunt monetam, ſub formâ & imagine ſummi principis, hodie in Imperio *ignis* eſt: In *Galliâ* cacabis oleo bullienti plenis injiciuntur. Accuratam monetæ rationem habere, omnesque circa eam fraudes & iniquitates ſeveris pænis coërcere inter *boni principis* notas haud poſtrema eſt.

THES. V.

Nundinæ ſunt mercatus urbium, qui habentur, incolarum & mercatorum res ſuas frequenti concurſu deferentium causâ.

EXPLICATIO.

Nundinæ dicuntur à nono die, quaſi *Novendinæ*: quod hoc die fuerint celebratæ. Vſus *nundinarum* de jure civili amittitur, non utendo decem annis. De jure *Saxonico* triginta & uno: uti & alia privilegia.

THES. VI.

Ærarium eſt locus pecuniæ publicæ aſſervan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ndæ deſtinatus, ad futuras neceſſitates: ſolet-
ıe locupletari (1.) Ex hoſtium devictorum ſpo-
is (2.) Ex annuis ſociorum penſionibus (3.) Ex
ereditatibus (4.) Ex prudenti opum ærarii di-
oſitione.

EXPLICATIO.

I. Apud *Romanos* duplex erat *ærarium:* unum
rgitionum ſeu rerum privatarum *Auguſti* &
Auguſtæ: Alterum *largitionum ſacrarum*, ſeu
Theſaurorum publicorum. Erat quoque *Romæ*
ærarium ſanctius, in quo pecuniæ ad ultimos ca-
ſus aſſervabantur. Iuſſit hoc temporibus belli ci-
vilis effringi *Cæſar*, & ſic patrimonium populi
Romani antè rapuit, quam Imperium: *Florus.*
Nominatur quoque *militare ærarium.*

II. *Aerarium* ſuum locupletarunt *Romani.*

(1.) *Ex devictorum hoſtium pecuniis*; Quod enim
ab hoſtibus populi Romani acquiſitum fuit, in
uſum ejuſdem aſſervari conſuevit: Vnde miri-
ficè locupletatum ærarium: quod *cruentarum
prædarum receptaculum* appellavit *Plinius.*

(2.) *Ex annuis ſociorum penſionibus* ideò locuple-
tabatur ærarium, quia, ſi bellum ab hoſtibus
inferebatur, militem ſociis licebat imperare.
Vnde pecunia illa, quæ ſociis pendebatur ex
ærario, quæſtuoſa erat ærario.

(3.) *Ex hæreditatibus:* Quia extranei, qui hæredi-
tatem in Republica adibant, prius pendebant
ærario aliquam adeundæ hæreditatis partem;
quæ olim *viceſima* erat introducta: Alia quo-
que erat *viceſima* eorum, qui manu mitteban-
tur.

(4.) *Ex prudenti opum adminiſtratione:* Habebat
enim magiſtratus ſua *ratiocinaria* & *brevia-
ria*, in quæ accepta & expenſa referebat, ne
plus erogaret & profunderet, quam ferre Reſ-
publica poſſet.

Deni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Deniq; obſervanda heîc *Conſtantii Imperato* ſententia: Melius opes à privatis poſſideri: qu apud illos fructus reddant; in arcis verò prin pum clauſæ ſteriles ſint & infructuoſæ. Hi nonnullæ Reſpublicæ pacis tempore tributis exactionibus non vexant ſubditos, ut urgente n ceſſitate tantò liberalius contribuant.

CAPVT XXVI.
DE COMITIIS.

THESIS. I.

H*Actenus acceſſio opum*: Sequitur *acceſſi conſiliorum*, quorum communicatio fier ſolet in *comitiis*: quæ ſunt conventus publici populi vel ordinum Reipublicæ, ad communicanda conſilia Rempublicam attinentia.

EXPLICATIO.

Comitia dicuntur à coëundo vel comeundo: quia in iis multitudo vel populi vel ordinum coit ad conſilia communia.

THES. II.

Comitia ſunt *vetera* vel *recentia*.

THES. III.

Vetera Comitia appellamus, quæ olim in Republica Romana, potiſſimùm ſub conſulibus, erant uſitata: Eaque erant *Curiata*, *Tributa* & *Centuriata*.

EXPLICATIO.

Calata comitia apud *Romanos* dicebantur, quando totus populus per cornicinem calabatur, h. e. vocabatur in *Campo Martio*, non urbe: erantque tria eorum genera, *Curiata*, *Tributa*, *centuriata*.

In *Curiatis Comitiis* populus per curias diviſus ſuffragia ferebat.

In

In *Tributis* per tribus ferebantur ſuffragia. In *enturiatis* per centurias : In hiſce, quæ magna ppellat *Cicero*, *leges* ferebantur, *privilegia* irroabantur, *proſcriptiones* decernebantur, *exules* evocabantur, *conſules* creabantur. *De civis Romani* capite nec judicari nec ſententia ferri poteat, niſi in *Comitiis centuriatis*. Olim in ſtatu populi *Romani* libero omne *Comitiorum* jus penes populum fuit : Quod primus *Iulius Cæſar* cum populo diviſit, quod cum per bella civilia & *Triumviratum* in deſuetudinem abiiſſet, *Auguſtus* reduxit. Tandem verò *Tiberius*, excluſo populo, totum hoc *ſibi* & *Senatui* jus reſervavit, quod populo reſtituere fruſtrà laboravit *Caligula*.

Thes. IV.

Recentia Comitia appellamus, quæ hodie in *Republicâ Romanâ*, hoc eſt, in Imperio Romano ſunt uſitata. Suntq; *univerſalia* vel *particularia*.

Thes. V.

Vniverſalia ſunt Cæſaris & ſtatuum Imperii Conventus, Reipublicæ cauſa ſuſcepti. Germanicè Reichstäge/ Reichsverſamblungen.

Thes. VI.

Comitiorum Imperii *generalium* conſideranda (1.) *Efficiens* (2.) *Materia* (3.) *Objectum* (4.) *Forma* (5.) *Effectus*.

Thes. VII.

Efficientis nomine intelligimus convocationem ſtatuum Imperii : Cujus poteſtatem & jus habet Imperator, accedente tamen *Electorum* ſuffragio ſcripto, quo & dies & locus habendorum *Comitiorum* exprimitur, & ſic reliquis ſtatibus per Imperatorem ſignificatur.

Explicatio.

Hinc *capitulationi*, in quam jurare Imperatores ſunt adſtricti, etiam hæc verba ſunt inſerta:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ta: Daß Kayſerliche Majeſt. ohne Wiſſen vñ Willen der Churfürſten keinen Reichstag anſetz noch auß-ſchreiben wollen. Idque *Limnæ*.proba libro 9. cap. 1. num. 20.

THES. VIII.

Materia ſunt perſonæ in *Comitiis* generalibu convenientes, nempè Cæſar, omneſque Imper proceres & ſtatus, vel per ſe, vel per ſuos legato

EXPLICATIO.

I Summa Imperii poteſtas in *ſemiſſes duas* e diſtributa: quarum unam *Cæſar*, alteram reliqu *ordines* univerſi habent. Ordines verò diſtinguun tur in tres *Claſſes*: quarum *prima* eſt Electorum *Secunda* Principum, Comitum, Baronum & Prælatorum. *Tertia* liberarum Imperii Civitatum, quæ unum corpus conſtituentes in duo diſtinguuntur *latera*: in *Rhenanum* & *Suecicum*, Germanicè in die Rheiniſche vnd Schwäbiſche Banck. Obſervandum tamen, ad comitia Imperii, quocunque loco celebrentur, comparere *Auſtriacos* Duces non teneri. neque ſtatus circuli *Burgundici*, neque *Regem Bohemiæ*: vide *Limnæ*. lib. 8. c. 1. n. 89. &c.

Putant nonnulli *civitates Imperii liberas* jus tantùm *conſulendi*, non *ſuffragandi* in comitiis habere: ſed ſententiam hanc plerique improbant, & contrarium probant, è receſſibus *Imperii*, praxi, multiſque documentis. Vnde civitates quoque ſub eâdem formulâ, quâ reliqui ſtatus ad comitia vocantur: Mit vnd neben andern Ständen helffen handeln/ rathſchlagen vnd ſchlieſſen: vide cap. 36. th. 13. expl. 5.

III. *Nobiles*, qui immediatè imperio ſubſunt, die freyen vom Adel / die freye Ritterſchafft / olim quoque *jus ſuffragandi* habuerunt: ſed hodie nulla *nobilium* in comitiis ratio habetur: Hoc quomodo

modo & quam ob cauſam exciderint privilegio, non liquet.

IV. De *ratione ſuffragandi*, quo ad tres ordines, & numerum ſuffragiorum, ſequentia ſunt obſervanda.

(1.) *Electores* ſinguli ſingula habent ſuffragia, ſeu vota.

(2.) *Principes Eccleſiaſtici*, ſinguli quoque ſingula habent vota.

(3.) *Principum politicorum* familiæ quædam unum tantùm, quædam, reſpectu diverſarum linearum, duo, tria vel quatuor vota habent.

(4.) *Prælati, Comites* & *Barones* numero plurimi curiatim ſententias dicunt, ubi *prælatorum* curia unius tantum voti jus habet: *Comitum* & *Baronum* curia in *Suevicam* & *VVetteravicam* diviſa duorum votorum jus habet.

(5.) *Civitatum Imperialium* in duo latera, *Rhenanum* & *Suevicum*, diſtinctarum etiam duo tantùm ſunt vota: etſi inter ſe ſingulæ ſententiam dicunt.

THES. IX.

Objectum, hoc eſt, id de quo in *Comitiis generalibus* deliberatur, ſunt res graviſſimæ, ad imperii tutelam pertinentes. De firmandâ pace publicâ: De curſu ſummi tribunalis Imperii: De collectis: De moderatione indictarum penſionum: De ineundis fœderibus: De re monetaria: De redintegrandis Imperii Romani viribus, & avulſis membris recuperandis.

THES. X.

Forma eſt modus habendi Comitia, qui conſiſtit in *proceßione* Cæſaris & ordinum ad Conſeſſum: In *Conſeſſu*: In *Gratiarum actione* ad ſtatus præſentes directa: In *expoſitione cauſarum*, ob quas indicta ſunt Comitia: In *Replicatione & Reſponſione Ordinum*: In *hortatione* ad ſententiã primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

mo quoque die dicendam: In *denunciatione diei*: In *recitatione ſuffragiorum*: Et denique in ipſa *concluſione* & *deciſione*, quam non *perſonarum*, ſed *Claßium* facit numerus.

EXPLICATIO.

I. *Formam* hanc ex *Tobia Paurmeiſtero* latius deducit Autor. Relatio digna eſt obſervatu, adeoque à nobis quoque non negligenda, quam in ſequentes paragraphos diſtinguimus.

(1.) *Legati principum & ſtatuum reliquorum nomina ſua profitentur apud* Electorem Moguntinum, *Imperii Archi-Cancellarium, & literas credentiales exhibent.*

(2.) *Cæſar ad præſtitutum diem exquiſitiſſimâ pompâ in Palatium procedit: Cui* Elector Saxonicus *ſtrictum præfert gladium*: ſequuntur Electores reliqui & Principes longo ordine.

(3.) *Cæſar conſidet loco celſiore: paulò inferiore loco ad dextram* Elector Moguntinus, *quem ſequitur* Colonienſis; Trevirenſis *è regione Cæſari opponitur. Ad ſiniſtrum Cæſaris latus ſunt* Rex Bohemiæ, Elector Palatinus, Elector Saxonicus & Elector Brandeburgicus. *Pro reliquis principibus duo ſunt ſubſellia. Vno gradu* Electorum, *duobus verò* Cæſaris *inferiora, magnificè exornata: in quorum dextro conſident* Archi-Epiſcopi, legati domus Auſtriacæ & Burgundicæ: *In ſiniſtro reliqui Principes ſecundùm dignitatis cujuſque prærogativam.*

(4.) *Facto conſeſſu unus Principũ, nomine Cæſaris, gratias agit ſtatibus, quod ad Comitia frequentes convenerint. Gratiarum actionem deinde ipſe Imperator gravi brevique oratione repetit; & cauſas indictorum Comitiorum exponit, atque ut in medium conſulant, omnes hortatur.*

(5.) *Secretarius propoſitionem deſcripto legit: quâ finitâ,*

finitâ, conſurgunt ſtatus, & paululum collocuti reſpondent per Electorem Moguntinum: *Cognoviſſe ſe cauſas coactorum Comitiorum, agere gratias Cæſari pro exquiſitâ Imperii tutelâ, deferre ſe officia ſua in omnibus, quæ ad dignitatem Imperii pertinere exiſtimaverit, & petere ſubmiſſè prælectæ propoſitionis copiam.*

(6.) *Poſthæc* Cæſar *ſtatibus iterum agit gratias, & ut de ſingulis propoſitionis capitibus primo quoque die ſuam explicent ſententiam hortatur.*

(7.) *His peractis reducitur Cæſar cum ingenti pompâ ad ſuum palatium, & principum quiſque ad ſuum revertitur diverſorium.*

(8.) *Deinde indicitur dies ab* Electore Moguntino, *quo ſtatus ad deliberandum convenire debeant.*

(9.) *Ad deliberationem ubi ventũ eſt, ineuntur ſuffragia ſecundum ſtatus cujusq; præeminentiam.*

(10.) *Denique Deciſio & Concluſio ſequitur, ſi omnium trium Claſſium vel duarum major pars conſenſerit: Tum enim ex parte ordinum res confecta eſt. Si verò ſingulæ Claſſes ſingulas tueantur ſententias, progredi ulterius non poſſunt; quia non perſonarum ſed claſſium vincit numerus. Tum verò plerumque tam diu replicando, triplicando, &c. adductis hinc inde pro opinione ſuâ idoneis argumentis à Cæſare & ordinibus diſceptatur, donec vel hi in illorum, vel illi in horum ſententiam ſponte concedant.* De ſubjecto comitiorum loco vide *Limn.* lib. 9. c. 1. n. 30. &c.

II. An in comitiis Imperii *major pars* ſemper concludat, aut concludere debeat, ardua eſt quæſtio, quæ in utramque partem acriter diſputatur. Et univerſalis quidem affirmativa ſecum trahit plurima incommoda & pericula, de quibus prolixè diſſerentem vide *Limnæ.* de I. P. lib. 9. cap. 1. num. 176. 177. & ſeqq. Plerique excipiunt heîc *conſcientiæ* & *Religionis* negotium: *pacem religio-*

ſam & profanam. Vbi adverſus *Majora* proteſtantur *Euangelici*: plures alias exceptiones loco allegato vide, ubi multorum colliguntur judicia.

THES. XI.

Effectus eſt obligatio Cæſaris & ſtatuum in pacta utrinque conventa & publicata.

THES. XII.

Hactenus Comitia univerſalia: ſequuntur *particularia*: quando pars duntaxat ſtatuum agit Conventum: Cujuſmodi ſunt (1.) *Conventus Electorum*. (2.) *Conventus Regimenti*. (3.) *Conventus Deputatorum*. (4.) *Conventus Circulorum*.

EXPLICATIO.

I. *Conventus Electorum* celebrantur, ad eligendum vel *Regem Romanum*, vel *Imperatorem*: Quod jus ad integrum *Electorum Collegium* pertinet, non ad ſingulos, Germanicè ein Wahltag: vel ob alias cauſas extra ordinem incidentes & ſtatum Imperii concernentes. Germanicè Churfürſtentag.

II. *Conventus Regimenti* inſtitutus eſt à *Maximiliano I.* Anno 1500. in *Comitiis Auguſtanis*: Vbi erant viginti perſonæ loco ſenatûs Imperii, quibus data erat poteſtas plena cognoſcendi de quibuſcunque ſubditorum querelis, & decernendi bellum contrà *Turcas*. Conventus hic ſub *Carolo V.* in deſuetudinem abiit.

III. *Conventus Deputatorum* primùm inſtitutus eſt *Auguſtæ* Anno 1555. in quo ſunt, *Commiſſarius Cæſaris*: Sex *Electores*: Ex principibus quatuor, *Archidux Auſtriæ, Epiſcopus Herbipolenſis, Epiſcopus Monaſterienſis*, & *Dux Bavariæ*. Ex liberis Imperii Civitatib. duæ, *Colonia Agrippinenſis & Noriberga*. Anno 1559. His acceſſerunt *Dux Iuliacenſis, Landgravius Haſſiæ, Epiſcopus Conſtantienſis, Dux Burgundiæ, Dux Brunſvicenſis* & *Duces Pomeraniæ*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Inſtituitur hic Conventus, quando motus in Imperio graves oriuntur, quibus compeſcendis vires aliquot circulorum non ſufficiunt. Hi igitur rem ad *Electorem Moguntinum* deferunt, qui Deputatos *Francofurtum ad Mœnum* convocat: Vbi deputati nomina profitentur apud *Moguntinum*. *Commiſſarius Cæſaris* capita deliberationis ſcripto proponit, deindè univerſi in duas *Claſſes* diſcedunt, *Electorum* & *Principum*: Vbi in claſſibus ſinguli viritim ſuffragia ferunt. Germanicè Deputationtag Similis eſt *conventus viſitatorum cameræ*, Viſitationtag.

IV. *Conventus Circulorum*, Germanicè Crayſtage/indicuntur ob cauſas peculiares circulis, ubi eliguntur *Duces* eorumque *Legati* & *Conſiliarii*. Crayß-Oberſten / Räthe vnd Zugeordnete. Conventus hi ſingulis annis ordinariè ſemel, flagitante verò neceſſitate etiam ſæpius celebrari debent: in quibus & *monetæ* examinari ſolent: unde appellantur etiam Müntzprobir Täge.

CAPVT XXVII.
DE FOEDERIBUS.

THESIS I.

HActenus munimenta Reipublicæ recepta domi: Sequuntur munimenta recepta *foris*, quæ ſunt *fœdera*, hoc eſt, obligationes mutuæ inter diverſas Reſpublicas ad ferenda invicem auxilia, certis conditionibus.

THES. II.

Fœderum conſiderandus (1.) *Finis*, (2.) *Forma*, (3.) *Efficiens* & *Materia*, (4.) *Effectus*.

THES. III.

Finis fœderum eſt ad mutuum ferendum auxilium contra impetum hoſtium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Monent *Politici*, ubi vel de religione defendendâ, vel de conjungendis contra communem hoſtem viribus occurrit conſultatio, impigrè ad alterutram partem, facto fœdere accedendum eſſe: quia nuſpiam inveniunt gratiam ſtabilem, inter duas partes penduli, quos *Neutraliſtas* appellant. Etiamſi enim alienis laboribus & periculis aliquandiu ſunt tuti: tandem tamen præda Victori fiunt.

THES. IV.

Forma ſanciendorum & firmandorum fœderum pro populorum varietate varia eſt: Plures *ſanguinis mutui hauſtu*, alii *mactatis victimis*; alii *pane* & *ſale* adhibito, alii *dextrarum porrectione* certâque *juramenti formulâ* ad ferenda auxilia mutua ſe olim obligarunt.

EXPLICATIO.

Scythæ, *Armenii* & veteres *Germani mutui ſanguinis hauſtu* inierunt & firmarunt fœdera: Et *Armenii* quidem dextris manibus ſanguinem miſſum invicem ſorbuerunt, *Germani veteres* ſanguinem è ſectis frontibus manantem in poculis miſcentes biberunt: Summum attigiſſe amicitiæ terminum rati, cum ſanguinem viciſſim inter ſe deguſtaſſent.

Frequentiora apud veteres amicitiæ & fœderis ſymbola fuerunt *ſal & panis*, quorum uſu eſuque confirmarunt fœdera, tàm ſocietati humanæ neceſſaria, quàm *ſalis paniſque* uſus: quorum ille *condimentum*, hic *alimentum* planè neceſſarium eſt. Apud *Græcos* & *Romanos* uſitatiſſimus erat ritus *ſacrificii*: Vbi ad fœderis confirmationem mactabatur, & Diis immolabatur plerunque *porca*: Vnde phraſis nata, *Ferire, icere fœdus*.

Hodiè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Hodiè dextrarum porrectio & juramentum in uſu eſt.

THES. V.

Efficientis & *materiæ*, quæ certo reſpectu heîc concurrunt, nomine intelliguntur perſonæ, inter quas fœdus initur,& quæ ſunt in fœdere. Debent autem ii, quibuſcum inimus fœdus, quantum fieri poteſt, eſſe 1. à *fide* noſtra non prorſus alieni. (2. *Potentiâ* nobis pares vel ſuperiores. (3.) *Vicini* nobis.

EXPLICATIO.

I. Mentio heîc eorum quoque facienda, quibus permiſſum inire fœdus. Vbi obſervandum licita cenſeri fœdera, quæ fiunt *juris permiſſione* vel *ſuperioris autoritate*. *Permiſſione juris* inire poſſunt fœdera de rebus licitis & honeſtis, quicunque ſuperiorem non recognoſcunt. *Inferiores* autem non niſi *ſuperioris autoritate* ferire fœdus cum aliis poſſunt: niſi veriſimiliter offenſionem metuant,& vim iniquam à ſuperiore imminentem:quod tamen de ſubditis merè privatis non accipiendum: De quæſtione, *An ſtatus Imperii inter ſe inire poſſint fœdera?* vide Lymnæ. de I. P. lib. 4. cap. 8. num. 16. lib. hujus cap. 34. th. 3. expl. 9.

II. *Fœderati* noſtri, ſi fieri poſſit, à fide noſtrâ non debent eſſe prorſus alieni: Ne videamur jugum velle trahere cum infidelibus. Debet enim inter fœderatos eſſe quædam amoris & voluntatum communicatio: quæ cum infidelibus difficulter eſſe poteſt. Egregium eſt *Senecæ* monitum: *Sapientem non poſſe in habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos ſimiles ſui admiſerit, cum quibus virtutes ſuas communicet.*

III. *Potentiâ* nobis inferiores eſſe non debent: quia, qui impotentium ambiunt ſocietatem, quærunt *cum quâ gente cadant*, & inclinant *in cadu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

caducum parietem: ut Imperator *Hadrianus* aj[...]bat. Contrà, qui jungunt ſe felicitate & potent[...] florentibus, *Adamantinos* pro incolumitate ſu[...] clavos figunt.

IV. *Vicini* eſſe debent: quia fœderatoru[...] longo locorum intervallo diſſitorum auxili[...] ſunt tarda nimis, & multis implicata difficulta[...]tibus. Vnde à vicino hoſte opprimi prius poſſu[...]mus, quàm longinquis fœderatis neceſſitas no[...]ſtra innoteſcat, aut ipſi adproperare poſſint.

V. Quærit hic Autor: *An etiam fœdus facer[...] cum infidelibus liceat?*

Negativam primùm præciſè tuetur, aitque, ſ[...] *plane ſtatuere omnino nullum cum infidelibus fœdus contrahendum eſſe*: quod probat ſequentibus argumentis.

(1.) Quia talis quiſque cenſetur, quales ſunt ii, quibus ſe jungit. *Serpunt n. vitia & in proximum quenque tranſiliunt, & contactu nocent.* Seneca. Vnde illicitum erat *Iudæis* vel cibum cum *Ægyptiis* capere.

(2.) Quia expreſſa ſunt interdicta DEI ad *Iſraëlitas* de fœdere non ſanciendo cum gentibus. Exod. 34. *Ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias.* Deuteron. 7. Ieſaiæ 31. & alibi.

(3.) Quia nulla cum infidelibus poteſt eſſe amoris & voluntatis communicatio.

(4.) Quia profitemur in *Baptiſmo*, nos palæſtritas ſtrenuos futuros adverſus eos, qui Chriſtum vel ejus membra aut apertè petunt, aut inſidiarum cuniculis occultè tentant. *Tertullianus* de *Corona milit.*

(5.) Quia fœdera ejuſmodi multis malè ceſſerunt, & in ſpecie quidem *Palæologis*, qui in prædam *Turcis* ſunt dati. *Franciſco Galliarum Regi*, qui moriturus exclamavit: *Perii, heu perii.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

rii, quod volui eſſe fœderatus ei qui hoſtis eſt Chriſtiani nominis. *Cardinali Guiſio*; qui conſolationem è ſacris literis ſuggerenti reſpondit: *Omnis miſericordia mihi clauſa eſt, qui, ut æmuli mei vel gloriam infuſcarem vel vindicarem injuriam, fœdus pepigi cum Turca, & Chriſtianorum capita tanquā armenta ad Mahometanam ſervitutem vivus videnſque paſſus ſum abigi.*

VI. Pro *affirmativa*, quam nobiles defendunt ICti nonnulli, aliquot argumenta adducit Autor & ſolvit.

(1.) *Defenſio à naturâ cuique permittitur, neque intereſt, quâ quis ratione ſe defendat, vel per ſe vel per alium. Vnde jura ignoſcunt ei qui ſanguinem ſuum qualitercunque redimere ſatagit.* l. 1. in fin. ff. de bonis eorum, &c.

Reſpondet Autor; Defenſionem legitimis terminis ita incluſam eſſe, ut, ſi paulatim extra illos vagetur, pro illicitâ haberi debeat.

(2.) *DEVS quoque uſus eſt gentium miniſterio in puniendo populo Iſraelitico.*

Reſp. Non jure fœderis, ſed abſolutæ poteſtatis hoc à DEO factum: quæ homini nullo modo competit.

(3.) *Contrahuntur hujuſmodi fœdera, urgente maximâ neceſſitate, quæ legi ſubjecta non eſt.*

Reſp. Autor; Poſſe hoc aliquo modo dari, ſi evidens ſit neceſſitas: Non enim rejiciendam omnem pactionem cum infidelibus: modo ex levi cauſâ non ſuſcipiatur.

(4.) *Licet inſidias hoſti ſtruere quovis modo: Vnde & infideles in ſocietatem ejus rei perficiendæ admitti poſſunt.*

Reſp. Poſſe eſſe inſidiis locum, dumnè aliquid ſcelerate aut contra DEVM fiat: Igitur verſutiam non eſſe tolerandam, ubi majeſtas DEI & conſcientia læditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(5.) *Fideles poſſunt ſuccurrere infidelibus: ergo infideles quoque fidelibus.*

Reſp. Fidelibus non eſſe impoſitam neceſſitatem juvandi infideles: quia nemo hoſtes ſuos juvare debet, quos in perniciem ſuam novit eſſe armatos.

(6.) *Ex iſta cum infidelibus confœderatione diſſenſiones naſcuntur inter infideles, quibus ſe mutuò conficiunt.*

Reſp. Hoc accidentarium rarum & infrequens eſſe: poſſe aliâ ratione ad mutuam diſſenſionem & diſcordiam adigi infideles.

(7.) *Iuſtinianus Imperator apertè profitetur, ſe lætari, quod pacem perpetuam cum Rege Perſarum inierit* l. 2. Cod. de offic. præfect. *prætor.* Idemque alii fecerunt.

Reſp. Multitudinem delinquentium non parere patrocinium ſceleri, & Iuſtinianum neceſſitate compulſum pactionem cum Perſis iniiſſe.

VII. Apparet igitur ex reſponſione ad rationem tertiam & ſeptimam, rationibus ab autore pro negativâ allatis non probari *ſimpliciter illicitum eſſe fœdera cum infidelibus inire*: ſed cum hâc tantum conditione: *ſi abſit neceßitas urgens & evidens.* Quod facilè damus, neque affirmativæ defenſores aliud voluiſſe arbitramur. Etſi rationes pro negativâ allatæ exceptione hâc commodè elidi ſingulæ non poſſunt: inprimis *ſecunda* & *quarta*, quibus ex alio fundamento occurrendum. Obſervandum igitur.

(1.) *Interdicta illa* DEI, *Exod.*34. & *Deut.*7 ſpeciali ratione ad *Iſraëlitas* pertinuiſſe, & ad certos populos, eosque potiſſimùm, quos exſcindere per Iſraëlitas, & per quos exercere *Iſraëlitas* DEVS voluit, gentem ad idololatriam aliorumque populorum mores aſſumendos nimis proclivem. Fœdera quoque cum aliis gentilibus

Regi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Regibus inita improbavit Devs, quia & nullâ urgente neceſſitate, & ex diffidentiâ de veritate promiſſionum divinarum erant inita: qualia etiamnum improbantur.

2.) In *Baptiſmo* votum nos non facere de omnibus à Chriſto alienis bello petendis & perſequendis, omnique eorum commercio ſimpliciter vitando: ſed de impietate eorum fugiendâ: Id vero non violari, quando ſub certis conditionibus ultimâ adacti neceſſitate infidelium (excluſâ tamen communione cum infidelitate ipſorum) utimur armis vel auxiliis, ad hoſtium noſtrorum alias intolerabilem vim repellendam.

Sed & reliquæ rationes pro eadem negativa non adeò ſtringunt. Rationes pro *affirmativâ* uti ſingulæ prægnantes non ſunt: ita nec ſingularum ſolutiones exquiſitæ nobis videntur. Solutio *quintæ* rationis non adeò convenit cum *doctrina Euangelica*, quæ etiam hoſtibus noſtris jubet bene facere, neque malum malo rependere. Neque omnes infideles ſunt hoſtes in perniciem noſtram armati. Quandoque tam ſunt fida infidelium auxilia, quam fidelium, imò magis parata & fida: videatur parabola Evangelica de *Sacerdote, Levita* & *Samaritano*, Luc. 10. v. 31. 32. 33. 34. 35. Interim coronidis loco hoc addimus: fœdera diverſo ſanciri fine, vel ut fœderati invicem ſe tantùm non lædant: vel ut non tantùm ſe non lædant vel offendant; ſed & auxilia adverſus hoſtem vel communem vel partis alterutrius mutua ferant. De prioris generis fœderibus nulla inter politicos eſt controverſia, quæ præſentem attingat quæſtionem. De poſteriori genere accipienda Autoris quæſtio.

Thes. VI.

Effectus eſt obligatio mutua, ad ferenda ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

certis conditionibus auxilia : quæ ſanctè & fir miter cuſtodienda.

EXPLICATIO.

I. Nulla tàm gravis coërcitio excogitari poteſt, quâ non digne afficiantur fœderum violatores. Vnde in hiſtoriis exempla perfidiæ & fœderum violatorum à DEO extraordinariè graviſſimè vindicatorum ſunt plurima. Eſtque maxime infame & execrabile illud quorundam Pontificiorum Doctorum & Theologorum dogma: *Hæreticis datam fidem non eſſe ſervandam*: quod saniores quoq; Pontificii nonnulli tam *Theologi* quàm *Politici* explodunt, & tanquam humanæ ſocietati pernicioſiſſimum damnant.

Memorabile exemplum perfidiæ in violatione fœderis cum hoſte barbaro icti commiſſæ & divinitùs vindicatæ habetur in *Ladislao Hungariæ Rege* & *Iuliano Cardinale*. Cum enim, urgente *Iuliano*, *Ladislaus Amurathem Turcarum Imperatorem*, contra pactarum induciarum legem & fidem, inopinantem bello adoriretur & ad prælium adigeret, jamque in primo conflictu Turcarum acies inclinaret, & victuri Chriſtiani viderentur, fœderis violati memor *Amurathes*, oculis in cœlum converſis, in hæc verba exclamavit: *Chriſte, en hæc ſunt fœdera, quæ Chriſtiani tui per nomen tuum jurantes, mecum percuſſerunt, ſuoque perjurio te DEVM ſuum abnegarunt. Quare ſi DEVS es, hanc mihi & tuo ſancto Nomini illatam injuriam ulciſcere.* Mox prælio inſtaurato, Rex cum proceribus & *Iuliano Cardinale*, inſuperque XXX. millibus Chriſtianorum cæſus miſerrimè periit. Non abſimile exemplum punitæ perfidiæ habetur in *Ottocaro Bohemiæ Rege*, qui poſtquam pacem *Rudolpho Habsburgico* juratam violarat, ad internecionem ab eo cæſus eſt. Vivit adhuc perfidiæ vindex DEVS!

II. Ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

II. Hactenus cauſæ & effecta *fœderum* : obiter quoque obſervetur *diſtinctio Fœderis* : quod eſt *propriũ* vel *improprium*. *Proprium* ſupra definivimus, ab aliis deſcribitur ſtipulatio mutua, quâ diverſi Principes vel Reſpublicæ, ſalvo jure & dignitate ſuâ, ſe mutuò ſolenniter obligant ad amicitiam colendam, fidem prȩſtandam, auxilia mutua habenda & hoſtes communes. Eſtque *par* vel *impar* : *illud* eſt inter fœderatos æqualis dignitatis, ut inter Regem & Regem, inter Principem & Principem, inter Rempubl. & Rempubl. *hoc* inter fœderatos inæqualis dignitatis. *Impropriè dictum* diſtinguitur in *clientelare*, *miſerabile* & *hæreditarium*. *Clientelare* eſt inter principem patronum & eos, qui ſub ejus ſunt defenſione: Die ſich vnter eines mechtigern Schutz begeben: periculoſum fœdus hoc judicãt Politici, quia primus poſt protectioné gradus eſt *invaſio* : cautè igitur concipienda protectionis capita & conditiones, ne ex iis occaſio oriatur ſubjectionis. *Miſerabile fœdus* eſt inter victorem & victos in victoris tutelam concedétes. *Hæreditarium fœdus* appellatur confraternitas, quæ pactio eſt, quâ id agitur, ut alterius extinctâ ſtirpe patrimonium & principatus certâ ſucceſſionis lege ad alterum perveniat. Fœdera hujuſmodi inter perſonas illuſtres conſenſu Imperatoris firmantur : de quibus ſupra, lib. 2. cap. 3. ad th. 6. expl. 7. Germ. Erbvereinigung / Erbverbrüderung / Erbverträge.

III. Coronidis loco breviter adjiciemus hiſtoriam de celeberrimo fœdere *Hanſeatico*, quod per urbes *Germaniæ* præcipuas longè lateque diffuſum politicam adminiſtrationem pacis bellique tempore olim in Imperio Romano, viciniſque regnis & provinciis plurimum adjuvit. Ab hoc fœdere antiquiſſimo etiam celebres ſunt *urbes Hanſeaticæ* : Die Hänſee Stätte.

Hiſto-

Hiſtoriam ex *Petri Bertii* Germaniâ repetitar quatuor capitibus complectemur, quorum *pr mum* explicabit Etymon ſeu rationem nominis *Secundum* Cauſas Efficientes & Finales: *Tertiu* Materiam: *Quartum* Formam.

(1.) *Etymon* ſeu ratio nominis, cur fœdus appel letur *Hanſeaticum* vel *civitates Hanſeaticæ* au *Anſeaticæ*, probabilis triplex eſt: Sunt enin dictæ ita Civitates vel à *ſubjecto loco*, ubi præ. cipuæ erant ſitæ, nempe à *mari*, quod Germa. nis See appellatur. Vnde Civitates *Anſeaticæ*, die an der See gelegen. Præcipuæ enim civitatum harum ſitæ ſunt ad mare (an der See) vel ad flumina alia majora, quæ in mare exonerantur.

Vel ab *inſtrumento* pangendi fidem & fœdera, hoc eſt, *manu*, quam Germani appellant Hand: Vt Civitates quaſi *Hanteaticæ* dicantur: Die ſich mit einem Handtſchlag miteinander verbinden.

Vel denique à *formâ* ſeu ipſo fœdere, quod inter ſe inierunt civitates. Priſci enim Germani fœdus vel concilium appellarunt *Hanſam*. Primum *Etymon* & ultimum admodum ſunt probabilia.

(2.) *Efficiens Hanſeatici fœderis* vel ſocietatis ſunt ipſæ civitates, quæ inter ſe fœdus hoc inierunt, cum olim ab *Hunnis* barbariſque gentibus *Germania* immaniſſimè vexaretur, & jam *Saxoniæ* maritimæ, *Pomeraniæ*, *Megapolenſi* & *Brandeburgenſi tractui* latrones imminerent. Vnde fœderis hujus æſtimanda antiquitas, quæ tamen aliis quoque nota documentis. Etenim *Henricus* III. *Anglorum* Rex diplomate, Anno 1206. in *Anglia Londini* previlegia ſua ſocietati huic confirmavit, quæ à majoribus ſuis jam olim data affirmavit. Cumque contra

Hun-

Hunnos Germaniam infeſtantes hæc inita ſit ſocietas, antiquior utique *Henrici Aucupis* erit Imperio, quod incidit in annum Chriſti 920. Tum enim *Henricus* palabundos *Hunnos* ad *Danubium* propulit, & ab iis *Germaniam* ex parte liberavit.

Patet hinc, quibus inductæ cauſis fœdus inierint maritimæ civitates: nempè ut adverſus barbarorum incurſiones tantò faciliùs ſe defendere & mercaturam commodius exercere poſſent. Erant enim olim *claſſe* & opibus potentiſſimæ, Regibusque potentiſſimis formidabiles. Vnde amicitiam earum ambiverunt, ejuſque ingentia commoda ſenſerunt. Ab hiſce civitatibus Regum Principumque diſſidia ſunt compoſita: quia potentiſſimam reddidere partem, cui ſe viribus ſuis adjunxerunt.

(3.) *Materia* ſunt illæ ipſæ *Civitates Hanſeaticæ*, è quibus corpus hoc conſtabat, à ſinu *Finnico* usque ad *Rheni* oſtia, præcipuè: quæ tamen in ſocietatem ſuam poſtmodum alias quoque aſſumſerunt, fueruntque non niſi eæ admiſſæ, quæ jus habebant claudendi & aperiendi portas ſuas, ſive principem agnoſcerent, ſive liberæ eſſent. Ita autem crevit hæc ſocietas, ut jam ſub *Henrico* III. *Angliæ* Rege, circa annum Chriſti 1200. duæ & ſexaginta Civitates in hoc corpus coaluerint, quibus poſtmodum quatuor acceſſerunt. Suntque *Vandalicæ* ſex, *Pomeranicæ* octo, *Boruſſicæ* ſex, *Livonicæ* tres, *Saxonicæ* tredecim, *VVeſtphalicæ* decem, *Cliviçæ* ſeptem, *Tranſiſulanæ* tres, *Geldricæ* ſeptem, *Friſicæ* tres.

(4.) Ad *Formam* referimus corporis hujus in *claſſes* certas ſeu regiones ordinatam diſtributionem, & communium *emporiorum* conſtitu-

ſtitutionem. Diſtribuitur *Hanſa Teutonica* (ſ enim appellatur univerſum corpus *civitat* *Hanſeaticarum Germanicarum*) in quatu regiones *Lübecenſem, Colonienſem, Brunſuic ſem* & *Boruſſiacam.*

Lübeca omnium conſenſione totius *Hanſea ei* corporis caput eſt; quia in medio quaſi ſita acceſſu oportuna eſt, habetque *archiva* ſociet tis hujus, & jus convocandi vicinas urbes. Iu guntur ei civitates *Vandalicæ* quinque: *Hambu gum, Roſtochium, VViſmaria, Stralſunda, Lun burgum*: Quibus accedunt Pomeranicæ, *Stet num, Anclemium, Golnava, Gripsvvalda, Co berga, Stargarda & Stolpa.*

Colonia Agrippinenſis ad fœdus hoc acceſſi anno Chriſti 1481. ſecundæ regionis præcipua Sociatas habet civitates, *Clivenſes & Marckenſes Veſaliam, Duuburgum, Embricum, VVarpurgum Vnnam, Hammam.* Et *VVeſtphalicas, Monaſterium, Oſnabrugam, Tremoniam, Suſatum, Herfordiam, Padebornam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Lippiam, Coosfeldiam.* Et *Geldricas, Noviomagum, Zutphaniam, Rurmundam, Arnheimium, Venloam, Elburgum, Hardervicum.* Et *Tranſiſulanas, Daventriam, Campos, Zvvollam.* Et *Friſicas* ſeptentrionales, *Groningam, Bolſvverdiam, Stapheram.*

Brunſuiga primaria tertiæ regionis ſub ſe habet urbes *Saxonicas, Magdeburgum, Goslariam, Embecam, Gottingam, Hildesheimium, Hanoveram, Vlſam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hamelam, Mundam.*

Dantiſcum princeps quartæ regionis ſub ſe habet *Boruſſicas, Regiomontanum, Colmariam, Toruniam, Elbingam, Brunsbergam*: Et *Livonicas, Rigam, Dorpatum* & *Revaliam.* In *Norvvegia* quoque *Berga* eſt juris *Anſeati.*

Sunt & quatuordecim controverſi juris, *Stendalia,*

ſlia, Solduvedelia, Berolinum, Francofurtum ad deram, Vratislavia, Cracovia, Halla: Aſchersbia, Quedelburgum, Halberſtadium, Helmſtadim, Ryla, Northeimium.

Hactenus civitatum Hanſeaticarum diſtributio: equitur *conſtitutio emporiorum*, ut commodior ſlet mercium per univerſum orbem diſtributio. Hanc in rem impetrarunt vrbes hæ, certis in locis, *jus inſtitorium*, ubi ingentes quoque aulas extruxerunt, & varia privilegia obtinuerunt.

Fuêre autem primaria ejuſmodi *emporia* quatuor. In *Ruſſia, Novigradia:* In *Britannia*, *Londinum*: In *Belgio*, *Brugæ:* In *Norvegia, Berga*. In urbibus hiſce liberum & permiſſum erat omnibus aliqua *Hanſeatica civitate* oriundis, morari, mercaturam exercere, & *Teutonicæ ſocietatis* privilegiis frui ſecundum leges. Erant autem in urbibus *Collegia*, quibus domo procul educabantur juvenes, ſub aliquo præfecto ſeniore, quem *Conſulem* & *Altermannum* appellabant. Hæc *emporia*, flagitãte neceſſitate, ſubinde mutata & commercia aliò translata ſunt. Primum ſocietas hæc *Ariſtocraticè* gubernata fuit, cum ingenti mercatorum commodo: Deinde de *Principe Teutonico*, tanquam capite conſtituendo deliberatum eſt: fuitque honor hic delatus *Magno Boruſſiæ Magiſtro*. Tandem à variis principibus & Regib. quoque expetita dignitas, exiguo tamen ſocietatis hujus emolumento. Societas hæc noſtro tempore admodum debilitata eſt: de qua tamen inſtauranda & vigori priſtino reſtituenda ſuperioribus annis deliberatum fuit. Noviſſimè de *Hanſeaticis civitatibus* multa ſcripſit *Angelius* Werdenhagen. ICtus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPUT XXVIII.

DE STATU MONARchico, Ariſtocratico, & Democratico in genere.

THESIS I.

HActenus *togatæ adminiſtrationis adjuncta*. Sequuntur *Species*, quarum conſiderantur (1.) *Modi generales* (2.) *Applicatio* ad Imperium Romanum ſpecialis.

THES. II.

Modi adminiſtrationis togatæ in genere ſunt tres (1.) *Status Monarchicus* (2.) *Status Ariſtocraticus* (3.) *Status Democraticus.*

EXPLICATIO.

De iiſdem formis præcepit quoque Autor libr. 1. cap. 8. Ibi quidem ex methodi lege: heîc verò per occaſionem, ut applicatio ad Imperium Romanum ſpecialis tyroni ſit facilior.

THES. III.

Monarchicus ſtatus eſt, in quo ſumma rei penes unum eſt, qui ſolus omnibus imperat. Qui *antiquiſſimus*, *maximè naturalis*, *tranquillus* & *conſtans* eſt regiminis modus.

EXPLICATIO.

I. *Antiquiſſimum* eſſe ſtatum Monarchicum (quam non malè definiunt alii, unius Imperium, moribus aut legibus delatum, ſuſceptum geſtumque parentium bono:) teſtatur *Iuſtinus*: *Principio rerum, gentium nationumque Imperium penes Reges erat.* Et *Saluſtius: In terris nomen Imperii primum fuit.* Imperium *Romanum* Monarchas ſuos habuit primùm *à Romulo*, deinde à *Iulio.*

lio. *Galli* Reges à *Pharamundo*, *Athenienſes* à
crope, *Angli* à *Britanno*, *Poloni* à *Lecho*, *Bohe-*
i à *Zecho*, *Dani* à *Dano*, *Sueci* à *Magosâ*, *Scoti* à
regatio.

II. *Maximè naturalis* eſt ſtatus Monarchicus:
am & ipſe autor naturæ DEVS exercet regi-
en Monarchicum, qui Monarchiæ inſignia paſ-
m naturæ impreſſit.

Apiculis Rex unus eſt: *Armentis* Rector unus:
iruibus Dux unus. *Planetarum* & inferioris
nundi moderator unus, Sol. Vnde *Alexander*
d *Darii* legatos ajebat: *Non magis mundum poſſe*
regi à duobus capitibus, quàm à duobus Solibus.

III. *Tranquillus* eſt, & minimè mutationi ob-
noxius, quia rarius unus, ſecum multi ſæpiſſimè
diſſident: & plures gubernatores licet artem no-
verint, tamen invicem ſibi ſunt impedimento.
Vnde *Tacitus*: *Pacis intereſt omnem poteſtatem ad
unum conferri.* Idem: *Non aliud diſcordantis pa-
triæ remedium fuit, quàm ut ſub uno regeretur.*

IV. Appellatur autem *Monarchia* in ſpecie &
ſingulari ratione imperium in terris ſummum o-
mnibus aliis potentius vel iis ſubjugandis par:
Hujuſmodi imperia à condito mundo in hæc uſ-
que tempora numerantur *quatuor*, quæ ſibi ſuc-
ceſſerunt, ita ut ex prioris corruptione genera-
tum ſit poſterius.

Primum fuit *Aſſyriorum*, quod originem tra-
xit à *Nino Nimrodi* nepote: cæpit anno Mundi
1789. duravit annos 646.

Alterum fuit *Medorum* & *Perſarum*, cujus au-
tor *Arbaces*, cæpit An. 3435. duravit An. 207.

Tertium fuit *Græcorum*, cui initium dedit *A-
lexander M.* cæpit An. 3642. duravit in ſucceſſo-
ribus Alexandri, An. 300.

Quartum Romanorum, quod cæpit à *Iulio Cæ-
ſare*, & etiamnum durat, etſi valde imminutum.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Ariſtocraticus ſtatus eſt, in quo optima[illegible] certa lege reliquis præſunt: Quæ egregia quo[illegible] & nobilis gubernandi forma eſt, multis acco[illegible] modata Rebuſpublicis & civitatibus.

EXPLICATIO.

I. Cur eximia ſit hæc Reipublicæ forma; R[illegible] tio hæc eſt: *quia ab optimis & prudentiſſimis vi[illegible] conſilia proficiſci ſaluberrima conſentaneum eſt*; [illegible] *Megabytus* apud *Herodotum* diſſerit. Hinc Reſp[illegible] blicæ nonnullæ olim, exactis regibus, *optimatu[illegible] regimen* conſtituerunt. Commendatur quoq[illegible] forma hæc à *mediocritate*, quæ ubique laude[illegible] obtinet: Inter duas enim veluti extremas fo[illegible] mas, *Monarchiam* & *Democratiam* media eſt[illegible] non tam contracta ut *Monarchia*, neque tam di[illegible] fuſa, ut *Democratia*.

II. De *Ariſtocratica* gubernandi ratione quæ dam obſervanda monita politica:

(1.) *Patricii & Optimates dignitatem ſuam illa ſam conſervent; neque temerè matrimonia cum plebejis ineant, ad prohibendam familiarum confuſionem & ruinam.*

(2.) *Plebis conventus inhibeantur præſertim nocturni: ne pernicioſa contra optimates ineant conſilia.*

(3.) *Familiis patriciis priſcis extinctis ſurrogentur novæ, ad conſervandum Reipubl. ſplendorem.*

(4.) *Optimatibus in loco munito ædificare non liceat, ad ſuſpicionem affectati regni & invidiam plebis evitandam.*

(5.) *Turbata Republ. urbem optimates ne deſerant.*

(6.) *Cavendum ne Ariſtocratia in Oligarchiam degeneret:* plura vide apud *Adam. Contzen.* Polit. 1. c. 17. §. 4. 5. 6. 7.

THES. V.

Democraticus ſtatus eſt, in quo ad gubernacu-

la

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

univerſus ſedet populus, ſine cujus ſcitu, conſilio & permiſſu magni momenti nihil poteſt ſuſcipi: Qui non adeò laudatus & tutus eſt regiminis modus.

Explicatio.

I. Ratio eſt, quia ad motus & ſeditiones maximè proclivis eſt. Dominantur enim in hoc ſtatu ſæpè loquaces, factioſi & inquieti homines, quales olim *Athenis* erant, *Demoſthenes*, *Demades*, *Pericles* & *Alcibiades*. *Romæ Tribuni plebis*, qui labefactatâ optimorum autoritate, calumniosè accuſabant viros de Republica optimè meritos, & in diverſas factiones plebem ſcindebant. Interim laudari à nonnullis ſolet (1.) Quia *naturæ* maximè conſentanea eſt; eadem enim conditione omnes *natura* procreat, omnes æquè liberos, & ejuſdem participes juris. (2.) Quia in eâ *ſalus publica* omnibus eſt curæ. (3.) Quia in tanta regentium multitudine corrumpi facilè non poteſt. conſervant hunc ſtatum tria potiſſimum (1.) *Parendi & imperandi inter cives viciſſitudo.* (2.) *Magiſtratus ex quovis civium ordine creatio.* (3.) *Summa deliberationum reſervata populo.* Ariſtotel. libr. 4. & 6. Polit.

II. Controverſiam de *prærogativa inter formas Rerumpublicarum* plerique Politici decidunt, adhibitâ *diſtinctione*: Nempe formam Reipubl. conſiderari vel *abſolutè*, ex ipsâ rei naturâ, ſeclusâ circumſtantiarum conſideratione: vel *cum reſpectu* ad certas *temporum*, *locorum & perſonarum* conditiones & circumſtantias. *Priori reſpectu* præſtantiſſimam formam eſſe *Monarchiam*: *poſteriori* præſtantiorem eſſe modo hanc, modo illam formam: uti modo hæc, modo illa accommodatior eſt his vel illis temporibus, locis, perſonis. Populorum enim alii rectius & facilius reguntur *Monarchicè* quam *Ariſtocraticè*,

alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

alii contra &c. Interim hoc obſervetur: *po*
quamcunque Reipubl. formam & deterrimam
habendam & tolerandam, quàm nullam. Siquid
omni tyrannide & quovis corrupto civitatis ſ
tu deterior eſt *Anarchia: Chryſoſt.* in homil.
populum Antiochenum. ex *Monarchiâ, Ariſ*
cratiâ & *Democratiâ* temperatam laudat & o
nibus præfert *Adam. Contzen*, Polit. lib. 1. ca
21. Rationibus pro *Ariſtocratia* & *Democrat*
militantibus occurrit, cap. 22. ut & rationib
Machiavelli abſolutam Monarchiam laudanti
cap. 23.

CAPUT XXIX.

DE IMPERII ROMAni conſtitutione & ad Germanos translatione.

THESIS I.

F*Verunt modi adminiſtrationis togatæ generales:* ſequitur *ſpecialis* eorum applicatio ad Imperium Romanum.

THES. II.

Imperii Romani conſideratur in genere *corpus*, & in ſpecie *membra*.

THES. III.

Corporis totius conſideranda (1.) *Conſtitutio* (2.) *Translatio ad Germanos* (3.) *Præeminentia* (4.) *Diſtributio.* (5.) *Imminutio per partium alienationem.*

THES. IV.

Conſtitutio Imperii Romani cognoſcitur ex quinque gradibus ætatis, qui veluti in homine conſpicui & diſtincti ſunt, nempè (1.) *Infantia* (2.) *Adoleſcentia* (3.) *Iuventus* (4.) *Ætas ingraveſcens.* (5.) *Senectus.*

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. V.

Infantia annis circumſcribitur 245. quibus [R]omanus populus monarchicè gubernatus ſub [R]egum fuit Imperio, qui ſeptem fuerunt ordine [&] cum finitimis colluctati prima Imperii magni [ru]dimenta duxerunt, & fundamenta jecerunt.

EXPLICATIO,

Series & nomina horum ſeptem Regum fue[r]unt (1.) *Romulus* urbis conditor (2.) *Numa* [P]*ompilius*, qui floruit temporibus *Ezechiæ* Re[g]is (3.) *Tullus Hoſtilius* (4.) *Ancus Marcius* (5.) [T]*arquinius Priſcus* (6.) *Servius Tullus* (7.) *Tar[q]uinius Superbus.* De his egregium videatur *Flori* [j]udicium lib. 1. cap. 8. quantum ſinguli mirâ in[g]eniorum varietate contulerint ad Rempublic. Romanam inchoandam & paulatim formandam firmandamque.

THES. VI.

Adoleſcentia annis circumſcribitur 244. à tempore exactorum *Regum* uſque ad primum bellum *Punicum.* Hæc ætas *ariſtocraticè* per Conſules gubernata (quamvis & *Democratiæ* conſpicua in ea fuerint veſtigia) orbi terrarum in poteſtatem ſuam redigendo par eſſe didicit, & de plurimis atque infenſiſſimis hoſtibus, pleriſque tamen vicinis, glorioſiſſimè triumphavit, eximiæ fortitudinis exemplis florentiſſima.

EXPLICATIO.

Hâc ætate varii magiſtratus & officia tàm *politica* quam *ſacra* fuère conſtituta: *Conſules, Tribuni Militares, Præfectus urbis, Quæſtores, Prætores, Proconſules Decemviri, Triumviri, Ædiles, Cenſores, Dictatores.* Conſulendi heîc qui de magiſtratibus Romanis ſcripſerunt, qui multi ſunt, inter quos Feneſtella, Manutius, Zaſius & alii, vide

vide quoque *Adam. Contzen*, Polit. lib. 7. Læ quoque *Leges* 12. *tabularum*, anno urbis 302.

Exempla *fortitudinis* fuerunt in *Horatio*, *L. tio*, *Curtio*, *Manlio Torquato*, *Valerio Corvino*, *Coriolano*, *Camillo*, *Deciis*, *Curio*, *Appio Claudio*, *Fabricio*, *Quinctio Cincinnato*, *Servilio*, *Papyrio Curſore*, *Poſthumio* & aliis.

THES. VII.

Inventus annis circumſcribitur 262. à prim. bello *Punico* uſque ad mortem *Auguſti Cæſar.* Hâc ætate ſublimi attigit ſidera vertice Reſpub. Romana, quæ ſtatu Ariſtocratico etiamnu contenta, victricia arma per univerſum orbe circumtulit, & *Monarchiam quartam* conſtituit.

EXPLICATIO.

Miranda & fecit & paſſa eſt Reſpubl. Roman in *juventa* ſua: Tria bella *Punica* fortiſſimè confecit, etſi ingentes à *Pœnis* quoque clades accepit, quibus nobilitata loca, *lacus Thraſymenus* & *Cannæ*.

Devicta tum *Sardinia*, occupata *Macedonia*, debellata *Dalmatia*, exciſæ urbes potentiſſimæ, *Carthago*, *Corinthus*, *Numantia*.

Repreſſi & victi populi, *Cimbri*, *Ligures*, *Galli*, *Hiſpani*: Oppreſſæ ſeditiones *Gracchiana*, *Apulejana*, *Druſiana*, *Catilinaria*.

Sopita bella *civilia* & omnia magnitudinis obſtacula in nihilum redacta.

THES. VIII.

Ætas ingraveſcens annis circumſcribitur 213. à morte *Auguſti Cæſaris* uſque ad *Gallienum*. Hâc ætate à ſtatu Ariſtocratico, auſpiciis *Iulii* & *Auguſti*, ad Monarchiam revoluta Reſpubl. Romana, vitæ tranquillioris otia ſectari cępit, & de virtute priſtinâ remittere, furore, qui hoſtibus de

beba-

ebatur,in innocentes *Chriſtianos* converſo. Etſi
nterim culmen ferè attigerunt *literarum* ſtudia.

EXPLICATIO.

I. Monarchicæ adminiſtrandi formæ in *Re-
publ. Romana* fundamenta jecit *Iulius Cæſar*, an-
no mundi 3900. annis ante natum *Chriſtum*, cir-
citer 50. Interim aliquod adhuc Ariſtocratiæ
manſerat veſtigium. Ab hoc ad *Auguſtum Cæſa-
rem* tranſmiſſa ſunt Reipubl. gubernacula, quæ
ad formam monarchicam magis traducta. Com-
munis ſententia eſt, interfecto *Iulio* Romanum
populum omne ſuum jus, omneque imperium
ac Majeſtatem, *Lege Regiâ*, in *Octavium Augu-
ſtum* contuliſſe. Hoc tamen an veritati hiſtoricæ
ſatis ſit congruum, docti nonnulli viri valde du-
bitant:quia poteſtatem hanc principibus à popu-
lo Romano conceſſam negant *Dio*, *Tacit. Sueto-
nius*, *Cicer.* ſed partim donis & dolis,partim vi &
armis aſſumptam, non ſine populi contradictio-
ne: vide *Tacit.* initio Annal. *Dion.* lib.53. *Sueton.*
in *Auguſto* cap. 10. n. 26. 34. 35. Non adeò com-
mendaret *Legem Regiam* hæc origo. Sit fides pe-
nes Autores, vide lib. 2. cap.11. th.6. expl.2. Sub
hujus Imperatoris anno 42. natus eſt *Chriſtus*,
Auguſto ſucceſſit *Tiberius*, cujus anno 15. *Chriſtus*
annum complevit 30. Ab hoc *Tiberio* incepit æ-
tas ingraveſcens, & excurrit ad *Gallienum* uſque,
ſub Imperatoribus 30. Inter quos plurima fuere
portenta & prodigioſa monſtra: ut *Caligula*, *Ne-
ro*, *Vitellius*, *Domitianus*, *Commodus*, *Maximinus*,
Decius, *Valerianus* & alii. Cæperunt tum paula-
tim à Romano Imperio deficere extera regna,
Imperatoribus ad luxum converſis.

II. Hæc ætas graviſſimè *Chriſti eccleſiam* af-
flixit, ſiquidem in eam inciderunt diſtinctæ
perſecutiones Chriſtianorum, quæ Chriſtiano-

rum innumerabilia millia abſumpſerunt. Su *Decio*, anno *Chriſti* 150. ſcribit *Nicephorus*, mar tyrum numerum non magis quam arenam ma ris numerari potuiſſe.

Nihilominus literarum ſtudia floruerunt in hac ætate, quæ clariſſimos habuit

(1.) *Poëtas*, inter quos *Ovidius, Perſius, Lucanus Martialis, Statius.*

(2.) *Hiſtoricos*, inter quos *Livius, Tacitus, Dio Suetonius, Florus, Plutarchus, Pauſanias, Strabo, Iuſtinus* & *Valerius Maximus.*

(3.) *Philoſophos*, inter quos *Plinius, Seneca, Proclus, Plutarchus, Quintilianus, Ptolomæus, Gellius.*

(4.) *Medicos*, inter quos princeps *Galenus.*

(5.) *ICtos*, inter quos *Labeo, Vlpianus, Papinianus.*

THES. IX.

Senectus annis circumſcribitur 214. à *Gallieno* uſque ad *Auguſtulum*, ſub quo Imperium *Occidentis*, ſeu Romanum ab *Oriente* avulſum, & à Barbaris, *Herulis*, *Gothis* & *Longobardis* uſque ad *Carolum Magnum* per 300. annos occupatum eſt. Effœta hæc ætas cum *cædibus* tùm *hæreſibus* graviter quoque eccleſiam afflixit.

EXPLICATIO.

I. Monarchia Romana ante *Conſtantinum Magnum* unica, uniuſque ſedis, *Romæ*, poſt mortem *Conſtantini Magni*, per ipſum *Conſtantinum*, diviſa & quaſi gemina eſt facta: à quo tempore *Aquila Romana* biceps quoque facta, & Imperium Romanum *in Orientale* & *Occidentale* diſtincta: *Conſtantio*, Conſtantini F. aſſignatum eſt imperium *Orientis*, cujus ſedes *Conſtantinopolis*. *Conſtanti* & *Conſtantino*, Fratribus Conſtantii, ceſſit Imperium *Occidentis*, cujus ſedes Roma: *Oriens* Græcos, *Occidens* Latinos Imperatores habuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

uit. Prima hæc Imperii diviſio incidit in annum
hriſti 339.

II. Imperium *Occidentale*, quod Romæ in *Ita*-
ia cœperat, ſub *Auguſto*, deſiit ſub *Auguſtulo*,
ui, annis poſt *Auguſtum* circiter 500. ultimus
uit *Occidentis* Monarcha & Cæſar, ab *Odoagro*
ege *Herulorum* coactus Imperio ſe abdicare:
Vnde ab *Herulis*, *Gothis* & *Longobardis* ultra 300.
nnos occupata Italia: & ſolo *Oriente* quarta hæc
Romanorum Monarchia concluſa eſt: Etſi *Dyna*-
ſtiæ Longobardicæ, quæ ultra 200. annos excurrit,
oppoſitus ab Orientis Imperatore Iuſtino *exar*-
chatus ſeu vicariatus, cujus *Ravennæ* in *Italia* ſe-
des fuit per annos 156. *Exarchatus* hic tandem ad
pontifices Romanos pervenit, anno Chriſti 743.

III. In hanc ætatem incidit *decimæ eccleſiæ*
perſecutio, ſub Imperatore *Diocletiano*, quæ per
totum Imperium Romanum decennalis fuit, quâ
intra 30. dies ſeptendecim millia Chriſtianorum
ad varia ſupplicia ſunt rapti, & in iis quoque Im-
peratrix *Serena*.

Surrexerunt quoque varii *Hæreſiarchæ*: *Nova*-
tus, *Sabellius*, *Samoſatenus*, *Manichæi*, *Donatiſtæ*,
Photinus, *Ætius*, *Eunomius*, *Macedonius*, *Apolli*-
naris, *Neſtorius*, *Eutyches* & alii.

Thes. X.

Hactenus Imperii Romani conſtitutio: Sequitur
ejuſdem à *Romanis* ad *Germanos* tranſlatio, quæ
facta à *Carolo Magno*, Francorum Rege, Filio *Pi*-
pini, qui è *Germanis* oriundus, maximâ Germa-
niæ parte in poteſtatem ſuam redactâ, tandem
ex *Italia* quoque *Longobardos* ejecit, & Occiden-
tis Imperium recuperavit, atque ad *Germanos*
tranſtulit, anno Chriſti 800.

Explicatio.

I. *Franci* Germaniæ populi Galliam ſæpius
 tenta-

tentatam tandem in poteſtatem ſuam redeg[erunt]. Vnde *Franciæ* nomen ſortita *Gallia*. Int[er] Reges *Francorum* fuit *Pipinus*, qui *Franciæ* r[e]gnum nihil ad ſe pertinens occupavit, faven[te] *Zachariâ Papâ*, & filio ſuo *Carolo* reliquit: qui a[d] obſequium priſtinum Galliæ civitates redegit, [&] *Sueviæ* atque *Bavariæ Saxoniam*, *Pannoniam*, *Daciam*, *Iſtriam*, *Hyberniam* & *Dalmatiam* adj[e]cit. *Italiam* totam ab *Alpibus* ad extremam u[ſ]que *Calabriam*, ejectis *Longobardis*, ſubjugavit. Et ſic per principem hunc *Germanum* ad *Germanos* tranſlatum eſt *Occidentis* Imperium. Anno demum 33. regni ſui ſalutatus eſt *Imperator Auguſtus*: qui viginti annorum juvenis Patri in amplisſimis regnis feliciſſimè ſucceſſit.

II. *Pipino* & *Carolo Magno* donationem debent Pontifices Romani, quam ad *Conſtantinum Magnum* falſò referunt. Cur autem pro falſa & fictitiâ habenda ſit iſta *Conſtantini Magni* donatio, quam acerrimè propugnant Pontificii Scriptores & ICti plurimi, hæ ſunt rationes:

(1.) Quia diverſę & planè repugnantes iſtius donationis formulæ ab autoribus & quidem ſuſpectis recitantur: vide *Daniel. Ott.* de jure publ. cap. 4.

(2.) Quia donationis hujus plane nulla in jure civili fit mentio.

(3.) Quia probati autores, qui vitam *Conſtantini M.* deſcripſerunt, ut *Zonaras*, *Euſebius*, *Sozomenus*, *Socrates*, *Zoſimus*, &c. & longè minora in literas retulerunt, nullam quoque donationis hujus mentionem faciunt.

(4.) Quia Papa *Sylveſter*, cui facta donatio dicitur anno Chriſti 337. mortuus eſt anno 330.

(5.) Quia *Conſtantinus M.* Imperium inter tres ſuos filios diviſit, & *Conſtantino* occidentem, *Conſtantio* orientem & *Conſtanti* partes inter-

interjectas aſſignavit: nihil Pontifici.

III. *Imperium occidentis* Romanum *Carolus* non accepit à *Pontifice Romano*, ut imprudenter nonnulli ſcribunt: Quod enim *Papa* nunquam habuit, id dare *Carolo* non potuit, aut ad *Germanos* transferre. Obtinuit autem id *Carolus* duplici jure.

(1.) *Belli:* quia Italiam *Longobardis* bello *Carolus* extorſit, quam pace reſtitutâ, legibus & præſidiis munivit.

(2.) *Tranſactionis:* quia *Orientis* Imperatores, tanquam veri *Occidentis* Domini, omne jus ſuum, quod habuerunt in *Occidentem*, *Carolo* conceſſerunt, qui ad ſucceſſores ſuos idem tranſmiſit. Si quid *Pontifex* contulit, ut pars Romani populi contulit conſenſu ſuo. Non enim Romani Imperii fragmenta in ſuo habuit marſupio & poteſtate. *Carolum* hunc in *Galliâ* natum, linguâ, moribus & inſtitutis Gallicanis cum Majoribus ſuis educatum, & per hunc ad *Gallos* imperium eſſe tranſlatum, contendit *Bodinus* & cum eo recentes nonnulli Galli. Sed fruſtra & ſine idoneo fundamento: conſtat n. evidentibus argumentis *Carol. M.* natione *Germanum* fuiſſe natum in villâ *Ingelheim* duobus circiter milliaribus *Moguntiâ* diſtante, vel, ut alii volunt, in arce Karlsbergî, ſuperioris Bojariæ, habitu uſum Germanico linguâque Germanicâ, in quâ Grammaticam conſcripſit, ut & menſibus atque ventis nomina impoſuit Germanica: Euangelia quoque rhythmis edidit Germanicis: quodque cùm literis tùm religioni Chriſtianæ admodum deditus eſſet, piiſſimi & Chriſtianiſſimi nomen meruit. Autores in hanc ſententiam videantur apud Dan. Otth. de I.P. cap. 5. & Limnæum de I.P. lib. 1. cap. 5. Obſervetur

tur *Tholoſanum*, & ipſum Gallum, heîc co-
tradicere *Bodino*, *Carolumque* Germanis tra-
ſcribere.

IV. Quæritur: *An modernum imperium* *Germanos tranſlatum & hodie fere intra ſol* *Germaniæ limites concluſum, adhuc rectè dicat* *& ſit Romanum.*

Reſp. Affirmativam defendunt plerique.

(1.) Quia adhuc hodiè in noviſſimis Imper conſtitutionibus *Romanum* appellatur: no utique ſine urgentibus cauſis.

(2.) Quia *inſignibus* utitur priſci *Romani* Imperi

(3.) Quia ab *origine* citra controverſiam fui *Romanum* & poſtmodum penitus mutatun non eſt.

(4.) Quia à *Romanis* ad *Germanos* fuit tranſla- tum: Atqui non poſſet dici tranſlatum, ſi *Ro- manum* dici non deberet.

V. *Alii* tamen negativam amplectuntur ra- tionibus non paucioribus.

(1.) Quia *caput*, hoc eſt, *Romam*, unde nomen traxit, amiſit.

(2.) Quia præter *caput*, præcipua quoque corpo- ris priſci *membra*, *Aſiam*, *Africam*, & maxi- mam *Europæ* partem amiſit.

(3.) Quia jus & poteſtas eligendi eſt penes *Ger- manos*, & nonniſi ex *Germanis* eligi poteſt.

(4.) Quia in *Germaniam* eſt tranſlatum: Vnde ab antiquis ſcriptoribus paſſim appellatur Im- perium *Germanorum*.

(5.) Quia Imperium *Perſicum* ad *Græcos* tranſla- tum, poſt tranſlationem, nemo *Perſicum* ap- pellavit, ſed omnes *Græcum*: Ita à *Græcis* ad *Romanos* tranſlatum nemo *Græcum* porrò ap- pellavit. Neque *Turcicum* hodie *Romanum* appellatur: etſi magnam veteris Romani Im- perii partem complectitur: quamvis *Soliman-*

nus

nus olim ſe potius, quàm *Carolum V.* Romanum eſſe Imperatorem jactarit; quod belli jure ſucceſſor eſſet *Conſtantini M.*

VI. Ad litem hanc decidendam ante omnia conſtituenda *definitio Imperii Romani* proprie ſic dicti: de quâ Politicis laborandum. Inde facile erit judicare de partis utriuſque argumentis.

CAPVT XXX.

DE IMPERII ROMANI præeminentia, diſtributione & imminutione per partium alienationem.

THESIS I.

IMperii Romani ad Germanos tranſlationem ſequitur *præeminentia*, quâ omnibus aliis mundi regnis auguſtius & ſublimius eſt jure *ſucceſſionis* & *gubernationis*.

EXPLICATIO.

Succeſſionis jure; quia ſucceſſit in locum priſtini illius Imperii Romani ampliſſimi & maximi, ejuſque juribus, præeminentiis & privilegiis fruitur.

Gubernationis jure: quia gubernatio ejus *divina* eſt incomprehenſibilis & admiranda. *Humana* verò prudens legibus & armis munitiſſima, nullumque recognoſcit ſuperiorem, niſi *DEVM* & *enſem*: Inſuper auguſtâ quâdam ordinum *Ariſtocratiâ* ſapientiſſimè temperatam habet *Monarchiam*, cui ſimilem in mundo videre non eſt. Hinc omnes exteri, exceptis planè barbaris, intelligunt, *debere ſe Imperii Romani majeſtatem obſervare comiter*: quod multis ICtorum & Hiſtoricorum teſtimoniis probantem vide *Theodo-*

rum Reinkingk de regim. ſecul. lib. 1. claſſ. cap. 6. Memorabilis confeſſio eſt *Alphonſi* Reg Neapolitani: *Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam ſummo Regi, qui eſt caput & Dux Regum.*

Prærogativæ hujus argumenta petit idē Autc

(1.) Ab *Antiquitate*, quam *Iuſtinianus Imperator* ab *Ænea Trojano* Rege accerſit: Novell. 47

(2.) A *Majeſtate urbis Romæ*, quæ orbis terrarum Domina & caput fuit.

(3.) A *Felicitate & dignitate populi Romani veteris*, qui totum terrarum orbem ſibi junxit & imperio preſſit.

(4.) A *Dignitate populi & nationis Germanicæ*, ad quam tranſlatum Imperium.

(5.) Ab *Amplitudine*; qua totum orbem olim eſt complexum Imperium Romanum: neque putatur hæc dignitas extincta, etiamſi longe arctioribus ſpatiis modo Imperium contractum eſt, temporum hominumque injuria.

(6.) A *Teſtimonio ipſius Turcæ*, qui Anno 1614. Imperatorem ita compellavit: Auß den Potentaten Jeſu der fürnehmſte/ vnd zwiſchen dem Geſchlechte Jeſu erwehlter fürnehmſter Herr aller Chriſtlichen Völcker/ein Vorſteher vnd Adminiſtrator der Gerechtigkeit / vnſer Nachtbar vnd guter Freundt *Matthias*. Hinc Imperatoris legati in aula *Turcica* omnibus aliis præferuntur, & ſoli *ſedendo* mandata ſua coram *Turca* exponunt.

(7.) A *Tacito conſenſu omnium regum.*

(8.) A *Creatione Regum*: cujus exempla adduximus, cap. 32. th. 8. expl. 2.

(9.) A *Vaticiniis Prophetarum*: quia Imperium Romanum eſt unum è quatuor illis magnis regnis, quæ à *Prophetis* ſunt prædicta.

Nos decimum addimus, minime negligen-

dum,

lum, ab *abſolutâ ſuperioritate.* Imperator Romanus neminem, præter ſolum DEVM, recognoſcit ſuperiorem: cum potentiſſimi alii Reges ratione quorundam Ducatuum *Imperatoriam Majeſtatem* recognoſcant; vel alios Reges. Sic *Rex Hiſpaniæ* ratione *Burgundiæ*, Vaſallus eſt Imperatoris, *Rex Daniæ*, ratione *Holſatiæ*. *Rex Scotiæ* eſt Vaſallus *Regis Angliæ*. Interim & alii ſunt Reges, qui neminem recognoſcunt. Idem hoc *Romanum Imperium* κατ' ἐξοχὴν *ſacrum* appellatur, Germ. Das heilige Römiſche Reich: cujus appellationis hæ ſolent reddi rationes:

(1.) Quia regnum eſt Magnum. Vnde ſacrum quandoque idem eſt, quod magnum: ut ſacra fames, hoc eſt, magna: ſacrum os in humano corpore, hoc eſt, magnum.

(2.) Quia ſub hoc Imperio Salvator Mundi voluit naſci, & id ſibi quaſi conſecravit.

(3.) Quia potiſſima militantis Eccleſiæ pars eſt in hoc Imperio.

(4.) Quia eſt venerabile, hoc eſt, inviolabile & ab hominum injuriis defenſum atque munitum: quod ſine capitali periculo nequit violari.

Obiter obſervetur notatio *Germanorum*, vel *Germani*, de qua diſcrepantes ſunt ſententiæ. Putant nonnulli dictos *Germanos* à fraterna dilectione, quo ſenſu Germani fratres dicuntur: celebris eſt antiqua *Germanorum* fides & ſinceritas: alii à germine, quia nobilitatis germen eſt in *Germania*: alii à Gerra, hoc eſt, bello: quia bellicoſi viri ſunt *Germani*: alii à ger / ſeu gar: unde *Germanus*, quaſi, prorſus & planè vir. De Germanorum origine, nominibus, virtutibus, vitiis, linguis, vide *Limnæ*. de I. P. lib. 1. cap. 6.

THES. II.

Diſtribuitur in *Claſſes* & *Circulos*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. III.

Claſſes ſunt ſeptem, quarum (1.) habet *Electores* (2.) *Archi Epiſcopos* (3.) *Epiſcopos* (4.) *Principes Politicos* (5.) *Prælatos* (6.) *Comites & Barones* (7.) *Civitates Imperiales liberas.*

EXPLICATIO.

I. *Electores* ſunt ſeptem; quorum alii *Eccleſiaſtici.* nempè *Archiepiſcopi* tres: *Moguntinus*, Imperii Romani per Germaniam Archi Cancellarius: *Trevirenſis*, Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archi Cancellarius, Galliæ Belgicæ Primas: *Colonienſis* Imperii per Italiam Archi Cancellarius.

Alii *Seculares* & *Politici*, qui quatuor ſunt: *Comes Palatinus Rheni*, Imperii Archidapifer: *Dux Saxoniæ*, Imperii Archi Mareſchallus: *Marchio Brandeburgicus*, Imperii Archi Camerarius: *Rex Bohemiæ*, Imperii Archipincerna.

II. *Archiepiſcopi* ſecundæ claſſis ſunt quatuor: *Magdeburgenſis*, *Salisburgenſis*, *Bremenſis* & *Veſontinus*. *Archiepiſcopis* proximus *Magiſter ordinis Teutonici*, omnibus Epiſcopis ſuperior.

III. *Epiſcopi* plures in Comitiis locum habent, nonnulli XXXI. numerant, inter quos *Herbipolenſis*, *VVormatienſis*, *Spirenſis*, *Argentinenſis*, *Eichſtadienſis*, *Auguſtanus*, *Conſtantienſis*, *Hildeſienſis*, *Padebornenſis*, *Monaſterienſis*, *Oſnabrugenſis*, *Metenſis*, *Halberſtadenſis*, *Ratisbonenſis*, *Mundenſis*, *Lubecenſis*, *Tridentinus*, *Brixienſis*, *&c.* *Epiſcopis quoque accenſentur Abbas Fuldenſis*, *Abbas Hirſchfeldenſis*, *Corbeienſis & alii*, *&c.*

IV. Principum *Politicorum* familiæ à nonnullis numerantur octodecim. *Archiduces Auſtriæ*, *Duces Bavariæ*, *Duces Saxoniæ*, *Marchiones Miſniæ & Landgravii Thuringiæ*, *Marchiones Brandeburgici*, *Duces Brunsvicenſes & Luneburgenſes*,

Duces

Duces Iuliacenſes, Duces Pomeraniæ, Duces Me-
apolitani, Duces VVirtembergici, Landgravii
Haſsiæ, Marchiones Badenſes, Duces Lavenburgi-
ci, Duces Holſatiæ, Landgravii Leuchtenburgici,
Duces Sabaudiæ, Principes Anhaltini, Duces
Lotharingiæ. Accedunt etiam *Razivilii, Lithua-*
niæ Principes.

V. *Prælati* quintæ Claſsis, *Comites* & *Barones* ſextæ Claſsis, ſunt plurimi. Inter comites modò illuſtres ſunt familiæ: Comites *Ottingenſes, Sol-menſes, Leiningenſes, Hohenloici, Hanovici, Erpa-cenſes, Schuuartzburgenſes, Iſenbergici, Naſſovii, Mansfeldenſes, VVitgenſteinenſes, Bentheimenſes, Stolbergenſes, Lippenſes, Oldenburgici, Rheingra-vii,* &c.

VI. *Civitates liberæ* Imperiales in *Suevico* & *Rhenano latere* ſunt ultra ſexaginta: In quibus nobiles in *latere Rhenano* ſunt *Conſtantia, Argen-tina, Spira, VVormatia, Francofurtum ad Mœ-num, Colonia Agrippinenſis, Aquugranum.*

In *Latere Suevico Ratisbona, Norinberga, Heil-brunna, Vlma, Auguſta Vindelicorum, Schvvein-furtum. Norinberga, Memminga, Goslaria.*

THES. IV.

Circuli ſunt decem (1.) *Francicus* (2.) *Bavari-cus* (3.) *Auſtriacus* (4.) *Suevicus* (5.) *Superior Rhenanus*(6.) *Quatuor Electorum ad tractum Rhe-ni* (7.) *VVeſtphalicus* (8.) *Superior Saxonicus* (9.) *Inferior Saxonicus* (10.) *Burgundicus.*

EXPLICATIO.

I. Quilibet Circulus continet tres ſtatus: *Ec-cleſiaſticorum: Secularium*, & *civitatum Imperii liberarum.*

In *circulo Francico Eccleſiaſtici* ſunt Epiſcopi, *Bambergenſis, Herbipolenſis, Eichſtadienſis*, &c. Principes Seculares & Comites, *Marchiones Bran-deburgici, Onoldini, Comites Hennebergici, Hohen-loici,*

loici, Schvvartzenburgici, &c. Civitates libera *Norinberga, Rotenburgum* ad *Tubarim, Schvvein furtum*, &c.

II. In *circulo Bavariæ Eccleſiaſtici* ſunt, Archiepiſcopus, *Salisburgenſis*: Epiſcopi, *Ratisbonenſis, Paſſavienſis*, &c. Principes & Comites, *Du. Bavariæ, Comites Palatini Rheni, Landgravius Leuchtenbergicus*. Comites *Ortenburgici*, Civitates *Ratisbona, Freiſtadium*, &c.

III. In *circulo Auſtriaco* ſunt Epiſcopi *Tridentinus, Brixienſis, Labacenſis, Viennenſis*, Principes, *Archiduces Auſtriæ*, &c. NB. In hoc circulo nulla eſt Civitas libera Imperialis; quo nomine diviſio circulorum ſingulorum in tres ordines, reprehenditur à *Limnæo*, de Iur. Pub. lib. 1. cap. 7. nu. 31. Attamen propter hanc exceptionem non plane abolenda eſt regula.

IV. In *circulo Suevico* ſunt Epiſcopi, *Conſtantienſis, Curienſis, Auguſtanus* & multi *Abbates*. Principes *Dux VVirtenbergicus, Marchio Badenſis*. Comites *ab Hohenzollern, Helphenſtein, Ottingen, & Furſtenberg*. Civitates *Auguſta Vindelicorum, Vlma, Memminga, Reitlinga, Heilbrunna, Lindavia, Conſtantia, Norlinga, Rotvvila*, &c.

V. In *circulo ſuperiori Rhenano* ſunt Epiſcopi, *VVormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Baſilienſis*. Principes: *Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, Duces & Comites Palatini, Landgravii Haſsiæ*, Comites *VValdecii, Naſſovii, VVitgenſteinii, Falckenſteinii, Iſenburgici, Leiningenſes*, &c. Civitates *Mulhuſa in Alſatia, Colmaria, Keiſersberga, Argentina, Hagenoa, Spira, VVormatia, Francofurtum ad Mœnum*, &c. quo referebantur olim *Geneva, Baſilea, Loſanna & Metæ*.

VI. In *circulo quatuor Electorum ad Rhenum, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Palatinus*: Civitates, *Moguntia, Colonia, Treviri, Gelnhuſa*.

VII. In

VII. In *circulo VVeſtphalico* ſunt Epiſcopi *Pa-ebornenſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Verden-ſis, Mundenſis, Vltrajectinus.* Principes, *Duces Cli-viæ & Comites Marchiæ, Duces Iuliacenſes & Ber-genſes.* Comites *Embdanus, Friſiæ Orientalis, Bent-heimenſis, Oldenburgicus*, &c. Civitates. *Aquiſ-granum, Duisburgum, Lemgovia.*

VIII. In *circulo ſuperiore Saxonico Epiſcopi, Miſnenſis, Martisburgenſis, Brandenburgenſis, Ha-velbergenſis, Lubecenſis.* Principes, *Duces Saxo-niæ, Marchio Brandenburgicus, Dux Pomeraniæ, Principes Anhaltini*, Comites *Mansfeldii, Schvvartzburgici, Stolbergenſis, Gleichenſis, Ho-henſteinii*; Civitates olim *Gedanum, Elbinga*, &c.

IX. In *circulo inferiore Saxonico* ſunt Archie-piſcopi *Magdeburgenſis* & *Bremenſis*: Epiſcopi, *Hildeſienſis, Lubecenſis, Suerinenſis, Sleſuuicenſis.* Principes, *Rex Daniæ*, nomine certarum provin-ciarum, *Duces Brunovicenſes, Lunæburgenſes, Lavvenburgenſes, Megapolitani, Holſatiæ.* Civita-tes, *Lubeca, Hamburgum, Northuſa, Muhlhuſa, Goslaria, Gottinga*, &c.

X. In *circulo Burgundico* præcipui Principes *Belgii*, & ipſe *Dux Burgundiæ.* Comites *Egmon-tani, Hornani*, &c.

XI. Nota.

(1.) Olim non niſi ſex erant circuli, *Franconicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus, VVeſtphalicus, Saxonicus*: quorum potiſſimus erat uſus in præſentandis Cameræ aſſeſſoribus. Poſtmo-dum cum Auſtria & Burgundia monſtraſſent ad ſe quoque præſentationem pertinere, prio-ribus ſex circulis additi ſunt duo, *Auſtria-cus* & *Burgundicus*, ſub Imperatore *Maximi-liano.*

(2.) Iura *circulorum* ſunt: 1. Quilibet ſibi po-teſt ducem eligere, einen Krayß Oberſten / ſive

ſive ex eodem circulo, ſive ex alio, modo pe
ſona ſit idonea. 2. *Circuli* inter ſe conventi
poſſunt agere in causâ *ordinariâ*, qualis eſt r
monetaria; & *extraordinariâ*, quando de cor
tributionibus, de conſervatione pacis public
& executione contra contumaces agitur.

(3.) Omnes *Imperii ſtatus* Cæſaris & commun
conſenſu procerum in *Album* ſeu *Matriculan*
Imperii ſunt recepti: Vnde ſola hæc in *Matri*
culam Imperii receptio, ſtatum Imperii non
nullis perpetuò & neceſſariò arguit: *Limnæ*
de I. P. lib. 1. c 7. num. 91. Eſt autem *matricu-*
cula Imperii catalogus, in quem ſtatuum Im-
perii nomina ſolenniter ſunt relata, & in quo,
quantum cuique horum Imperii neceſſitati-
bus contribuere conveniat, expreſſum legi-
tur.

Matricula Imperii ſubinde renovata eſt: anti-
quiſſima confecta dicitur ſub Imperat. *Sigiſmun-*
do An. 1431. quam alii referunt ad *Fridericum*
III. An. 1465. quam variæ inſecutæ mutationes
An. 1471. 1480. 1481. 1486. &c. *Limnæ*. lib. 1. cap.
7. §. 69. 70. 71.

THES. V.

Fuit diſtributio Imperii: ſequitur imminutio
per partium alienationem, & *exemtiones*, quæ ti-
tulo nituntur *aliquo*, vel *nullo*.

THES. VI.

Qui *aliquo exemptionis* titulo nituntur, alle-
gant, vel *conventionem*, ut Florentini & Genuen-
ſes: vel *privilegium*, ut Veneti: vel *oppignoratio-*
nem, ut Electores Rhenani: Vel *præſcriptionem*,
ut Veneti: Vel *occupationem bello factam*: Quo
titulo Galliæ Reges ſibi vendicant Metas & Ver-
dunum, olim liberas Imperii Civitates.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

Florentini & *Genuenſes* ex titulo *emptionis* li-
ertatem *ſibi* vendicant, teſte *Bodino*, *Sigonio* &
liis.

Electores Rhenani tenent vectigalia nonnulla
mperialia, oppida, proprietates & jura, titulo
ignorum. Quia cum *Carolus IV*. filium ſuum
Venzeslaum deſignari Cæſarem vellet, promiſit
nicuiq; Electori centum aureorum millia: quæ
um ſolvere non poſſet, oppignoravit illis *telonia*
& *vectigalia*, *imperialia* oppida quædam, pro-
prietates, & jura. Hujuſmodi tamen alienatio-
nem nullo niti jure, ICti docent: quia Impera-
tor dominus dicitur non quò ad *proprietatem*;
ſed quò ad *gubernationem* & *protectionem*. Nam ſi
proprietatis eſſet Dominus, utique ad hæredes
transferret bona Imperii: quod tamen fieri nul-
lo jure poteſt.

Thes. VII.

Nullo exemtionis titulo qui nituntur, hoc tan-
tùm dicunt, ſe, vel majores ſuos noluiſſe mune-
ra, functiones, Collectas & Comitia Imperii a-
gnoſcere, atque ita ipſo facto ſe exemiſſe. In hoc
cenſu multa ſunt regna, principatus, Reſpublicæ.

Explicatio.

I. Quanta autem *Imperii Romani* facta ſit im-
minutio, intra proximos ſaltem 200. annos, ex
Imperii *matricula* videre eſt, quam *Fridericus*
III. Imperator in Comitiis *Ratisbonenſibus*, anno
1471. conſcribi & in Imperii acta juſſit referri:
quæ vulgata ſuperioribus annis à *Melchiore Gol-
dasto*. Habebant tum in Comitiis Imperii *jus ſuf-
fragii* XI. Reges, nempe Rex *Franciæ*, ſub An-
glis, Rex *Hungariæ*, Rex *Poloniæ*, Rex *Angliæ*,
Rex *Scotiæ*, Rex *Hiberniæ*, Rex *Daniæ*, Rex *Sue-
ciæ*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ciæ, Rex *Norvvegiæ*, Rex *Dalmatiæ*, Rex *Croat*, Epiſcoporum, Principum, Comitum & Baronum numerum ſuis deinceps locis annotabimus.

II. Alii *diminutionis Imperii Romani* tres conſtituunt cauſas, inter quas.

(1.) *Avaritia & tyrannis Pontificum Romanorum*, qui in Imperatorum Romanorum Majeſtatem olim vehementer ſævierunt, & non tantum ipſi cum Imperatoribus de principatu contenderunt, ſed cum aliis regibus eos commiſerunt ſubditosquè Principes & Reſpublicas ab iis alienarunt. Vnde in *excommunicatione Henrici* IV. hæc occurrunt verba. *Toto regno Germaniæ atque Italiæ ei interdico, & omnes Chriſtianos vinculo ſacramenti, quo ſe illi obſtrinxerunt, exſolvo, &, ne quisquam ei obtemperet, veto. Sigon.* lib. 9. hiſt. Ital. Hinc afflicta Imperii majeſtas, avulſa regna, principatus & Reſpublicæ. Hac moti Pontificum *tyrannide* & *avaritiâ* cum viderent Imperatores ſatiari eam aliter & ſecuritati ſuæ conſuli haud poſſe, Principatus & Reſpublicas Italiæ paulatim dimiſerunt, & *Harpyarum* illarum unguibus permiſerunt.

(2.) *Exemtiones*: quando regna, provinciæ, ditiones & Reſpublicæ Imperio Romano olim ſubjectæ ſe exemerunt vel *totaliter*, quo ad onerum præſtationē & ſuperioritatis recognitionem, vel *ex parte* tantum, quoad onerum præſtationem, contributionem, nec non ſubjectionem, Imperii majeſtate interim non ſpretâ. Vbi tamen exemtionum harum cauſæ ſunt variæ, quas theſi 6. & 7. attigimus. Hoc modo ab Imperio avulſa *Italia*, pro quâ Donationis titulum prætendit Papa. *Hiſpania*, quæ & ipſa gemino nititur titulo, *præſcriptionis*

nis immemorialis & *aſſertionis* à tyrannide Arabum factæ à regibus Hiſpanis, ſine ullo Cæſarum auxilio. *Gallia*, quæ nonnullis titulum exemptionis non videtur habere. *Portugallia* occaſione Hiſpaniæ exempta, *Britannia*, quæ oſcitante Cæſare, *Innocentio* III. tributaria facta eſt, eidemque poſtmodum à Regibus extorta. *Dania, Hungaria, Polonia, Neapolis* & *Sicilia*, quæ ſpolio Papæ ceſſerunt. *Arelatenſe regnum*, quod venditum ab *Henrico* V. *Florentia*, quæ ſex millium ducatorum pretio ſe exemit ſub *Rudolpho* I. *Boruſſia*, *Livonia*, nullo titulo. *Ducatus Mediolanenſis*, quem, defuncto ſine hæredibus Duce, *Carolus* V. *Philippo* ſuo filio dedit & regno *Hiſpaniæ* adjecit. &c.
(3.) *Diſſidia ſtatuum* per quos exteri reges ſolicitati in auxilium non paucas *Romanæ Aquilæ* pennas evulſerunt. De Provinciis & Civitatibus, ab Imperio avulſis & quæ videntur avulſæ, conſule *Limnæ*. de I. P. lib. 1. cap. 9.

CAPVT XXXI.

DE IMPERATORIS ROmani electione, capitulatione, Iuramento confirmata, & Coronatione.

Thesis. I.

Hactenus *Imperii Romani corpus*: ſequuntur *membra*, quæ ſunt *Cæſar* vel *Status*.

Thes. II.

Cæſar ſummum eſt Imperii Romani caput, & hoc nomine Monarcha: Cujus conſideranda (1.) *Electio* (2.) *Poteſtas*.

Thes.

THES. III.

Electionis attendendæ (1.) *Cauſæ* efficientes materia (2.) *Antecedentia* (3.) *Subjectus* loc (4.) *Forma* (5.) *Conſequentia.*

EXPLICATIO.

Cæſar hæredem inſtituit *Auguſtum*, *Auguſti* *Tiberium*, *Tiberius Caligulam*. Poſtmodum quo que *electi* ſunt Imperatores vel à Senatu, vel à po pulo aut milite: In *Caroli Magni* ſtirpe iterun fuit hæreditarium, usque ad tempora *Conradi* I per annos centũ circiter; Hic *Conradus* Dux Franconiæ *electus* eſt Imperator. Hodie citra omnem controverſiam Imperium Romanum non *ſucceſſione* ſed *electione* defertur à Collegio Electorum, jurantque Imperatores *ſe Imperium non agnituros hæreditarium.*

THES. IV.

Cauſa electionis *impulſiva* eſt vacantia ſedis Imperatoriæ. Non enim ritè eligitur Imperator, niſi, quando nullus eſt. *Procreantes principales* ſunt Electores, qui ab hoc actu nomen ſortiuntur: *Materialis* eſt ipſa perſona in Imperatorem eligenda, quam è *Germanicâ natione* oportet eſſe, & idoneam ad tanti Imperii molem ſuſtinendam.

EXPLICATIO.

Electionem ad *nationem Germanicam* ſpeciali lege jam olim reſtrinxit *Otto* III. etſi *Aurea Bulla* heîc nihil definit. Legem *Ottonis* roborat conſuetudo & mos fideliſſimæ vetuſtatis: Res ipſa magnis nititur rationibus. Cur enim *Germania* ſe ipſam deſpiciat & auguſtiſſimi Imperii moderamine indignam judicet? Aut cur plus felicitatis ſibi ſpondeat ab extero, quam à domeſtico?

Cur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ir amantiorem ſui fore exterum quam viſce-
m ſuorum partem credat? Matth. Steph. lib.
part. 1. cap. 1. Num. 83.
Ætas in Rom. Imperatore certa lege non eſt
finita. Aliàs de jure communi minores 25. an-
is ad honores publicos non admittuntur, L. ad
mpubl. 8. De muner. & honor. L. 2. §. fin. de
ire imm. Aliud tamen praxis nos docet: præ-
ertim in Imperatoribus Romanis. Electus eſt *Ot-*
o 3. puer. *Henricus* 3. anno 12. *Henricus* 4. anno
. *Fridericus* 2. anno 20. *VVenceslaus*, anno 15.
Carol. 5. anno 19.

Thes. V.

Antecedentia ſunt tria (1.) *Convocatio* Collegii Electoralis per *Archiepiſcopum Moguntinum*, qua intra tertium menſem ad Electionem Imperatoris Romani, vel ipſi Electores, vel per Legatos plenis mandatis inſtructos ſe ſiſtere monentur & invitantur (2.) *Peractio ſacrorum*, qua Spiritus Sancti imploratur gratia ad rem tàm arduam (3. *Iuramentum ſingulorum Electorum*, quo, verbis præeunte Moguntino, jurant, nihil ſe in ea re facturos, ullius vel pacti vel mercedis, vel largitionis, vel pollicitationis causa.

Explicatio.

Ex Conſtitutione *Aureæ Bullæ Caroli IV.* Comitatus Electorum ad Electionem convenientium certo numero eſt definitus: Ne armata ſint & ſuſpecta hæc Comitia. Singulis igitur cum urbem, hoc eſt, *Francofurtum* ingrediuntur, non ſupra 200. equites, & in his 50. armatos, in comitatu habere fas eſt.

Thes. VI.

Locus electioni Imperatoriæ deſtinatus Per *Auream Bullam eſt Francofurtum ad Manum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Vbi Magiſtratus, durantibus Comitiis, nemine præter Electores, ipſorumque comitatum in u bem intromittit, per eandem conſtitutione Imperatoriam.

EXPLICATIO.

Olim certus electioni locus non erat definitu Inde *Henricus II.* electus eſt Moguntiæ. *Henr cus III.* Aquisgrani: *Henricus IV.* apud Tribur am: *Henricus V.* Coloniæ: *Lotharius II.* Mogur tiæ: Interim poſt *Aur. Bull.* quoque alibi fact electio pro ratâ fuit habita, Electoribus ob certa & juſtas cauſas conſentientibus: Exemplum ei recentiſſimum.

THES. VII.

Forma eſt ipſa ſuffragiorum Electoralium expoſitio, quâ Imperator deſignatur, ſive omnium, ſive plurium in idem ſubjectum ſuffragio conveniunt, Quod ſi ultra diem triceſimum ſuffragatio & Electio protrahatur, detractis omnibus aliis cibariis, præter panem & aquam nihil Electoribus exhibetur: quæ Cardinalium quoque electionem Papæ protrahentium pœna eſt.

EXPLICATIO.

Feruntur ſuffragia ab Electoribus hoc ordine: *Moguntinus* Electoralis Collegii *Decanus* ſingulorum exquirit ſuffragia hoc ordine (1.) ab *Archiepiſcopo Trevirenſi*: (2.) à *Colonienſi*: (3.) à *Rege Bohemiæ*: (4.) à *Comite Palatino*: (5.) à *Saxone*: (6.) à *Marchione Brandeburgico*. Tandem reliqui Electores *Moguntini* quoque votum exquirunt. Hodie tamen in *Moguntini* Perſona mutatus ordo. Primum in electione ſuffragium habet *Moguntinus*: Sequuntur reliqui ordine.

THES. VIII.

Conſequentia ſunt (1.) Electi Imperatoris juramentum, in certa capita obſervanda, quam *Capitulationem* vocant. (2.) Coronatio.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Explicatio.

I. *Capitulationis*, quæ electo Imperatori proponitur, & ad quam obſervandam juramento ſe ſtringere tenetur, præcipua ſunt capita ſequentia. Iurat.

(1.) *Se Ecclesiam Catholicam Romanam defenſurum.*

(2.) *Se juſtitiam æqualiter adminiſtraturum: Indictâ causâ neminem proſcripturum, aut extra Imperii fines in judicium vocaturum: Auream Bullam Carolinam confirmaturum: Senatum Imperii & alia munera non niſi originariis commiſſurum.*

(3.) *Se libertatem & privilegia ſtatuum Imperii ſarta tecta conſervaturum: Liberam Electoribus poteſtatem relicturum: Conventus ipſorum ad deliberandum de Reipubl. negotiis admiſſurum.*

(4.) *Se Imperium Romanum non tanquam hæreditarium agniturum, ſed tantùm adminiſtratorem & patronum futurum: Nihil ex Imperii bonis alienaturum aut ad ſuam familiam translaturum.*

(5.) *Se confœderationes ſubditorum contra principes Imperii plane ſublaturum: Novas ſine conſenſu Electorum non initurum: Nulla Comitia indicturum, nulla vectigalia impoſiturum, nullam belli denunciationem, militiſve deductionem permiſſurum, niſi accedentibus Electorum ſuffragiis.*

(6.) *Se eos, qui titulo non bono, exemtionem à Iurisdictione Romani Imperii præ ſe ferunt, ad obedientiam reducturum: Apud Pontificem, ne adverſus pactiones antiquas, libertatemque Imperii quid fiat, ſedulò procuraturum: Bona vacantia Imperii nemini conceſſurum, quicquid ſtatuum auxiliis occupaverit, imperio ceſſurum.*

(7. *Se quæ ab Electoribus Palatino & Saxonico tempore interregni geſta ſunt, rata habiturum.*

(8.) *Se*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(8.) *Se literas omnes Germanica aut Latina lingua conſcribi mandaturum.*

(9.) *Se Electorum Rhenani circuli vectigalia imminuturum.*

(10.) *Se denique ſtatibus omnibus & ſingulis amorem, defenſionem, juriumque conſervationem præſtiturum.*

Ita jurejurando ſtatibus ſuis ſe obligant alii quoque Reges, *Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ.*

II. Antiquo more, qui tamen hodie in deſuetudinem abiit, Electus Imperator Romanus *triplici corona*, in tribus diſtinctis urbibus inſigniebatur. *Ferreâ Aquisgrani* ab Electore Colonienſi ad deſignandam ferream contrà rebelles ſeveritatem: *Argenteâ Mediolani*, ab ejus loci Epiſcopo, ad ſerenitatem & ſplendorem præeminentiæ ſignificandam: *Aureâ Romæ* à Pontifice, ad varias Principis virtutes deſignandas, quarum in auro eſt imago. Profectio hæc olim ad coronam à Pontifice accipiendam ab Imperatoribus facta, appellata eſt *Expeditio Romana*, Römerzug / ubi propriis ſumtibus Imperatorem ſequi tenebantur Electores & alii: Comitatus conſtabat 20000. peditum, & 4000. Equitum. Acceſſit huic & altera *Expeditio* in hoſtem, pro Romano Imperio. Vide Limnæ. de I. P. lib. 2. c. 4. ubi Catalogus occurrit Peditum & Equitum, quos ſinguli ſtatus tenentur conferre.

Hodiè coronatio non niſi uno loco peragitur, nempè *Francofurti ad Mœnum*, neque *Corona* niſi una imponitur. Romani Pontifices heîc nullæ ſunt partes, neque quicquam poteſtatis conferre in Imperium, Imperatori poteſt Pontifex, qui extra imperium eſt. Temporibus *Ludovici Bavari*, circa annum Chriſti 1330. decretum eſt, Imperatorem à *ſeptemviris* legitimè electum, ſi Papa con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

nfirmationem recuſet, poſſe à quolibet Catho-
o epiſcopo confirmari. Hîc Imperator Papam
hannem XXII. proſcripſit, effigiem ejus *Romæ*
lam exuſſit, & de conſilio ſenatus populique
omani novum Papam creavit, *Nicolaum Quin-*
um, profeſſione monachum *Minoritam*. Deciſi-
nis, ſub *Friderico I.* communi Procerum Impe-
ii conſenſu factæ, & poſtmodum ſub *Ludovico*
avaro repetitæ, & *Coloniæ*, anno 1338. promul-
atæ ſumma hæc fuit, *ne quis ſub pœnâ criminis læ-*
æ Majeſtatis, privationis feudi, dignitatum, juris-
ictionum & privilegiorum dicat Imperium Cæſa-
ibus à Papa obvenire vel ei ſubjectum.

Imo ſcribit *Sigonius* ex *Sigeberti* chronogra-
hiâ, decretum eſſe univerſo procerum *Romani*
Imperii conſentiente conventu, ut *Carolus Ma-*
gnus, qui *Ludovicum Bavarum*, 500. annis ante-
ceſſit, *per ſingulas provincias Archiepiſcopos & E-*
piſcopos inſtitueret, ita ut niſi ab eo laudarentur &
inſtituerentur, à nemine ſacrarentur: & ut ponti-
ficem eligeret, ſedemque Apoſtolicam ordinaret.

In *Galliâ* quoque publico edicto *Paparum* in-
ſolentia eſt repreſſa, teſte *Bodino*, lib. 1. de republ.
cap. 8. *Ne quis regiam poteſtatem ab arbitrio Pon-*
tificis pendere exiſtimet. Vnde *Bonifacio VIII.* ad
Philippum Pulchrum, Galliæ Regem ſcribenti:
Scire te volumus, quod in temporalibus & ſpiritua-
libus nobis ſubes: Reſpondit Rex: *Sciat tua magna*
fatuitas, in temporalibus nos nemini ſubeſſe.

Coronationem Papalem jam pridem Romani
Imperatores, etiam ante *Ludovicum Bavarum*,
neglexerunt. Et quidem *Rudolphus Habspurgenſis*
Italiam ne vidit quidem: cumque à *Nicolao Papâ*
Romam inſtanter accerſeretur, Ex Apologo fa-
cetè reſpondit:

——— Me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Inde

Inde neglecta eadem coronatio à *Maxim* à *Ferdinando I.* à *Maxim. II.* à *Rudolpho II.* à *M*[a]*thiâ* & moderno Imperatore *Ferdinando II.*

III. Præter coronam, in inauguratione, I[m]peratori *inſignia* traduntur:

Gladius, quo indigitatur ſevera malorum c[or]reptio & bonorum defenſio.

Sceptrum, antiquiſſimum apud omnes gent[es] regiæ dignitatis ſignum.

Pomum aureum, quo orbis denotatur imp[e]rium.

Amictus, ſeu *paludamentum imperatorium* a[u]ro & gemmis ornatum ad majeſtatem ſignifican[dam].

De *Imperii inſignibus* vide *Limnæ*. de I. P. libr[o] cap. 14.

CAPVT XXXII.

DE POTESTATE IMPERATORI reſervata: Vbi de Superioritate Majeſtatica, De Sanctione Legum, De indictione belli, De extrema provocatione, De Infeudatione, De Creatione Ducum, De Conceſſione Privilegiorum, De fundatione Academiarum, De jure legitimandi.

THESIS I.

HActenus *Imperatoris electio*: Sequitur poteſtas ejus, quæ per electionem obtingit, eſtque *reſervata* vel *communicata*.

THES. II.

Reſervata Imperatoris poteſtas eſt, quam propriam ſolus habet Imperator, cujus partes vel ſpecies ſunt quatuordecim (1.) *Superioritas Majeſta-*

tica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ica. (2.) *Sanctio legum.* (3.) *Indictio belli* & *Col-
ectarum generalium.* (4.) *Extrema provocatio.*
(5.) *Infeudatio.* (6.) *Creatio Ducum.* (7.) *Conceſſio
privilegiorum.* (8.) *Fundatio Academiarum.* (9.)
Ius Nundinarum. (10.) *Ius Poſtarum.* (11.) *Ius ve-
ctigalium novorum.* (12.) *Ius legitimandi.* (13.) *Ius
famæ reſtituendi.* (14.) *Ius veniã ætatis concedendi.*

Thes. III.

Superioritas Majeſtatica eſt jus, quo Cæſar nulli mortalium ſubeſſe dicitur: Vnde ſingulari ratione nomen *Principis* ſoli ipſi competit.

Explicatio.

I. Movet *Imperatori Romano* quæſtionem ſtatus *Pontifex Romanus*, qui pro Deo & *ſupremo Mundi principe* haberi vult, & talis ab adulatoribus proclamatur & adoratur. Vnde in jure Canonico, *quantum Sol Lunæ, Aurum plumbo, Anima corpori præſtat, tantum etiam Papa præſtare Cæſari dicitur.* Hic igitur *Pontifex* nulli Regi, nulli Imperatori ſuperioritatem majeſtaticam concedit, quam ſoli ſibi vendicat: Vt & jus in omnes Reges, & Imperatores, quos ad thronum evehere, & de throno deturbare in ſua eſſe poteſtate impudentiſſimè prædicat. Vnde & Reges & Imperatores ſuperſtitioſos olim ad pedum ſuorum oſcula abjecit. Olim *Romani Præſules* Epiſcopi fuerunt, quibus in alios extra *Italiam* Epiſcopos nulla competebat Iuriſdictio, nedum in Cæſares Romanos. Tandem *Bonifacius III.* circa annum Chriſti 600. ſuperbum & inſolentem titulum *Oecumenici* & *Vniverſalis Epiſcopi* à *Phocâ* Imperatore flagitioſo emendicavit, & ad ſucceſſores ſuos tranſmiſit. Vnde *myſterium iniquitatis* ita crevit, ut partim fraudibus, partim ſuperſtitionibus, partim quoque vi apertâ Romani Epiſcopi in ſua pertrahere retia Romanos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Imperatores conati fuerint, multiſque improb[illegible] inſultarint. Etſi non defuerunt omnibus ferè ſ[illegible]culis, qui autoritatem ſuam adverſus *Hierophan*[illegible]*tas* iſtos aſſeruerint, & Imperatori Pontificem e[illegible]ſe ſubjectum oſtenderint: quod expreſſè quoqu[illegible] fatentur *Leo IV.* & *Iohannes VIII.* Vnde *Hen*[illegible]*ricus IV.* Imperator *Benedicto X.* Pontifici abro[illegible]gavit Pontificatum. Altum in ſcripturis de ha[illegible] ſuperioritate *Paparum* ſilentium: Altum in *jur*[illegible] *civili:* In *ſolo Canonico* exauditur, cujus ipſi Pontifices & eorum adulatores ſunt autores. Videantur quæ ſupra annotata ſunt ad cap. 31. th. 8. expl. 2. & cap. 30. th. 1.

II. Ex *Bodino* obſervetur ad *Majeſtatem* requiri quatuor:

(1.) Vt is, penes quem eſt *Majeſtas*, poſt DEVM immortalem non agnoſcat ſuperiorem, habeatque ſummum imperium & juriſdictionem ſine provocatione.

(2.) Vt *poteſtas* illa non ſit ad tempus conceſſa, ſed perpetuo uſque ad vitæ finem perduret.

(3.) Vt *poteſtas* illa ſit propria, vel jure hæreditatis vel electionis conceſſa, & non aliena, ſeu precariò attributa.

(4.) Vt *poteſtas* illa ſit legibus ſoluta.

III. *An Imperii ſtatibus Majeſtas quoque ſit communicata*, quæritur? Affirmativam nonnulli tenent, eò quod extrema provocatio, ſeu appellatio ſit propria Majeſtatis, quæ tamen nonnullis eſt communicata, ut Archiducibus Auſtriæ & aliis nonnullis. Sed negativam plerique & rectius amplectuntur: ſiquidem Majeſtas æſtimanda, non ex uno & altero actu vel parte, ſed ex concurſu omnium ad ſummam poteſtatem requiſitorum. Vnde quamvis effecta quædam Majeſtatis communicentur ſtatibus nonnullis, non tamen propterea Majeſtas ipſa communicatur.

Obi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Obiter obſervetur, poteſtatem hanc Imperatoris appellari *regale*, vel *regalia*, quæ in ſignificatione ſtrictiore definiuntur jura ſoli Imperatori Romano propria, in ſignum ſupremæ eminentiæ & utilitatem imperii tributa.

IV. Nomina *Majeſtatem* in capite Romani Imperii exprimentia ſunt *Imperator*, *Cæſar*, *Auguſtus*, *Princeps*. *Imperator* Romanis olim dictus unusquiſque Dux exercitus. Vnde tot erant Romanorum Imperatores, quot diſtincti *exercitus*. Tabernaculum Imperatoris dicebatur *prætorium*. Vnde *prætoriani milites*, qui ſemper erant circa Imperatorem. Tandem C. Iulius Cæſar primus, ex decreto Senatus, hoc in prænomen vertit, ut ſcriberetur *Imperator C. Iulius Cæſar*: ante quem poſtponebatur hoc nomen, ut, *Lucius Appius Imperator*. *Iulium* reliqui Principes ſunt ſecuti.

Cæſaris nomen à Iulio quoque traxerunt ſucceſſores. Quæ ratio ſit nominis inter doctos non ſatis conſtat: Nonnullis *Cæſar* putatur dictus à Syriaco *Cæſar*, quod ſcutum ſignificat; idque Syro cuidam hoſti detraxiſſe creditur: Aliis à *Cæſarie*, quod primus familiæ illius cum *cæſarie* ſit natus: Aliis ab oculis *cæſiis*: Aliis à *cæſo* matris utero, cum naſceretur. Deſcendit hinc Germanicum Kayſer. Quis primus, poſt *Iulium*, *Cæſar* appellatus ſit, & Germanis Kayſer / incertum eſt: quamvis alii nominent *Henricum Bavarum*, cognomento, *Sanctum*: alii *Guilhelmum*, *Comitem Hollandiæ*.

Auguſti nomen primus à Senatu Romano accepit *Octavianus II.* cum titulum *Domini* & *Principis* averſaretur. *Auguſtus* autem eſt dictus non ab *augendo Imperio*, ſed dignitate venerabili & excellente. Vnde vox hæc à *Græcis* reddita σεβαστὸ, hoc eſt, venerabilis: Qui igitur in occidente dictus eſt *Auguſtus*, in oriente appellatus eſt

eſt σεβαστὸ. Germanis aliter interpretari vocem libuit Allzeit Mehrer des Reichs: quo etiamnum Imperator titulo gaudet, ſuique admonetur officii.

Princeps, κατ᾽ ἐξοχὴν, in jure appellatur Imperator. Hodiè, ad differentiam Principum Imperii, *Princeps ſummus.*

THES. IV.

Sanctio legis univerſalis ejuſdemque interpretatio jus eſt Imperatori reſervatum, quo ſolus ipſe principaliter ſancire legem omnes imperii ſtatus obligantem, eandemque pro autoritate interpretari poteſt.

EXPLICATIO.

I. *Summum ſummi imperii eſt, leges dare, non accipere:* Curtius. Quod ſoli Principi ſeu Imperatori vendicatur. l. ult. C. de ll. Suntque inter ſe planè cõnexa, *legem condere & interpretari pro autoritate*, l.d. Et *Conſtantinus* l.2. C. de ll. ſcribit. *Inter æquitatem, juſque interpoſitam interpretationem ſoli imperatori licere & oportere inſpicere.*

II. Ita communiter Imperator leges dare dicitur, ut ipſe *legibus ſolutam* habeat *poteſtatem.* Vnde inter *jura Majeſtatis* primo loco nonnulli ponunt *poteſtatem legibus ſolutam:* quam nos materiam aliâ occaſione attigimus libri hujus c. 11. theſ. 10. Breviter ita ſe res habet: Imperatoria majeſtas & poteſtas ſoluta eſt legibus non DEI, non *Naturæ*, non *Gentium*, (*Gentium jus* appellatur, quo conventionum fides, pacta & contractus nituntur:) *Legibus:* Sed *merè poſitivis & civilibus legibus*, quæ à neceſſitate & probabilitate rationis naturalis ſejunctæ ſunt: cujuſmodi, exempli gratiâ, ſunt leges de *ſolennitatibus teſtamentorum*, de *ſolennitatibus iudiciariis*, &c. His, inquam, ſoluta eſt ſummi principis poteſtas. Vnde teſtamentum ſine ſolennitatibus in jure

civili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

civili requiſitis ab Imperatore factum, omnino ratum eſt, quia ita voluit Imperator, cujus præſentia & voluntas omnes ſupplet ſolennitates. Hinc etiam in aulâ Cæſareâ ordo judiciarius in cauſis arduis adeò ſtrictè non obſervatur. Vnde communis Dd. aſſertio eſt, *in Conſiſtorio Cæſareæ Majeſtatis ex æquo & bono procedi, neglectis apicibus juris.*

Per hanc poteſtatem diſpenſare Imperator poteſt contra *jus commune* propter cauſas ipſi viſas probabiles vel æquas: modo in præjudicium tertii diſpenſatio non vergat: *quia jus alteri quæſitum auferre Princeps non poteſt, Geil.* 2. Obſ. 1. num. 14. & Obſ. 56. num. 1. Vnde multa eximi à *poteſtate Imperatoris* ICti tradunt: Exempli gratia in *materiâ Teſtamentorum*, etiamſi ipſe Imperator teſtamentum condens ſolemnitatibus Iuris Civilis non adſtringitur: tamen *præſentia Imperatoris non ſupplet defectum in Teſtamentis privatorum: neque concedere alicui poteſt, ut Teſtamentum ejus tanquam inofficioſum non impugnetur, neque gratiam facere privato, ut neglecto ſolemni teſtium numero Teſtamentum conficiat: neque Teſtamentum firmum vi ſuæ poteſtatis imminuere: neque ex imperfecto Teſtamento hæreditatem petere, &c.* quæ ex *Pruckmanno* allegat *Matth. Steph.* de juriſd. lib.2.p.1.cap.1.in.2.n.255. & ſeqq. Vide libri hujus 2. c.11. th.10.expl. Vide Limn. de I.P. lib 2. cap. 8. Coronidis loco adjicimus præclaram *Ariſtotelis* ſententiam ex lib.1. Polit. *Qui hominem,* id eſt, *Regum voluntatem abſolutè regnare vult, ille belluam: qui legem*, id eſt, *rationem, imperium vult obtinere, ille Deum expetit, & cupit regnare.*

III. Excipitur heîc

(1.) *Imperator non poteſt legem condere niſi cum conſenſu ſtatuum Imperii: Vnde adhiberi ſolent formalia:* So haben Wir vns demnach mit den

den Ständen deß Reichs/vnd Sie hinwiderum mit Vns verglichen/ꝛc. *Ergo Sanctio Legis universalis non eſt penes ſolum Imperatorem.*

Reſp. Legem condit non *abſolutè ſolus*, ſed *principaliter ſolus*: quia ſolus in legiſlatione partes obtinet principaliores.

(2.) *Si ſolius Principis eſſet leges interpretari nullus eſſet uſus aliorum interpretum & ICtorum.*

Reſp. Non eadem autoritate leges interpretantur ICti, qua Imperator. Illi enim non ſua ſed Imperatorum autoritate interpretantur juſta: Neque admittuntur ipſorum interpretationes niſi accedente autoritate Imperatoria; quæ ſi accedit, quaſi vox Imperatoris ſunt prudentium reſponſa. Veluti Princeps ſententiam à conſiliariis latam & autoritate ſua comprobatam reddit ſuam.

THES. V.

Ius indicendi hoſtibus Imperii bellum & collectarum generalium, cum eadem ſummi principis majeſtate conjunctum eſt: Etſi ex conventione & pacto id non exercet Imperator, niſi accedentibus ſuffragiis Electorum, & aliorum ſtatuum.

EXPLICATIO.

I. Olim jus indicendi bellum habuit *populus Romanus*; Sed poſtea LEGE REGIA omnem hanc poteſtatem populus in principem tranſtulit. Vnde belli paciſque arbitrium Imperatori relictum eſt. l. 3. ff. ad L. Iuliam. Hinc in crimen læſæ majeſtatis incidit, qui bellum in Imperio ſine licentia Cæſaris movet: neque bellum id, ſed latrocinium & deprædatio appellatur. Neque externi Principes poſſunt ſine permiſſu Cæſaris copias in Imperio conſcribere.

II. De *Collectis Imperialibus* ſupra actum c. 24. theſ. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

theſ. 18. Harum remiſſionem ſeu exemptionem ab iis Cæſar nemini in Imperio poteſt concedere: quia in communi periculo non eſt fas aliquem eximi: *neque adverſa fortuna debet diſtinguere quos ſecunda junxit.* Maximè verò quia ob immunitatem uni conceſſam cæteri prægravantur, & plus pendere coguntur. Putant tamen nonnulli, immunitatem hanc concedi poſſe, ſi urgentiſſima ſit cauſa.

Obſervandum heîc, etiamſi nec *bellum indicere* nec *collectas imperiales* ſine conſenſu & ſuffragiis ſtatuum Imperator poteſt: tamen *majeſtati* ejus ſimpliciter hoc non præjudicare: quia nullius *permiſſu* hæc facit: etſi non ſine *conſilio* & *ſuffragio* ſtatuum facit. Permittere enim ſuperioris eſt, non ſuffragari.

THES. VI.

Extremæ provocationis jus eſt, quo ſummum ſibi tribunal Imperator vendicat, à quo ad aliud provocare nulli fas eſt ſtatui.

EXPLICATIO.

Sic olim apud Romanos ea *Dictatoris* fuit majeſtas, ut ab ea provocare non licuerit, fuitque edictum illius pro *numine* ſemper obſervatum. Livius lib. 2. & 8. *Auguſtus* extremam provocationem jure *Tribunitiæ poteſtatis* ſibi reſervavit, teſtibus *Dione* & *Tacito*, lib. 4. Annal. ſummæ poteſtatis maximum hoc eſt argumentum; Provocari tamen interdum ſolet *à Cæſare malè informato ad melius informandum*, quod factum à Ducibus Luneburgenſibus *Henrico* & *VVilhelmo*, in cauſa inter ipſos & civitates, *Magdeburgum* & *Hamburgum*, vertente; Anno 69. Olim *Machetas à Philippo* Macedoniæ Rege ſomnulento & temulento, provocavit ad eundem vigilantem & ſobrium. Dantur etiam exempla *appellationis ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

DEVM, quæ effectu ſuo non caruit adverſus i[llegible] quos judices, quorum multi eo anno & die, q[llegible] ad tribunal divinum citati fuêre, mortui ſun[llegible] Exempla vide apud *Matth. Steph.* de Iuriſd. lib. par. 1. c. 1. memb. 2. n. 189. 190. & ſeqq.

THES. VII.

Infeudationis jus requirit, ut omnes Principe[llegible] Comites, Barones & reliqui vaſalli Imperii inve[llegible] ſtituræ renovationem à ſolo petant Imperatore[llegible] Similiter, qui decedentibus vaſallis ſuccedunt intrâ annum inveſtituram petant, & fidelitati[llegible] juramentum præſtent.

EXPLICATIO.

Nullus Imperii ſtatus ab hâc exemptus eſt juriſdictione.

Olim conſuetudine receptum erat, ut Imperio aperta feuda Imperator in feudum daret, cui vellet. Vnde *Rudolphus I.* anno 1282. cum defeciſſet ſtirps *Auſtriaca*, imperio *Auſtriam* vindicavit, & *Alberto* filio ſuo conceſſit: unde poſtmodum *Archiduces Auſtriæ* deſcenderunt: Conſuetudinem hanc firmat quoque *Aurea Bulla*, Titulo 7. Hodiè tamen inter Cæſarem & Electores ita convenit, ut ejuſmodi feuda nemini conferat Imperator, ſed in fiſcum vel *patrimonium publicum* referat.

Huc quoque pertinet: Quod, cum de feudis inter duos imperii vaſallos contentio incidit, nec *Auſtregarum* beneficium habeat locum: Sed penes ſolum Imperatorem ſit juriſdicendi poteſtas: uti etiam *de capite & vitâ* principis Imperii ſolus Imperator jus dicere perhibetur, excluſâ *Camerâ*: *Matth. Steph.* de juriſdict. lib. 2. part. 1. cap. 1. membr. 2. num. 212. Etſi & principes Imperii, tanquam *Pares curiæ*, in conſilium adhibendos eſſe alii contendunt, & hoc appellant, das vralte Fürſtenrecht. vide caput ſeq. 33. th. 3.

THES. VIII.

Creatio Ducum, Marchionum, Principum, Landgraviorum, Burggraviorum, Comitum, Baronum, Comitum Palatinorum, equitum & *jus nobilitandi*, ſoli quoque competit Imperatori in Romano Imperio.

EXPLICATIO.

I. Ratio eſt, quia *Cæſar omnis dignitatis, & nobilitatis fons eſt.* L. 3. de nat. reſtit. Et de fulgore throni Cæſarei velut ex ſole radii, ita cæteræ dignitates prodeunt. Tantæ enim celſitudinis imperator eſt, ut parem ex mortalibus habeat neminem. Vnde *Ducalis autoritas, Comitiva dignitas*, & omnia nobilium jura ſuam trahunt originem.

II. *Comites Palatini* appellantur Germanicè des H. Römiſchen Reichs Hoffgraven: qui ex poteſtate à Cæſare acceptâ poſſunt Doctores creare & Notarios publicos, Poëtas coronare, Natalibus & Famæ reſtituere, inſignia nobilitatis conferre.

III. Poteſtatem creandi *Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles*, ſoli reſervatam eſſe Cæſari in Imperio Romano experientia teſtatur, & uſus quotidianus qui ſuperioribus annis frequentior fuit, quàm pluribus aliis ſeculis.

Superiorum ſeculorum exempla ſunt in *Marchionatu Auſtriæ*, quem *Ducatus* dignitate donavit *Fridericus I.*

Idem Imperator, pulſo *Henrico Leone*, *Bavariam* cum *Palatinatu* ad Rhenum *Ottoni VVittelsbachio* donavit; & de *Anhaltinis Principibus* optimè meritus eſt, quos propter egregia merita gemino Electoratu, *Brandenburgico* & *Saxonico* ornavit & ditavit. Hiſtoria utriuſque Electoratus ad *Anhaltinos Principes* tranſlati, & ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

& ab iisdem ablati hujuſmodi eſt.

Extincto *Primislao Henetorum & Obotritoru* *Rege*, qui poteſtate ab *Henrico* IV. Imperatore a ceptâ, *Marchionatum Brandeburgicum* occup verat, *Fridericus*. I. Imperator cognomento Ba *baroſſa Albertum Vrſum*, *Ottonis Divitis Aſcani Comitis* filium *Marchionem Brandeburgicum* cre avit Anno Chriſti 1142.

Hic *Albertus Vrſus* filios reliquit quinque, in ter quos ſecundus erat *Otto* I. Tertius, *Bernhardu* I. *Otto* I. Marchionatum ab *Alberto* patre accep tum per poſteros ſuos continua ſerie unà cum Electoratu tranſmiſit uſque ad *VVoldemarum* II. qui undecimus ex *Domo Anhaltina Marchio Brandeburgicus* & Elector fuit.

Hic cum anno 1323. ſine ſobole deceſſiſſet ad ſuos ex *Anhaltinâ familiâ* agnatos transferre *Marchionatum* cum *Electoratu* conſtituerat: quibus etiam ſubditi fidelitatis & ſubjectionis Sacramento ſe jam adſtrinxerant, tanquam legitimis hæredibus. Sed conatus hoſce irritos fecit *Ludovicus Bavarus*, Imperator, quod ſine conſenſu ſuo agnatos ſibi conſtituiſſet ſucceſſores *VVoldemarus*. Itaque, præteritis *Anhaltinis*, ad filium ſuum *Ludovicum Bavarum* tranſtulit Marchionatum cum Electoratu. Quod verò vulgo dici ſolet: *De male quæſitis non gaudet tertius hæres*: In *Ludovici* Imperatoris filiis eventus comprobavit. Tertio enim ejus filio *Ottoni Palatino Carolus* IV. (qui legitimos hæredes & ſucceſſores declaraverat *Anhaltinos*, & de reſtitutione eorum laborare videri volebat) eum *Marchionatum* extorſiſſet, non ad *Anhaltinos*, uti promiſerat, ſed ad filios tranſtulit *VVenceslaum* & *Sigiſmundum* Imperatores: Vbi ad tertium è *Carolo* deſcendentem non pervenit. *Sigiſmundus* enim *Hungariæ & Bohemiæ Rex* & *Imperator* poſtmodum, primum

num Partueli ſuo *Iodoco Moraviæ Marchioni*, deinde *VVilhelmo Thuringiæ Landgravio* oppigneratum poſtquam redemerat, *Friderico Burggravio Norinbergenſi, Comiti de Zollern*, magnanimo Principi quadringentis millibus, vel, ut alii volunt, ducentis millibus aureorum vendidit, anno 1417. Ab hoc *Friderico* deſcendunt moderni *Marchiones Brandenburgici*. Tertius *Alberti Urſi* filius *Bernhardus* I. *Henrico Leone Bavaro* ob deſertionem Imperatoris in oppugnatione *Alexandriæ* Ducatu & Electoratu dejecto, *à Friderico Barbaroſſa*, Dux & Elector Saxoniæ creatus eſt, anno 1180. qui Electoratum huc uſque ad *Albertum* III. octavum è *domo Anhaltinâ* Electorem Saxoniæ tranſmiſit.

Hic verò *Albertus* cum ſine prole deceſſiſſet, Anno 1421. ad patruelem ejus *Ericum Ducem Lavenburgicum* jùre cum Ducatu dignitas Electoralis transferri debuerat. Sed interceſſit *Sigiſmundus* Imperator *Caroli* IV. filius, & excluſo *Erico* & cum ipſo *Anhaltinâ domo*, *Friderico Bellicoſo*, *Thuringiæ Landgravio & Marchioni Miſniæ*, ex ſtripe *VVitikindéa*, Ducatum & Electoratum Saxoniæ tradidit, anno 1424. Ab hoc *Friderico* deſcendunt moderni Duces & Electores Saxoniæ.

Patet ex hac narratione, de *Illuſtriſſima domo Anhaltina* optimè meritũ *Fridericum Barbaroſſam*, qui gemino *Electoratu* eam ornavit & ditavit. Malè verò *Sigiſmundũ Imperatorẽ*, qui *Brandeburgicum Electoratum Anhaltinæ familiæ*, olim debitum, à Patre *Carolo* IV. acceptũ ad alios tranſtulit, & poſtmodum *Saxoniæ* quoque Electoratu & Ducatu eandem familiam privavit.

Hactenus Principes Anhaltini.

Olim *Pomeraniæ Domini*, cum à *Polonis* ad Romanum Imperium ſe convertiſſent, aſſciti ſunt in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

in ordinem *Ducum* Imperii, ob præſtitam fid lem contra *Danos* operam.

Sabaudiæ & *Cliviæ Comites* olim Imperii D ces creavit *Sigiſmundus*.

IV. *Regium* quoque faſtigium à Majeſtate d pendet Cæſarea.

Poloniæ Principem *Boleslaum Otto* III. R gem ſalutavit.

Sub eodem Imperatore *Hungaria* quoque Re gni titulum accepit, quem poſt *Ottonem* confi mavit *Henricus* II.

Petro Daniæ Duci axioma Regium conceſſiſ dicitur *Fridericus* I. *Vratislaus* Bohemiæ Dux a *Henrico* IV. Imperatore primus Regio titulo e ornatus.

V. De nobilibus unicum hoc atteximus: *A Imperator recens creatis nobilibus eam facere pote ſtatem poßit, ut equeſtribus intereſſe liceat?*

Reſp. Ante initos equeſtres ludos per præco nem plerumque à ludo jubentur abſtinere, qui quatuor avos nobiles non habent: Idque ex lege *Henrici* I. cognomento *Aucupis*, qui ludos eque ſtres inſtituit, & certas iis leges præſcripſit, inter quas & hæc erat: *Si quis à parentibus nobilibus natus non fuerit, deque ſuâ nobilitate quatuor avo rum natalibus docere non poterit, ludos equeſtres nullo pacto accedito.*

Interim poſſe Imperatorem, non obſtante lege illâ, recens creatis nobilibus poteſtatem facere exercendi ludos iſtos, affirmant ICti, & inter hos *Pruckmannus* in §. *ſoluta Poteſtas* cap. 4. memb. 1. effect. 4. num. 12. & ſeqq. quod hoc Nobili bus non noceat, ſed Reipubl. potius interſit plu res in ordinem nobilium cooptari dignos, ut præclara ingenia ad benè merendum exciten tur. Confirmat idem *praxis* moderna.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Thes. IX.

Conceſsio privilegiorum & immunitatis in Imperio aliunde quoque non pendet, niſi ab Imperatore : qui ut ſolus poteſtatem habet condendi leges generales ita & privilegia, quæ quaſi leges ſingulares ſunt certis indultæ perſonis, ſolus confert.

Explicatio.

I. *Privilegium* dicitur quaſi *priva Lex*: Veteribus enim *privum* erat ſingulare. Eſſe verò privilegiorum concedendorum poteſtatem ſoli reſervatam Imperatori, conſtat ex legibus l. 1. §. fin. l. 3. ff. de conſtit. princ. §. 6. Inſtit. de jure N. G. &. C. Hoc *Majeſtatis jure* diſpenſare Cæſar poteſt contra jus commune, & confirmare actum de jure civili invalidum : idque propter utilitatem publicam : quod arguit *poteſtatem legibus ſolutam*.

II. Attamen *privilegia* ſubditis etiam ſtatus Imperii in ſuis territoriis poſſunt concedere.

Notetur diſtinctio privilegii in *perſonale* & *reale*: *Illud* tantum attingit perſonam, cui conceſſum eſt, non familiam ejus : *iſtud* familiam quoque & hæredes concernit.

Vtrumq; diſtinguitur in *immunitatem* & *realem fruitionem : illa* eſt vacatio, munerum cum onere conjunctorum : *hæc* eſt conçeſſio fruendi certa aliquâ re : quo pertinet quoque exemtio à neceſſitate ſolvendi vectigalia, &c.

Notandum : In immunitatibus concedendis ea eſſe debet Principis liberalitas, ut, quando aliquibus immunitatem à collectis, aliisque oneribus publicis concedit, eorum portiones in ipſius concedentis, non autem univerſitatis detrimentum imputentur, ne cæterorum, quibus immu-

immunitas data non eſt, cumuletur onus. *Matt Steph.* de jurisd. lib.2.p.1. cap.1. memb. 2. n. 15

THES. X.

Fundatio & Conſtitutio Academiarum, Nundinarum, Poſtarum & Vectigalium novorum ſun quoque de reſervatis Principis, h. e. Imperatoris

EXPLICATIO.

I. Ius fundandi *Academias*, vel ſaltem fundationes Imperatorias confirmandi olim ſibi vendicarunt *Pontifices Romani* : quorum tamen autoritas hodiè non agnoſcitur : *quia meritò ſpernenda omnis jurisdictio, quæ extra territorium jurisdictionis exercetur*. l. fin. ff. de juriſdict. Affine huic eſt *jus Civitatis*, quod dare nemo, niſi Imperator, poteſt : *Obrecht.* diſp. th. 190.

II. *Nundinarum* jura ſolus quoque largitur Cæſar, ita tamen, ut prius audiat adjacentes & vicinas civitates, quarum intereſſe poſſit.

III. *Vectigalium novorum* inductio ſolius quoque eſt Imperatoris, ſed ita, ut ex *Capitulatione Carolina* imponere vectigal Imperator non poſſit, niſi accedentibus Electorum ſuffragiis : multò minus reliqui ſtatus imperii, ſine conſenſu Imperatoris. Neque poſſunt hoc vel *Galliæ*, vel *Angliæ*, vel *Hiſpaniæ*, vel *Hungariæ*, *Daniæ*, *Poloniæ*, *Siciliæ* Reges ſine procerum & ordinum conſenſu : *Daniel. Ott.* de Iur. Publ. cap. 11.

IV. Ex jure *Poſtarum*, ſeu curſuum publicorum Imperatori reſervato, Duci cuidam generales per *Belgium* & *Italium* poſtas, anno 1579. conſtituere paranti, ſevere ab Imperatore id interdictum refert *Clapmarius* lib. de arc. Rerump. cap. 21.

THES. XI.

Ius legitimandi ſpurios, famæ reſtituendi infames

nes & veniam ætatis concedendi minoribus, ſolius quoque Imperatoris eſt.

Explicatio.

I. *Spurii* appellantur ii, qui extra legitimum ſunt nati matrimonium, unde *illegitimi* quoque nominantur, quos alias *naturales* appellant: quia ſecundum naturæ, conjugium legitimum non attendentis, legem procreantur uti bruta. Dicuntur autem *legitimari*, quando in eum traducuntur ſtatum, ut à *legitimis* nihil differant: etſi ad feudorum ſucceſſiones ſunt inhabiles, niſi nominatim ad feuda legitimatio ſit facta. Fit autem hæc legitimatio non niſi in aulâ Cæſaris, vel ejus, cui Cæſar expreſsè hanc dedit poteſtatem, juſtâ legitimandi causâ urgente, & iis, quorum intereſt, ad legitimationis actum citatis. Hanc *legitimandi & famæ reſtituendi poteſtatem* obtinent quoque, ex conceſſione Imperatoris *Comites Palatini* & *Archiduces Auſtriæ*, imò & alii Principes, *Gail.* 2. obſer. 142.

II. Quæritur heic, *An Princeps, extantibus legitimis liberis, naturales ſeu illegitimos in legitimorum præjudicium poſſit legitimare?*

Reſp. Et *affirmativa* & *negativa* ſuos habet patronos. Interim *affirmativa* communior eſt. Etiamſi n. de *jure ordinario* tum demum liberi naturales per reſcriptum principis legitimantur, quando legitimi & juſti non extant: tamen extraordinari: & abſoluta principis poteſtate id fieri poſſe non dubitant ICti doctiſſimi: *quia Princeps aliquid ſuprà, imò contra legẽ concedere poteſt*, cum legibus ſit ſolutus, nec prædeceſſorum conſtitutionibus adſtringatur: Et certum eſt liberos naturales per obſignationem curiæ legitimari etſi juſti extant liberi: Nov. 89. c. 2.

III. *Ætatis venia* conceditur iis, qui alias per ætatem minorem adminiſtrare ſua non poſſunt.

ſunt Defectus heic ſuppleri non poteſt ante a-
nos niſi ab indultu *Cæſaris* etiam minorenn
ad adminiſtrationem admittentis. Ætatis ve
tum demum impetrari venia poteſt, cum quis v
ceſimi anni metas impleverit. l. 1. C. de his, q
ven. ætat.

Nota: Olim quidem *poteſtas ætatis veniam co
cedendi* ſolius erat Imperatoris, poſtea vero co
ſtit. *Novell.* 28. in fine, Imperator *Leo* eam ali
quoq; Magiſtratibus tributam voluit. Hodiè In
perii *Principes* quoque idem ſibi vendicant. im
& *civitates* ſuperiorem non recognoſcentes. In
terim poteſtas hæc in *Imperatoria* auguſtior e
& latius ſe extendit ad perſonas illuſtres. Con
ceſſa hæc olim, *Ottoni Brunſuicenſi* à *VVenceslao*
Vlrico Duci VVürtenbergico à *Maximiliano: Chri
ſtiano* IV. Regi Daniæ, anno 17. ætat. à *Rudolph*
II. *Ludovico* Regi Hungariæ & Bohemiæ anno æ-
tatis 13. à *Maximil.* I. Nec non *Carolo* Lotharin-
giæ duci ad Epiſcopatum Metenſem vocato, à
Rudolpho II.

IV. Ad poteſtatem Imperatori reſervatam re-
fertur quoque,

(1.) *Ius precum primariarum*, quo poſt corona-
tionem in quolibet Imperii monaſterio ad be-
neficium Eccleſiaſticum unam promovere
perſonam poteſt.

(2.) *Ius dandi facultatem condendæ civitatis*, Ger-
mã. das Stattrecht zu geben. Ita *Ludovicus* Im-
perator *Gerhardo Epiſcopo Spirenſi* poteſtatem
dedit ex pago *Vdenheim* condendi civitatem
muris foſſisque cinctam.

(3.) *Ius ſtapulæ*, Germ. Staffel Gerechtigkeit/ o-
der die Niederlage: datur hoc jus ab Imperato-
re plerumque civitatibus ad flumen naviga-
bile ſitis, in quibus venales merces exponere,
certo uectigali dato, coguntur mercatores &
jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

jus προτιμήσεως civibus concedere.

V. Ex hac *poteſtate Imperatori reſervatâ* ap[p]aret *Rempublicam Romano-Germanicam* rectè [a]ppellari *Monarchicam*, non tamen abſolutè & [ſi]mpliciter, ſed certo reſpectu. Siquidem & *ari[ſt]ocraticæ gubernationis*, in eâ non ſunt obſcura [v]eſtigia: Vnde à plerisque *mixtis Rerumpublica[r]um formis* accenſetur, in quibus tamen ſpecies [u]na poteſt excellere, & ab eâ denominatio fieri. *Monarchicam* rectè dixeris quia omnes Imperii [ſ]tatus ſe uni *Imper.* tanquã *capiti* & *Domino* ſub[m]ittunt, & ſe *ſubditos* ejus profitentur ac *feuda [p]rincipalia* ab ipſo ſolo accipiunt, iisque juſtis de [c]auſis privari poſſunt: Vnde ab aliis quoque Regibus & populis *Monarcha* ſalutatur: Omnibus imperat, nullius imperio tenetur. Interim in adminiſtratione *Ariſtocraticum* quoq; elucet temperamentum: quia *non ſolus Imperator* legem fert univerſalem, ſed cum ſtatibus: *non ſolus* pacem & bellum decernit, ſed cum ſtatibus: *non ſolus* pactum & fœdus de rebus Imperii cum exteris facit, ſed cum ſtatibus: *non ſolus* conſtituit vectigalia & collectas indicit, ſed cum ſtatibus: *non ſolus* indicit comitia, ſed cum ſtatibus. Accedunt & alia contra *puram Monarchiam* præjudicia non levia:

(1.) Electoris *Moguntini* apud *Sleidanum*, lib. 1. de Franciſco Gall. Rege, hæc ſunt verba: Animi fortitudinem ei tribuunt, ſed ad Monarchiam illa ſpectat: nobis autem inprimis *Ariſtocratia* eſt retinenda. Vnde & Elector *Mauritius*, apud eundem *Sleidanum*, lib. 24. *Carolum* V. incuſat, quod per annos aliquot, in eo totus fuerit, quo, ſuppreſſis Principibus Germaniæ *Monarcha* evaderet. Reſponſiones *Hordlederi* & Reinkingii elidentem. vide Limnæ. de I. P. lib. 1. cap. 10. n. 14. & ſeqq.

(2.) Sta-

(2.) Status Imperii *cumulative* non *privativè* *abdicativè* jus ſuum ad Imperatorem con. runt. Hinc *Carolus* V. dicere eſt ſolitus imp rare ſe aliis in regnis *mancipiis* & *ſervis*, in G. maniâ *liberis* & *Regibus*. *Maximil.* I. Rege Hiſpaniæ dixit eſſe *Regem hominum*, ſe ve *Regem Regum*.

(3.) Secundum *Receſſus Imperij* Imperator ta tùm eſt *Adminiſtrator* Imperii; quod ipſe f. tetur Imperator, R. A An. 1559.

Evidentiſſima ſunt hæc *Monarchici ſtat. Ariſtocraticis rationibus prudentiſſimè tempera.* argumenta.

Tanti momenti non ſunt in contrariam ſen tentiam ab aliis producta argumenta; quæ un cum ſolutionibus videantur apud Limnæ. de I P. lib. c. 10. n. 43. & ſeq.

CAPVT XXXIII.

DE POTESTATE COMmunicata Regi Romano, Cameræ Imperiali Spirenſi & Iudicio Rotvvilenſi.

THESIS I.

HVcusque poteſtas Imperatori reſervata: ſequitur communicata (1.) *Regi Romanorum* (2.) *Cameræ Imperiali Spirenſi* (3.) *Iudicio Rotvvilenſi* (4.) *Statibus Imperii.*

THES. II.

Rex Romanorum, vivo adhuc Imperatore, eligitur in Comitiis non *univerſalibus* ſed *particularibus* Electorum; ut certus in Imperio ſucceſſor habeatur, & extrà Imperii fines degente Imperatore,

re, ſit qui domi Reipublicæ curam ſuſcipiat, æſariſque vices gerat. Vnde unum cum Cæſare abet *Tribunal*, nec appellatur ab uno ad alium, oteſtque abſente Imperatore facere, quæ ipſe ræſens faceret, imò etiam majora Imperii feuda oncedere: Succeditque ſine ulteriore electione a mortui Imperatoris nomen, dignitatem & utoritatem.

Explicatio.

Comitia, in quibus Rex Romanus eligitur, ;ermanicè appellantur Wahltage. Hujusmo- li Reges fuerunt creati *Ferdinandus* I. *Caroli* V. *rater: Maximilianus* II. *Ferdinandi* I. *Filius*: *Ru- lolphus* II. *Maximiliani* II. *Filius*.

Quæri heîc ſolet: *an rectè Imperatori adhuc vivo adjungatur Rex Romanus?* Alii affirmant, alii negant. Vtrique ad *Auream Bullam* provocant. Pro *affirmativa* militant exempla. Ipſius enim *Caroli* IV. qui autor eſt *Bullæ*, filius *VVenceslaus*, ſolicitante & vivo patre electus eſt in Romanum Regem. Sic & *Friderico* III. vivente electus *Maximilianus* I. *Carolo* V. vivente *Ferdinandus* I. *Maximiliano* II. vivente *Rudolphus* II. Nos licuiſſe arbitramur, quod toties factum conſentientibus Imperatore & Electoribus.

Thes. III.

Camera Imperialis eſt ſummum Imperii tribunal, quo apud Imperii judices ſive aſſeſſores legitima Rei controverſæ inter litigantes tractatio inſtituitur: Habetque ordinariam & pleniſſimam juriſdictionem à Cæſare attributam, adeo, ut nec controverſias ad eam ſemel delatas avocare poſſit. Siquidem ipſum repræſentat Cæſarem, ſub cujus nomine & ſigillo omnia mandata. ſententiæ & decreta emanant.

Explicatio.

I. Inſtitutum hoc tribunal à *Maximiliano* I.

VVor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

VVormatiæ, conſentientibus Imperii ſtatibus 1495. *Ratio* conſtitutionis fuit, quod aula & -ria *Imperatoris*, ad quam olim ordines devol-bantur appellationes & immediatorum ſtatu cauſæ, litibus obruta fuerit, & nimis magnis i-penſis aulam *Cæſaris* ſequi *Actores* & *Rei* fuer coacti. Vnde tandem inter *Cæſarem* & *Sta* convenit, ut commune quoddam Imperii *trib-nal*, majori temporis ſumtuumque compend litigantibus conſtitueretur.

Perſonæ Camerales ſunt *Iudex*, *Præſides* & *-ſeſſores*, *Iudex* eſt unus, qui caput eſt judicii C-meralis & à ſolo conſtituitur Imperatore, ſi Princeps ſecularis aut Eccleſiaſticus ſive Com aut Baro. *Præſides* ſunt plures iique Comites v Barones, quos ſolus quoque Imperator conſt tuit, quorumque unus abſentis judicis vices agit *Aſſeſſores* olim erant XXIV. quibus *Maximilian* II. tempore additi ſunt VIII. quos Imperator, E-lectores, Principes & alii ſtatus præſentant. Vid Limnæ. lib. 9. cap.3. nu. 16.&c. *Iudici* ſupplica-tiones omnes exhibentur, & in his ipſius ſoliu nomen exprimitur.

Locus tribunalis hujus eſt, *Spira* urbs Imperia-lis libera. Vnde iniuſſu Cæſaris & ordinum trans-ferri non poteſt, niſi belli & peſtis temporibus, De hoc judicio obſervanda ſequentia:

(1.) *Iuriſdictioni Cameræ ſubſunt omnes Imperii Romani ſubditi, tàm mediati, quàm immedia-ti: Illi ex ſecundâ, hi ex primâ inſtantiâ.* Habet tamen exceptionem ab ejus jurisdictione *Do-mus Auſtriaca*, jam à *Caroli* IV. temporibus: *Domus Burgundica* ex contractu ſtatuũ Imperii cum *Carolo V. Ducatus Lotharingiæ*: *Matth. Steph.* de Iuriſd. lib.2. par.1. c.3. n.45.46.& ſeqq.

(2.) *Sunt certæ quædam cauſæ, in quibus nulla Ca-meræ juriſdictio competit:* Cujuſmodi ſunt *cau-*

ſæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

[caus]a matrimoniales, & quæ ſunt fori eccleſiaſtici, [u]t cauſæ hæreſeos, neque adulterii cauſa ad Cameram pertinet : Exemtæ quoque ſunt ab [e]â cauſæ criminales, quarum corporalis eſt pœna: Die Leibes Straff auff ſich tragen: niſi ſint cauſæ fractæ pacis, aut Camerales Perſonas attingant, vel neglectæ juſtitiæ querela interveniat. Vide Limnæ. lib. 9. c. 2. n. 168. &c. Eſt & hoc *Electorum* & *principum* privilegium, quod in cauſis ipſos ipſorumque exiſtimationem & feuda majora concernentibus, non niſi per comparis dignitatis Principes, tanquam per *Pares curiæ*, non verò per Imperatorem ſolum aut Cameram Imperialem, judicari poſſint, ſic & controverſiæ civiles principum inter ſe litigantium, privilegio ſingulari, non ad *Cameram*, ſed ad *Auſtregas*, hoc eſt, ad certos & paris ordinis ab utrâque parte nominatos judices, componendæ & decidendæ devolvuntur. Auſtregæ in quibus porrò locum habeant, vide apud Matth. Steph. de juriſd. lib. 2. p. 1. c. 3. memb. 3.

3.) *Appellationes ab aliis Imperii ſtatibus tum demum in Camera recipiuntur, ſi ſumma trecentos florenos excedat*; ut noviſſimè conſtitutum anno 1600. de cauſis, quæ in primà inſtantiâ devolvi ad *Cameram* poſſunt, vide *Limnæ.* libr. 9. cap. 2. numero 125. &c.

(4.) *A ſententiis Cameralium provocatio ad Cæſarem permiſſa non eſt* : quia facultatem jus dicendi habent vice Majeſtatis Cæſareæ. De quæſtione, *An Imperator lites & cauſas in Camerâ pendentes ad ſe vocare poßit?* Vide *Limnæ.* libr. 9. cap. 2. numero 60. &c.

(5.) Si quis tamen juſtam, ſuper *nullitate, iniquitate* aut *negligentiâ* Cameralium conquerendi cauſam ſe habere exiſtimet, ſuccurritur ei

bene-

beneficio & *judicio reviſorio*, per Commiſſar[illegible] Imperatoris & ſtatuum Imperii deputatos verſus ſententiam cum errore & culpa lata. Hi igitur datam cauſam denuò cognitioni ſubjiciunt & momenta ejus ponderant & ul[illegible]mam ſententiam ferunt: Vide *Limnæ.* libro capite 2. numero 197. &c.

II. *Nota:* Duûm generum *mandata* à Camera Imperiali ſolent emitti *ſine clauſula* & cu[m] *clauſula. Mandatum ſine clauſula* appellatur præceptum Iudicis, cui quis tenetur parere, null[is] exceptionibus obſtantibus, niſi *ſub & obreption[ibus]* quibus negantur narrata mandati. Hujuſmo[di] mandata non decernuntur, niſi in cauſis, in qu[i]bus ab executione incipi queat. *Mandatum cu[m] clauſulâ* eſt præceptum judicis conditionale, cu[m] annexa clauſula, *ſi te gravatum ſenſeris, compa[reas] & opponas cauſas, quare videaris non tener[i] mandato parere.* Vnde admittuntur omnes exceptiones etiam principales, quibus reſolvitur mandatum in citationem ſimplicem. *Matth. Steph.* libro 2. part. 1. cap. 3. n. 171. 172. & ſeqq.

THES. VI.

Iudicium Rotvvilenſe Germanicè Das Kayſerliche Hoffgericht zu Rothweil: Iuriſdictionem non quidem univerſalem, ut Camera Spirenſis, ſed in certo & limitato deſtrictu per *Suevicum, Auſtriacum* & *Rheni* circulos, & in omnes cujuſcunque ſint ordinis diſtrictibus illis comprehenſos habet, niſi ſingulari privilegio pro ſe & ſubditis ſuis ſint exemti.

EXPLICATIO.

Iudicium hoc inſtitutum eſt à *Cunrado Suevo* Imperatore, anno 1147. quando de Imperio decertavit cum *Lothario* Saxone: ubi egregiam *Rothvvilenſium* in ſe fidem expertus eſt, quam Imperialis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

alis hujus judicii axiomate compenſavit. Aſſeſ-
ores XII. ex ordine equeſtri, vel ſenatu leguntur:
ordine verò & forma hujus judicii ſolus con-
ituit Cæſar. Exemti ſunt ab eo pro ſe & ſubdi-
s ſuis ſingulari privilegio *Electores ad tractum
heni*, & *Comites de* Hohen Zollern. Interim ab
oc judicio ad Cameram appellatio datur. De
ulico conſilio Imperatoris, vide *Limn.* lib. 9. c. 4.

CAPVT XXXIV.

DE POTESTATE COMmunicata Stabibus Imperii: Von der Landes Fürſtlichen Hoheit vnd Obrigkeit.

THESIS I.

POteſtatis Communicatæ Statibus Imperii* con-
ſideranda (1.) *Forma* (2.) *Partes.* (3.) *Pro-
batio.* (4.) *Effectus.*

THES. II.

Forma, ſeu ratio communicationis hujus pen-
det partim ex *contractu* & *inveſtiturâ feudali*,
partim ex *privilegio* expreſſo vel tacito.

EXPLICATIO.

Iuriſdictio Statibus Imperii communicata iis,
quos diximus modis, olim ſolas attinebat perſo-
nas, cum quibus extinguebatur. Hodiè verò ad
poſteros quoque transmittitur, ab *Eccleſiaſticis*
quidem ad *capitulum*: à *Secularibus* verò ad *hæ-
redes*. Vbi ſinguli in obvenientib. ſibi provinciis
juriſdictionem & *jura Imperii* in ſolidum ſibi
vendicant. Neque fas eſt Imperatori, ſine legiti-
ma causa, juriſdictionem hanc adimere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. III.

Partes poteſtatis hujus ſunt ſex : nempe (1.) I
meri & mixti Imperii. (2.) Ius remittendi p
nas capitales. (3.) Ius præſtandi ſalvum cond
ctum. (4.) Ius recipiendi Iudæos. (5.) Ius ind
cias moratorias concedendi debitoribus. (6.) I
mutandi religionis exercitium. (7.) Ius ſucc
dendi in bonis ſpuriorum & ſine hærede morie
tium. (8.) Ius foreſtale.

EXPLICATIO.

I. Ex *jure meri & mixti Imperii* ſtatibus cor
ceſſo, omnes in ſuis ditionibus eam exercent Iu
riſdictionem, quam Imperator in univerſo Im
perio: adeo ut in reſcriptis ſuis titulum uſurpent
Wir von Gottes Gnaden. Quo titulo in *Galli*
& *Angliâ* principibus, imò & regum filiis ut
nefas: quia *læſæ Majeſtatis* crimen committit,
qui rege inferior eum uſurpat: quia *gratiâ Reg*
ſunt omnes, quod ſunt. Sed tam rigidè non exami-
nandus hic titulus. Quem ſi nemo vendicare ſi-
bi poſſet, niſi qui à ſolo DEO immediatè princi-
pale habet faſtigium, ut nonnulli volunt, nec *Im-
peratori*, nec cuique competeret *principi*: olim
poteſtatem *princeps* habuit à Populo: hodie ab
Electoribus. Et qui Imperatore inferiores ſunt
principes, dignitatem hanc acceptam ferunt *Im-
peratori*, à quo creantur. Primi uſurpatores ad
illud Pauli videntur reſpexiſſe, Rom. 13. verſ. 1.
Omnis poteſtas à DEO eſt, nempè κατ᾽ ἐξοχὴν,
quamvis omnia alia ſint à DEO, & gratiâ DEI
omnes ſint, quod ſunt, *Paulino* parallelum eſt il-
lud Proverb. 8. v. 15. 16. *Per me Reges regnant &
Dominatores decernunt juſtitiam: per me princi-
pes gerunt Principatum & ingenui omnes judices
terræ*. Igitur poteſtatem judicandi, judicatum-
que exequendi cùm in *civilibus* tùm in *criminali-*

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

bus cauſis pleno jure habent, mulctaſque & *pœnas* pro delictorum ratione exigunt. Interim obſervandum receptum illud & vulgo uſitatum axioma: *Omnes Imperii ſtatus in ſuo territorio poſſe, quod Imperator poteſt in univerſo imperio:* intelligendum eſſe cum *exceptione poteſtatis Imperatori ſoli reſervatæ:* quâ de re prolixè diſſerentem vide *Theod. Reink.* lib. 1. claſſ. 5. cap. 6.

II. *Ius capitales pœnas reis condonandi* competit quidem Statibus, hoc eſt, Principibus, Ducibus, Marchionibus & Comitibus: ita tamen ut meminerint, non facilè reo capitis pœnam eſſe remittendam: ne laxior peccandi inducatur licentia. In primis verò cavendum heîc, *ne contra expreſſam Dei legẽ diſpenſetur. Quis enim tu homo, qui creatori tuo obloquaris?* Danæus lib. 6. Polit. c. 3. vide *Limnæ.* de hac quæſtione & ſimilibus, de I. P. libr. 4. cap. 8. n. 268. 269. 270. 271. 272. &c.

III. *Salvum conductum* magiſtratus dare iis dicitur, quibus poteſtatem facit tuto eundi & redeundi per vias publicas ſui territorii, ſive ſint *banniti*, ſive per ditiones peregrinentur. *Salvo conductu* munitos qui offenderit in crimen *læſæ Majeſtatis* incidit. Si, qui ſalvum dedit conductum, ipſe offenderit, vel offendi, cum prohibere poſſit, permiſerit, datæ fidei violatæ reus & communi omnium hominum odio dignus eſt. Accidit hoc olim *Iohanni Huſſio* in concilio *Conſtantienſi.* Vnde & *Tridentinum* olim noſtris non immerito ſuſpectum fuit.

IV. Ex conſtitutione *Aureæ Bullæ*, *Iudæos* recipere nemini permiſſum eſt, niſi qui regalia à Cæſare & Imperio obtinet, aut ſpeciali privilegio jus hoc quæſitum habet. Quibus autem recipi conditionibus poſſint, ſupra docuimus. Interim multi Principes à Theologis perſuaſi Iudæos non recipiunt. In Coburgiſcher Lan=

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

des Ordnung: art. 82. Iudæis aqua & igni interdicitur. *Limn.* de I. P. libr. 3. cap. 2. num. 15. vide lib. 2. c. 17. th. 3. expl. 2.

V. *Induciæ moratoriæ* dantur nonnullis debitoribus, qui fortuitis è caſibus, lapſi ſunt facultatibus ſuis. Per has *inducias* plerunque *quinquennii* ſpatio creditores de ſummâ creditâ poſtulare nihil poſſunt: ut ſub *induciis* illis ſe recolligere & aliquo modo reſpirare poſſint. Germanice Quinquennell/ oder Anſtands Brieffe.

De his *induciis* duo ſunt obſervanda:

(1.) *Non valere eas aliter, quàm ſi fidejuſſio idonea ſuper debiti ſolutione præbeatur, aut juramentum præſtetur.*

(2.) *Nihil operari vel valere inducias haſce, vel contra fiſcum: vel contra opifices & alios, quibus ad laborem perſonæ obligatus eſt debitor: vel in cauſâ dotis, alimentorum & ſimilium, quæ dilationem non admittunt.*

VI. In bonis *ſpuriorum* ſine liberis decedentium ſuccedunt Principes & alii ordines, quibus ſuperiora regalia à Cæſare ſunt communicata, excluſis eorum fratribus & ſororibus etiam ex legitimo matrimonio procreatis. Idem jus ſibi vendicant in eorum bonis, qui ſine hærede deceſſerunt.

VII. *Exercitium religionis* mutare liberum eſt ſtatibus tàm *Auguſtanæ Confeſſionis* quam *Pontificiæ religionis* in ſuis diſtrictibus, idque ex conſtitutione *pacis religionis.* Interim ſubditos pacificè viventes cogere ad hanc vel illam religionem non poſſunt. *Incivile enim eſt invitum hominem jubere facere, quod facere non poteſt:* l. 9. §. 10. ff. de pœn. Id autem cenſetur quis poſſe facere, quod liberâ animi voluntate facit, nemine cogente. *Religio ſuaderi, non imperari debet.* Eâdem ratione *ſtatibus Imperii* quoque competit jus epi-

ſcopa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſcopale: quos tanquam legitimos magiſtratus *utriuſque tabulæ* cuſtodes DEVS eſſe vult. Illorum igitur eſt providere, *ne quid Res Eccleſiaſtica detrimenti capiat*, & intra officii limites continere verbi miniſtros, eos tueri, alere & tanquam legatos DEI venerari: convocare *Synodos* ad aſſerendam & conſervandam religionis ſinceritatem, hæreticos & blaſphemos coërcere; de idoneorum miniſtrorum vocatione laborare: conſiſtoria Eccleſiaſtica ordinare & Eccleſiarum viſitationes mandare, urgere: quas ſibi partes iniquiſſimè olim in imperio Romano *Papa* rapuit.

VIII. *Ius foreſtale*, Germ. Die Förſtl. Obrigkeit/ hoc in ſe habet, quod, qui eo gaudet, ſaltuarios ſibi poſſit conſtituere, nexilibus plagis ſylvas cingere, pœnamque ab iis, qui contra edictum venantur, exigere. Et hoc jus dicuntur rectè exercere non tantum in locis publicis, ſed & privatis ſubditorum.

Vendicare ſibi jus hoc Principes, Comites & alii dicuntur triplici titulo:

(1.) *Præſcriptionis:* quæ creditur pleniſſimam parere ſecuritatem, nullâ admiſsâ, de malâ fide aut titulo, quæſtione.

(2.) *Patientiæ ſubditorum:* qui acquieverunt in prohibitionibus, & ſe principum conatibus favere patientiâ ſuâ oſtenderunt, non in publicis tantùm ſed & privatis locis.

(3.) *Singularis privilegii Cæſarei:* quod ſtatibus contigiſſe nonnulli affirmant ICti. Vnde inter *regalia* venandi jus refertur, & in privatorum fundis appellatur *Servitus* juriſdictioni principali debita.

Rationibus quoque vindicant hoc jus ſoli magiſtratui:

(1.) Si indifferens eſſet venatio & publicè omnibus permiſſa, torpeſcerent homines & præ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

nimiâ venandi dulcedine, ab agriculturâ aliiſque neceſſariis vocationis officiis abduci ſe paterentur.
(2.) Hac ratione privati ad *diſcordiam*, cujus fomes eſt *communio*, redderentur procliviores.
(3.) *Confuſio* metuenda eſſet in ferendis armis, ſine quibus venatio expediri non poteſt.

Interim ſunt nobiles quoque ICti, qui *jus foreſtale* lubricis niti fundamentis putant. Litem hanc componere noſtrum non eſt: etſi non diffitemur rationes quas allegant plerique, admodum imbecilles eſſe. Incommoda illa in locis, ubi libera eſt venatio, non deprehenduntur. *Divinum jus* qui heîc allegant, admodum torquere Scripturam videntur. *Subditi tamen magiſtratuum mandatis rectè parent, qui etiam durioribus tenentur parere.* Interim Magiſtratus in cœlis judicem habet.

IX. Ad hanc principum *poteſtatem* alii quoque referunt, quod pro defenſione jurium & rerum ſuarum, paciſque publicæ causâ, poſſint inter ſe & cum exteris *inire fœdera:* Vnde *Germaniæ principes* cum *Galliæ Regibus* 47. fœdera contraxiſſe *Bodinus* ſcribit. Vide *Limnæ*. de I.P. lib. 4. cap. 8. num. 28. quod pro arbitrio condere & abrogare poſſint *ſtatuta, jura municipalia* & *conſtitutiones provinciales juri quoque communi adverſantes:* quod ad propriam & aliorum ſalutem milites poſſint conſcribere, propugnacula exſtruere, Gymnaſia inſtituere: Collegia & ſocietates opificum permittere & approbare: nundinas particulares conſtituere: *Repreſſalias* concedere: vide *Limnæ*. lib. 4. c. 8. n. 306. 307. 308. &c.

THES. IV.

Probatur Iuriſdictio & jus territorii ſex argumentis. (1. *Ex inſignibus principum in curiâ aliiſque locis depictis vel affixis.* (2.) *Ex ſolemni principum*

pum introitu. 3.) *Ex juramento ſubjectionis.* (4.) *Ex edictorum & mandatorum obſervantiâ.* (5) *Ex perceptione redituum.* (6.) *Ex communi famâ.*

THES. V.

Effectus juriſdictionis communicatæ ſtatibus eſt, quod ad defendendam ſuam juriſdictionem ſtatibus *actio* competat: quod pœnâ *fractæ* pacis teneantur, qui alienam juriſdictionem violant: quod denique in territoriis ſuis omnibuſque eorum acceſſoriis& pertinentiis fundatam habeant intentionem.

EXPLICATIO.

Sic de Cæſaris poteſtate reſervatâ & communicatâ: reſtat ut paucula addamus de publico ejus *patrimonio:* tantam enim Imperator *Romanus* majeſtatem ſuſtinere non poteſt, ſine maximis expenſis, quod *patrimonium* ejus appellant Politici & ICti: *Ærarii* nomine indigitari idem ſolet, nec non *redituum* Imperii, quos ex Imperio Cæſarem percipere non minus eſt æquum, quàm reges ex ſuis regnis & principes ex ſuis principatibus. Reditus hoſce perceperunt olim *Germanici Imperatores* ex civitatibus liberis & Imperialibus, ex portoriis, vectigalibus, teloniis, fodinis metallicis, quas olim tanquam regale Imperator ſibi ſoli per univerſum imperium vendicabat.

Fridericus Barbaroſſa, ſuis temporibus, attenuatis jam Imperii viribus, ex *Italiâ* & *Germaniâ* in uſus ſuos collegit *viginti tonnas* auri, vel, ſecundũ *Schneidevvini* calculum, *ſexaginti tonnas.*

Rudolphus verò *Habspurgenſis* cum metu Pontificum Romanorum *Italiam* negligeret, Italiæ civitatibus, libertates, immunitates, jura & reditus annuos cœpit vendere: quem ſucceſſores imitati, idem non tantùm in *Italiâ*, ſed & in *Germaniâ* fecerunt. Vnde nulla amplius *libera*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

civitas Imperio in Italia eſt reliqua, nulla *portoria*, nulla *vectigalia* &c. Tandem *Carolus IV.* fili ſuo *VVenceslao* Imperium mercatus eſt reliqui patrimonii venditione. Vt hodiè ordinarii ex Imperio reditus, pro tanta Imperii majeſtate admodum exigui ſint, neque tueri *pompam Imperialem* Cæſar poſſit, niſi ex hæreditariis provinciis aliquot centena aureorum millia annua impendat.

Imò *Granvellanus* in colloquio *Spirenſi* ac *Landgravium* intrepide affirmavit, ex Imperio ne tantillum quidem emolumenti habere Cæſarem, *Sleidanus*, libr. 17. Magna hinc Imperio Romano naſcuntur incommoda. Ad hanc inopiam deinceps ſublevandam commodiſſima ratio viſa eſt *Maximiliano II.* ejuſque ſucceſſoribus omnibus, ut feuda Imperio aperta, principibus abſque hærede feudali decedentibus, nulli alii conferrentur, ſed *patrimonio* Imperatoris accreſcerent.

Longe opimius eſt *Pontificis Romani* patrimonium, quod per varios & miros acquirendi modos fere in immenſum excrevit & *Divi Petri* opes orbi formidabiles effecit. Sunt autem inter alios *acquirendi modos*, tres admodum inſignes & fœcundi:

(1.) *Annatæ*: quæ ſunt integri anni reditus Epiſcopi vel Abbatis Eccleſiam Pontificiam agnoſcentis, quos ſibi vendicat & accipit Pontifex ab eo, qui Epiſcopo vel Abbati defuncto ſuccedit.

(2.) *Indulgentiæ*: quæ ſunt pecuniæ, vel pecunias acquirendi modus, quo à Pontifice Romano, certâ pecuniæ ſummâ, *peccatorum remiſſio & liberatio à cruciatibus Ignis purgatorii* redimitur. Perſuadent enim *emiſſarii Pontificis* miſellæ plebi, ex purgatorio in cœlum evola-

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

re animas, ſimul atque nummi in arca Pontificis tinniunt. Hiſce nummis luxus & prodigalitas Pontificia ſuſtentatur: Vnde *Cæſar Borgias* cum aliquando centum millia aureorum alea perdidiſſet, fertur dixiſſe, *peccata illa eſſe Germanorum*.

(3.) *Pallia Epiſcopalia vel Archiepiſcopalia*: coguntur n. ſinguli Epiſcopi & Archiepiſcopi jam promoti dignitatis ſuæ inſigne à *Papâ* pallium pro confirmatione redimere 25000. aureorum. Sub *Maxim. I.* unius hominis ætate, à ſeptem Archiepiſcopis *Moguntinis* ſibi ſuccedentibus redemta ſeptem pallia in Pontificis Romani theſaurum intulerunt 175000. aureorum. Hinc moriturus Archiepiſcopus *Iacobus* non tam angi ſe ajebat de inſtante morte, quàm quod ſubditi pauperes pro redimendo pallio tam gravi tributo rurſus ſint premendi.

CAPVT. XXXV.

DE ELECTORIBUS.

THESIS. I.

HActenus *Cæſar*: ſequuntur *Status* ex quibus reliquum Imperii corpus conſtat: quorum claſſes ſunt tres: *Prima* Electorum: *Secunda* Principum: *Tertia* Liberarum civitatum.

EXPLICATIO.

Vt aliquis ſit *Imperii Status*, quatuor requiruntur; ſecundùm pleroſque:

(1.) Vt in *matriculâ*, ſeu albo Imperii ſit receptus.

(2.) Vt *ſeßionem* & *votum* in comitiis habeat.

(3.) Vt *collectas* Imperio immediatè pro rata ſua ſemper ſolverit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

(4.) *Vt ſuperioritatem territorialem* & *omnimodam Iuriſdictionem habeat.*

Indicium ſtatus imperii inſeparabile unicum agnoſcit *Limnæ.* de Iuri. Public. libr. 1. cap. 7 num. 91. &c. nempe receptionem & inſcriptionem in matriculam Imperii: reliquæ omnes notæ ſeparabiles ipſi ſunt. Et primum quidem non quilibet ſtatus Imperii *votum* & *ſeßionem* in comitiis obtinet, probat idem *Limnæus* longâ inductione Adminiſtratorum *Archiepiſcopatuum* Magdeburgenſis & Bremenſis: *Epiſcopatuum*, Miſnenſis, Merſpurgenſis, Naumburgenſis, &c. *Abbatiarum Principalium*, Hirſchfeldenſis, Salfeldenſis, &c. *Præpoſitorum, Comitum, Baronum.* Vbi obſervandum propter Euangelicam religionem ad *ſeßionem* & *vota* non admitti Adminiſtratores, qui tamen Imperii ſtatus propterea eſſe non deſinunt. Negat idem ad Comitia hodiè vocari *Regem Bohemiæ.*

Neque quilibet Imperii ſtatus *contribuit*: exempli gratia, ad contributiones compelli nequeunt *Domus Auſtriaca*, *Sabaudus & Arnburgius*, Principes, Epiſcopi *Cameracenſis*, *Curienſis*, *Sedunenſis.* Imò *ſtatus Imperii* manet etiam qui in Imperio nihil amplius poſſidet, præter titulos & tumulos Majorum. Siquidem *ſtatus Imperii* regulariter non eſt feudatariæ poſſeſſionis dignitas, ſed perſonæ celſitudo, non glebæ pretium, ſed ſummi Principis præmium.

Deniq; nec *ſuperioritas territorialis* immediatè ab Imperatore dependens inſeparabilis eſt à *ſtatu Imperii.* Vt enim non omnes *Immediati* ſunt *ſtatus Imperii*, ita nec omnes *ſtatus Imperii* ſunt *immediati.* Exemplũ adducit Limnæus *Ducũ VVurtembergicorum*, qui ſtatus Imperii ſunt, Ducatum verò ſuum à Domo Auſtriaca, als ein Affter Lehen / non immediatè ab Imperatore ſuſcipiunt.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Thes. II.

Electores in Imperio Romano ſeptem ſunt: quatuor ſeculares, *Rex Bohemiæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus.* Tres Eccleſiaſtici, *Archiepiſcopus Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis.*

Explicatio.

Septem cur ſint conſtituti Electores, non plures, aut pauciores, inde factum nonnulli putant, quod veteres ſingularem quandam vim numero ſeptenario tribuerint: numeri enim hujus tanta credebatur majeſtas eſſe, ut ſacrum & venerabilem appellarint, unde & ſeptem teſtes olim ad teſtamenti confirmationem requiſiti. Vide Limnæ. de I. P. lib. 3. c. 2. n. 27. &c.

Cur autem collegium hoc Electorale ex Politicis & Eccleſiaſticis conflatum ſit? quæritur: Rationem nonnulli hanc reddunt, quia ante *Collegium Electorale* inſtitutum olim clerus cum reliquis proceribus ſibi *Imperatorem* elegit. Vnde nec ab hoc collegio videbatur excludendus, præſertim cum jam *Ludovici* temporibus aliqui ex clero *Antiſtites* Imperii Principes facti eſſent. *Alii* hanc: Quia tanti momenti res non videbatur rite peragi poſſe, abſque Sacerdotibus, vel ad minimum, viris eruditione & vitæ ſanctimonia conſpicuis. *Aliis* dubium non eſt, quin heîc excubarit cura *Pontificum Romanorum*, ut poteſtatem, quam in Imperii negotiis ſibi arrogaverunt, hac etiam via confirmarent.

Tres hi *Archiepiſcopi* Electores totidem ſunt *Archicancellarii*, & Moguntinus quidem Archicancellarius *Germaniæ*, Trevirenſis *Galliæ*, Colonienſis *Italiæ*. Ratio officiorum ſic diſtributorum hæc eſt: Quia *Romano-Francicum Imperium* olim tria regna complectebatur, *Germaniam, Galliam & Italiam*. Vnde pro tribus hiſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Regnis & Nationibus tres conſtituti Cancellarii, qui ſinguli ſuæ nationis peculiarem curam gererent,* ut ſingulæ ſe Imperatori curæ eſſe intelligerent.

THES. III.

Electorum horum conſideranda (1.) *origo* (2.) *poteſtas.*

THES. IV.

Origo Collegii Electoralis à multis refertur ad *Ottonem* III. Imperatorem: ab aliis ad *Rudolphum* I. ab aliis ad *Fridericum Barbaroſſam*: ab aliis ad *Carolum* IV. Autor cum nonnullis putat *Electorale Collegium* non certo aliquo Imperatoris alicujus vel univerſi Imperii decreto introductum eſſe; ſed conſenſu Principum Imperii tacito & longi temporis curſu.

EXPLICATIO.

Electoralis Collegii autorem plurimi prædicant *Ottonem* III. Imperatorem, qui decem annorum puer ad imperium evectus eſt, anno Chriſti 984. Vnde nomen traxit, *Otto* das Kind: poſtea dictus *mirabilia mundi.*

Sed huic obſtat ſententiæ, quod Imperatores, qui *Ottonem* III. ſecuti ſunt, ab univerſis Imperii principibus *Eccleſiaſticis* & *Politicis*, quos 54. fuiſſe ſcribit *Bodinus*, nec non à populis quibusdam, ut, *Saxonibus*, *Suevis* & *Bavaris* electi dicuntur ab *Ottone Friſingenſi*, *Abbate Vrſpergenſi* & *Sigeberto* hiſtoricis antiquis. Etſi contendunt alii *Ottonis* hujus temporibus jam cognitum fuiſſe ordinem *Electorum*, quod in privilegio *Ottonis* III. præfixo juri Saxonico municipali aperta fiat mentio *Electorum Eccleſiaſticorum* & *Secularium*. Sic & in alio privilegio anno 933. Electorum *Otto* meminiſſe dicitur. Autor ordinis hujus inſtituendi fertur *Ottoni* fuiſſe præceptor ejus *Viligiſus*, qui patre natus Rhedario primus fuit Archiepiſcopus

pus Moguntinus : Vnde etiamnum *rota* inſigne eſt *Archiepiſcopatus Moguntini*:

Ad *Rudolphum* I. referri nequit, quia anteceſſori ejus *VVilhelmo Hollandiæ Comiti* Imperium ab *Electoribus* aſſignatum legitur.

De *Friderico Barbaroſſâ*, qui Imperio præfuit, anno 1152. etiam nulla ſunt evidentia documenta.

Friderici II. qui anno 1212. Imperium tenuit, temporibus jam notæ erant ſeptem familiæ ſuffragantes.

Priſcam verò & notam ſanctionem de *Collegio Electorali* nullam exſtare, inde probabiliter colligitur, quod *Carolus* IV. in *Aureâ Bullâ* nullam ejus mentionem faciat, ſed uſum duntaxat longævum & conſuetudinem laudet,

Prorſus inepti ſunt, qui Collegii hujus fundatorem *Carolum* IV. faciunt. Cum anteceſſores *Caroli* plures à *ſ ptemviris* electi ſint.

THES. V.

Poteſtas eſt vel in electione & degradatione Imperatoris, vel extra electionem.

THES. VI.

In electione & degradatione conſpicua Electoralis Collegii poteſtas in eo eſt, quod ab hoc toto & ſolo ut eligi & in thronum evehi, ſic & ab eodem removeri & deponi juſtis de cauſis Imperator poſſit.

EXPLICATIO.

Sex *Electoribus* ideo additus dicitur ſeptimus, *Rex Bohemiæ*, ut ſi forte ſex paribus ſuffragiis duos elegiſſent, ſeptimus eſſet, qui è duobus illis alterutrum eligeret acceſſione voti ſui.

Superiore & noſtro ſeculo *Bohemiæ Reges* electioni Imperatorum Romanorum non interfuerunt. Imo *Iuris Sax.* lib. 3. art. 57. expreſſa hæc ſunt verba. Der Schenck des Reichs (*Rex Bohemiæ*)

miæ) hat keine Wahl: Darumb daß er nicht Teutſch iſt. Idem quoque habetur im Schwaben Spiegel lib. 1. cap. 29. §. 2. Alii quoque duriores jus eligendi prorſus ei denegant. Sed quo jure, ipſi viderint. *Electorem* eſſe *Regem Bohemiæ*, extra controverſiam eſt: Quis verò *Electorem* eum dixerit, qui jus *eligendi* non habeat? Sed & evidentia ſunt alia documenta, quæ jus hoc *Bohemiæ regibus* aſſerunt. Inter alia memorabile eſt diploma *Rudolphi primi*, datum *Erfordiæ*, Calend. Octob. anno Chriſti 1290. quod à *Goldaſto* allegatur, tom. 2. conſtit. Imperial. & lib. 3. de *regno Bohem.* cap. 5. & à *Gevvoldo*, de ſeptemviratu, cap. 9. In quo inter alia, expreſſa hæc ſunt verba: *Exſtitit dilucidè, declaratum prædictum regem Bohemiæ & ſuos hæredes in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad ſimilitudinem aliorum Electorum, eligendi plenarium jus & vocem.*

Vnde cum ad deſignationem *Maximiliani I. Rex Bohemiæ* vocatus non eſſet, poſt longam expoſtulationem & concertationem tandem inter *Regem Bohemiæ* & reliquos *Electores* tranſactione initâ conventum, *ne ſub pœnâ* 500. *marcarum auri puri Reges Bohemiæ impoſterum excluderentur. Goldaſtus* tom. 2. Der Reichs Satzung Competit eligendi poteſtas Electoribus, ut collegio, non ut ſingulis, Aur. Bull. c. 4. §. 2. Etſi electionem non impedit unius aut alterius vocati abſentia: Aur. Bull. cap. 1. & 4. de *Rege Bohemiæ* vide Limnæ. lib. 3. c. 8.

Iure ſuo in abrogando imperio uſi ſunt Electores adverſus *VVenceslaum Caroli IV. filium*, Anno 1376. qui inſignia tria vitiorum ſuorum documenta dedit: In *partu* Matrem extinxit: in *Baptiſmo* aquam polluit; in *inauguratione* aram cæno ſuo contaminavit: unde ab Hiſtori-

cis

cis appellatus *Sardanapalus*, *Margites*, *Therſites*.

Thes. VII.

Extra electionem poteſtas & dignitas Electorum conſpicua Imperatore *mortuo* vel *vivo*.

Thes. VIII.

Mortuo Imperatore *Comes Palatinus* & *Dux Saxoniæ* Imperii Romani ſunt *vicarii* & adminiſtratores: hic in locis, ubi obſervantur jura *Saxonica*: ille in reliquis Imperii circulis jure *Saxonico* non utentibus.

Explicatio.

Ex jure *Vicariatus Palatinus* & *Saxo*, vacante Imperio, poſſunt, quicquid Imperator vivus poteſt: exceptâ ſaltem inveſtiturâ feudorum principalium & vexillarium: quæ ſoli Imperatori vel Regi Romano ſpecialiter reſervata eſt.

Quæritur; *An Imperatore trans Alpes Italiam ingrediente, vicariatus officium* Palatinus & Saxo *exerceant*, *quando Rex Romanus eſt nullus*. Negativam nonnulli multis adductis exemplis, probant, quæ docent abſentis Imperatoris vices per ipſos Imperatores aliis eſſe demandatas. Interim affirmativam tuentur plerique, quos vide apud Daniel. Ott. de I. P. lib. 3. cap. 12. n. 35. &c.

Thes. IX.

Vivo Imperatore, poteſtas propria *Palatini* eſt, quod ſit judex: coram quo conveniri Cæſar poteſt. Propria *Saxonis* & *Brandeburgici*, quod à ſententiis ipſorum provocari ad Cameram planè non poſſit, niſi in cauſa violatæ pacis publicæ: Propria *Moguntini*, *Coloniensis* & *Palatini*, quod non niſi intra certam ſummam ab ipſis provocare liceat: & à *Moguntino* quidem provocare nefas, ſi cauſæ valor ad 400. florenos non aſcendat: à *Colonienſi*, ſi 500. florenos non ſuperet: à *Palatino*, ſi mille flore-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

florenos non excedat cauſa. Habet & hoc proprium *Moguntinus*, quod penes ipſum ſit, *archivum imperii publicum*; quod *conſilium* cum *Cancellariâ Imperatoriâ* eidem juramento obſtringatur, ſoliq; *imperialium decretorum ſignatura* competat; Quod *Collegii Electoralis* ſit *Decanus* penes quem quoque olim fuit *jus conſecrandi Regem Bohemiæ*, quod tamen poſtmodum ab *Henrico Archipræſule Moguntino* venditum *Eccleſiæ Pragenſi*: ut nonnulli ſcribunt.

EXPLICATIO.

I. Coram *Electore Palatino* tanquam Iudice convenitur Cæſar, non tanquam coram ſuperiore & magiſtratu: ſed tanquam coram inferiore, quem ſibi Iudicem pro arbitrio ipſe conſtituit. Quomodo in *Gallia* Rex coram *Parlamento* conveniri poteſt: *Rex Bohemiæ*, reſpectu *Sileſiæ* coram Iudicio ſuperiore *Vratislavienſi*: Elector *Saxoniæ* coram ſupremâ ſuâ curiâ *Lipſienſi*. Exercet autem *Palatinus* Iudicium hoc non in *Palatinatu*, ſed in *aulâ Cæſareâ*: quod ante Legem *Carolinam* olim exercebatur ad Rheni fluminis ripam, *Freh.* cap. 10. ad P. *de Andlo*. Eſt autem hæc cognitio non niſi de cauſis pecuniariis. Cognitio de malè adminiſtrato Imperio ad omnes Electores pertinet: vide *Daniel. Ott.* cap. 16. in fin.

II. Obſervandum & hoc: ſicubi Imperator vel Rex Romanus ſolemnes ſuas curias celebrant, ex *Aureæ Bullæ* conſtitutione *Elector Palatinus* S. Romani Imperii Archidapifer eſt: qui vicarios habet *Barones VValpurgicos* Truſchſeſios. *Saxo*, Archimareſchallus: cujus vices gerunt Barones de *Pappenheim*. *Brandeburgicus* Archicamerarius: cujus vicarii ſunt Comites ab *Hohenzollern*. Officia hæc iisque annexa commoda ex conſtitutione *Henrici II.* Electores ſeculares in

ſen-

feudum accipiunt ab *Epiſcopo Bambergenſi.*

III. Denique & hoc addimus, tantam eſſe *Electorum* dignitatem, ut, quamvis Reges non ſint, tamen regibus æquiparentur. Imo in *Comitiis Imperialibus*, etiam præſentibus regum Legatis prærogativam ſeſſionis ſibi vendicant. Hinc in coronatione *Caroli* V. *Nuntius Apoſtolicus* & *Angliæ Legatus* adeſſe pompæ non ſuſtinuerunt, ne poſt Electores collocarentur. Arguit & hoc ſummam dignitatem, quod *Læſæ Majeſtatis Crimen* in ipſos committatur: Matth. Steph. lib. 2. part. 1. cap. 5. num. 75. quodque *Archivi jura* habeant: n. 76.

CAPUT XXXVI.

DE ARCHIEPISCOPIS, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, Archiducibus, Ducibus, Marchionibus, Landgraviis, Comitibus, Baronibus, liberis civitatibus.

THESIS I.

H*Actenus prima Claſſis ſtatuum Imperii*: ſequitur altera, quæ Principum eſt, qui ſunt *Eccleſiaſtici* vel *Seculares.*

EXPLICATIO.

Princeps Germ. Fürſt; Nominis *Germanici* origo non eſt führen ut nonnulli volunt. quaſi à ducendo exercitu ſic dicatur: hic enim Germanis appellatur Hertzog / Latinis *Dux*: ſed der fürderſte: dann die Fürſten ſeyn die Fürderſten im Reich.

THES. II.

Eccleſiaſtici ſunt 1.) *Archiepiſcopi* (2.) *Epiſcopi* (3.) *Abbates* & *Prælati.*

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. III.

Archiepiſcopi dicuntur, qui non unius tantum civitatis, ſed univerſæ provinciæ plures civitates complectentis Eccleſias ſuæ inſpectioni commiſſas habent.

EXPLICATIO.

Archiepiſcopos Imperii Romani, ſupra recenſuimus, cap. 30. ad th. 3. & 4. Dignitatis ſuæ inſigne gerunt *pallium*, quod à *Patriarchâ* vel *Pontifice* accipiunt. Olim dicebantur *Metropolitani*, quia in Metropoli, hoc eſt, civitate aliquâ matrice & primariâ conſtituti erant.

Superiores *Archiepiſcopis* ſunt *Patriachæ* & *Primates*. *Patriarchæ* olim non uni tantum provinciæ præſidebant, ſed integræ nationi plures provincias complectenti, & quatuor erant, *Conſtantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *Hieroſolymitanus*: Quibus tanquam inferioris ſubſellii annumerantur, *Aquilejenſis*, *Cantuarienſis*: In Hiſpaniâ, *Toletanus*.

THES. IV.

Epiſcopi plurib. præſunt Eccleſiis ejusdem civitatis vel provinciæ, quos eligunt cujuscunque Eccleſiæ *Cononici*, intra tres menſes à die vacationis. Requiritur in iis (1.) ut legitimè ſint nati (2.) ut ſint probatæ vitæ & ſcientiæ (3.) ut trigeſimum ætatis annum exceſſerint.

EXPLICATIO.

Archiepiſcopos & Epiſcopos imperio ſubjectos matricula *Friderici* III. numerat 100. Epiſcopi Imperii in ſpecie appellati ſunt quatuor, *Babenbergenſis*, *Miſnenſis*, *Ratisbonenſis*, *Herbipolenſis*.

THES. V.

Abbates ſunt præpoſiti Monachorum, qui juriſdi-

iſdictionem & coërcitionem habent in ſuos Monachos. Sic & *Abbatiſſæ* ſunt præpoſitæ Monialium. *Prælati* ſunt antiſtites Eccleſiaſtici immediatè Imperio ſubjecti. Habentq; cùm *Abbates*, tùm *Prælati* univerſi in comitiis non niſi *unum ſuffragium*, adeoq; unius tantum principis vicem ſuſtinent, etſi plures principum titulo ſunt decorati.

Explicatio.

I. Abbates, Abbatiſſas, Præpoſitos & Commendatores matricula numerat 156. Abbates in ſpecie dicti quatuor, ſunt *Fuldenſis*, *Campodunenſis*, *VVeiſſenburgenſis*, *Murbacenſis*.

II. Antequàm ab Eccleſiaſticis principibus abeamus, breviter duo annotamus.

(1.) *Viros Eccleſiaſticos*, qui ex divinâ & *Apoſtolicâ* inſtitutione non dominari clero vel aliis, ſed miniſtrare & Evangelium prædicare, exemplo *Apoſtolorũ*, debebant, ampliſſimis largitionibus & principatibus mactavit veterum Imperatorum ſuperſtitioſa devotio, jam inde à *Caroli Magni* temporibus. Hujus filius *Ludovicus Pius* in principum ordinem Epiſcopos expreſsè retulit. *Helmold.* lib. 1. cap. 4.

(2.) Epiſcoporum nonnulli etiam titulos ſeculares uſurpant. Hinc *Archiepiſcopus Colonienſis* appellatur *Dux VVeſtphaliæ* & *Angariæ : Herbipolenſis , Dux Franconiæ : Argentinenſis, Landgravius Alſatiæ : Verodunenſis, Comes Verodunenſis,*

Thes. VI.

Hactenus Principes Eccleſiaſtici : ſequuntur *ſeculares*, qui ſunt (1.) Archiduces (2.) Duces (3.) Marchiones (4.) Landgravii (5.) Comites (6.) Barones.

Explicatio.

Principis appellatio hoc loco generalior eſt & tri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

& tribuitur omnibus, qui regalem dignitatem poſſident, ſub immediatâ Imperatoris & Imperi Iurisdictione.

THES. VII.

Archiduces Iuxta *Electores* in Romano Imperio ſummam dignitatem obtinent, & hodiè non ſunt niſi *Auſtriaci*. Titulum *Archiducis* accepit primus *Fridericus* III. Imperator creatus anno 1440. alii tamen primum nominant Albertum Rudolphi I. filium, quem archiducali dignitate beaſſe pater dicitur.

EXPLICATIO.

I. De *Archiducibus Auſtriæ*, obſervanda duo: 1. *familia* eorum. 2. *privilegia*.

Familiam ducunt à *Rudolpho I. Habsburgico*, qui Imperator creatus, anno 1273, Ab hoc ſatore deſcendit *Philippus* Hiſpaniarum & Siciliæ Rex, & Archidux Auſtriæ, *Maximiliani* I. Filius, qui duos reliquit Filios, *Carolum* V. & *Ferdinandum* I. utrumque Imperatorem. A *Carolo* V. deſcenderunt Reges Hiſpaniæ, *Philippus* II. filius. *Philippus* III. nepos: *Philippus* IV. modernus, Pronepos. A *Ferdinando* I. deſcenderunt moderni Archiduces Auſtriæ, Imperatores Romani, *Maximilianus* II. Filius, *Rudolphus* II. nepos, cui ſucceſſit frater *Matthias* : huic *Ferdinandus* II. patruelis, *Caroli* filius, &c.

II. *Privilegia* Archiducum inſignia ſunt:

(1.) *Vectigalia* nova in ſuis ditionibus poſſunt conſtituere.

(2.) Nobiles & Barones poſſunt creare iisque inſignia dare.

(3.) *Appellatio* ab iis ad Cameram non datur.

(4.) *Inveſtituram* non tenentur petere extra provinciam, quam accipiunt tecto capite equis inſidentes : cum alii principes humilime eam coguntur petere & accipere.

Acce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Accedunt aliæ prærogativæ in Comitiis, de quibus ſuo loco. vide Limnæ. lib. 5. cap. 2. omnes alias illuſtres Imperii familias privilegiorum amplitudine ſuperant *Archiduces Auſtriæ.* Ex hac enim familiâ plurimi Imperatores fuêre, qui optimè de eâ mereri ſtuduerunt.

THES. VIII.

Duces à ducendis exercitibus ita dicti, è vigore ſanctionis *Ottonianæ*, è pluribus quatuor ſunt, qui in ſpecie appellantur Duces Imperii, *Brunſuicenſis*, *Bavariæ*, *Sueviæ & Lotharingiæ* : qui ordine in ſeſſionibus alios Duces antecedunt. Hodie in *Germaniâ* Duces non ſunt, qui *Magni* appellantur: Extra eam ſunt, *Magnus Dux Hertruriæ*, *Magnus Dux Muſcoviæ*, *Magnus Dux Lituaniæ.*

EXPLICATIO.

Hodie dignitas *Ducum* ad hæredes tranſit: olim perſonalis tantùm fuit, & adhuc hodiè in *Hiſpaniâ ducalis dignitas*, niſi per Regem renovetur, ad hæredes non tranſit. Matricula Imperii numerat 76. Haberi *Ducatus* ſine *dignitate ducali* poteſt: Vnde qui *Ducatum* habet & *Dux* ab Imperatore creatus non eſt, non *Dux* appellatur, ſed *poſſeſſor Ducatus*: Des Hertzogthumbs Einhaber. Alia eſt ratio *Archiepiſcopatuum*, quibus inhæret vis nobilitandi poſſeſſorem. De Ducibus vide Limnæ. de Iur. Pub. lib. 4. cap. 3.

THES. IX.

Marchiones olim dicti ſunt, qui finibus *Romani* Imperii adverſus hoſtium irruptiones defendendis præfecti fuerunt, temporibus *Henrici Aucupis* anno 920. Vnde quaſi *præſides limitanei* aſſidue ad Imperii limites in armis excubabant: qui hodie itidem ſunt quatuor, quos in ſpecie Imperii Marchiones appellamus, *Brandeburgenſis*, *Miſnenſis*, *Badenſis & Moraviæ.*

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Marchia unde dicta ſit, inter doctos non convenit. Sunt tamen probabiles duæ ſententiæ: quarum una eorum eſt, qui à *Marckâ* deducunt, quâ voce finem, ſeu limitem *Germani* appellant. Altera eorum, qui originis Græcæ nomen contendunt eſſe, idque temporis tractu corruptum. Græcis enim *Nomarchia* dicta olim provincia: unde, primâ ſyllabâ ablatâ, manſit *Marchia*. Cæpit enim *Marchionatus* ferè eodem tempore, quo *Exarchatus* in Italiâ: quando pleraque magiſtratuum nomina fuêre mutata, & pro *Latinis græca* uſurpari cæpta, per Imperatores *Græcos*. Ex vi vocis & originis hujus *Marchiones* ſunt *Præfecti Provinciis*. Marchiones Matricula numerat 20.

THES. X.

Landgravii olim erant Iudices totius alicujus provinciæ, qui itidem quatuor in ſpecie dicuntur, nempe Imperii Landgravii, *Thuringiæ, Haſſiæ, Alſatiæ, Leuchtenbergenſis.*

EXPLICATIO.

Grave olim Germanis ſignificabat *Iudicem*: unde Landgrave / qui territorii alicujus vel provinciæ judex eſt: Limnæ. de I. P. lib. 4. cap. 4. Matricula quinque numerat, qui Principes ſunt: Non Principes Langravios numerat 13. Illuſtriſſimi modo ſunt *Haſſiæ Landgravii* in familiam *Caſſellanam* & *Darmſtadianam* diſtincti. Originem trahunt à vetuſtiſſimis *Brabantiæ* Ducibus. vide *Limnæ*. lib. 5. cap. 8. Ab *Haſſiæ Landgraviis* infra 600. flor. appellare non licet.

THES. XI.

Comites appellati ſunt, qui magiſtratus provinciales, tanquam negotiorum publicorum adjutores veluti legati ſequebantur: qui quatuor

quo-

quoque ſunt, quos Imperii Comites appellamus, *Clivenſis*, *Sabaudicus*, *Cilienſis & Schvvartzenburgenſis*, Sola modò in hac dignitate reliqua eſt familia *Schvvartzenburgica.*

EXPLICATIO.

I. *Comites* Germani appellant Graven / hoc eſt, judices: quia hoc munere olim fungebantur. Vnde hodie etiamnum Zentgraffen / Zentrichter. In *Iure Saxonico* appellantur Gograffen : quia neceſſitatis tempore in cauſis moram non admittentibus judicant.

Olim *Palatini Comites* Palatii Cæſarei judices jus dicebant bello partis pacatiſque provinciis. Comites Matricula numerat 281. Inter quos 29. qui Principes quoque ſunt : Vnde *Comites Palatini* inter præcipuos Imperii Principes ſunt, habentque commune ſtemma cum *Ducibus Bavariæ*, quod ab *Arnulphi* Imperatoris filio *VVernhero* Comite in *Schiern* deducitur, qui vixit circa annum Chriſti 900. cujus filius fuit *Otto Palatinus, in VVittelsbach* : Etſi poſt *Henricum,* qui ſeptimus ab *Arnulpho* Imperatore numeratur Dux *Bavariæ* & Elector, per conjugia ad alias quoque familias *Palatinatus* pervenit : Poſtmodum ſatorem communem *Comitis Palatini* & *Bavariæ Duces* agnoverunt *Ottonem Comitem à Schiern & VVittelsbach*, qui vixit circa annum Chriſti 1100. inter cujus poſteros fuere, *Ludovicus* Imperator cognomento *Bavarus*, qui obiit anno 1347. & *Rupertus* Imperator, qui obiit anno 1410. A *Ludovico* poſtmodum deſcenderunt *Bavariæ Duces* ad modernos uſque, adeo ut *Maximilianus* hodiernus à *Ludovico* numeretur quartus decimus. A *Ruperto* deſcenderunt *Comites Palatini* ad modernos uſque, ita ut *Fridericus* V. non ita pridem defunctus à *Ruperto* quoque numeretur quartus decimus, Filius

Fri-

Friderici IV. Nepos *Ludovici* Electoris, Pronepo *Friderici* III. & *Dorotheæ* Chriſtiani, Daniæ Regis, filiæ. De *Palatinis* vide Limnæ. de I. P. lib. 4 cap. 4. num. 47. &c. Longè alio ſenſu *Comites Palatini* dicuntur literati nonnulli, quos *Imperator* & *Pontifex Romanus* creat, data poteſtate creandi *Notarios*, legitimandi *Spurios*, coronandi *Poëtas*, renunciandi *Doctores*, concedendi *inſignia*, &c. Nulla Comitum horum in Galliâ eſt autoritas: ubi ſi poteſtatem ſuam exerceant, Majeſtatis damnantur.

II. Huc quoque pertinet dignitas *Burggraviorum*, qui ab initio jus dixerunt in terris, quæ donatione Imperatorum acceſſerant Eccleſiæ: poſtmodum verò præfecti ſunt conſtituti certi alicujus præſidii. Vnde *Burggraviatus Magdeburgenſis* hodie penes Electorem *Saxoniæ*: *Burggraviatus Norinbergenſis* olim penes Comites de *Zollern*, & in ſpecie quidem penes *Fridericum* III. qui à *Sigiſmundo Caroli* IV. filio, *Marchione Brandeburgico* & *Electore*, inſuperque *Hungariæ* & *Bohemiæ* Rege, tandem quoque *Imperatore*, propter fidelem in bellis *Hungaricis* & *Bohemicis* navatam operam *Marchionatum* & *Electoratum Brandeburgicum*, in Concilio *Conſtantienſi*, anno 1417. accepit, eâ tamen lege, ut cum pro *Marchia*, tum pro dignitate *Electorali* 400000. aureorum *Sigiſmundo* numeraret. Ab hoc igitur *Friderico* Comite de *Zollern* moderni *Marchiones* & *Electores Brandeburgici* deſcendunt, ab eodem *Burggraviatum*, *Marchionatum* & *Electoratum* habent. Burggravios matricula numerat 19. Inter quos Principes quatuor, *Norimbergenſis*, *Magdeburgenſis*, *Zorbellenſis*, *Miſnenſis*.

THES. XII.

Baronum olim munus erat in ducatibus militare & prudenter atque gnaviter Ducibus conſulere:

ere : Suntque proximo, poſt Comites, ornati dignitatis gradu.

Explicatio.

Barones dignitate omnes ſunt pares, ex decreto *Comitiorum Auguſtanorum*, anno 1548. ſive appellentur, ſemper-Freye/ ut Barones *Limburgici*: ſive ſimpliciter, Herrn; ut Barones *Ruſſi* : ſive Edle Herrn/ &c. Communi voce appellantur Frey-herrn / quod liberum iis ſit ut nonnullis videtur, comitivam dignitatem ſuſcipere. De *origine* vocis *Baro* admodum variæ ſunt doctorum ſententiæ. Multis arridet *origo græca* à voce βαρὺς, gravis : ut vi vocis, *Baro* ſit vir gravis, ſtrenuus, fortis. Meminit quoque *Hirtius* de bello Alexandrino *Baronum* : quâ voce milites olim *Galli* deſignabant. Aliis *Barones* videntur dicti, quaſi *Parones*, quod pares ſint Comitibus. Sunt qui originem hebraicam laudent : quibus *Baro* videtur deduci à radice פרע. *Parah* : quæ *Hebræis* ſignificat *retegere*, *nudare* : *Chaldæis* & *Syris*,, *ulciſci*, *remunerari*, *retribuere* : &, ut nonnulli volunt, *privilegio afficere*, *liberum reddere* : quæ quidem poſtrema ſignificatio, ſi doctiſſimorum & inprimis *Hebræorum* comprobaretur ſuffragiis, *Baronum* dignitatem & appellationem *Germanicam*, Freyherr/ plane exprimeret : Ab eâdem radice eſt quoque *Pharao*, commune Regum *Ægypti* nomen, quod, *Ioſepho* teſte, regem ſignificat. Matricula Barones *numerat* 313. Hodiè in Galliâ ſunt frequentes.

Thes. XIII.

Hucuſque altera claſſis ſtatuum Imperii : ſequitur *tertia*, quæ eſt *civitatum liberarum* : quæ ſunt communitates directè Imperio Romano ſubjectæ, jus ſeſſionis & ſuffragiorum in Comitiis habentes.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

I. Duo ſunt *civitatum* genera in imperio *R* *mano* : Quædam ſunt ſimpliciter *liberæ Impe* *civitates* : Freye Kayſerliche Reichsſtätte ; qu abſolutè exemptæ ſunt ab aliorum principu Imperio, ſolique Imperatori & Cameræ Imperi li obnoxiæ : Vnde in ſuis diſtrictibus eandem ha bent juriſdictionem, quam Principes, Prælati & Comites in ſuis provinciis, & ſic competit ipſi *ſuperioritas territorialis*, de qua ſupra libr. 1. cap 6. ad th. 6. & libr. 2. cap. 34. th. 3. vide *Limnæun* de I. P. libro 7. cap. 1 numero 45. &c.

Aliæ verò principibus ſubjectæ ſunt & dicuntur *Provinciales*, Landt oder Fürſten Stätte. Ex his tantum ſunt nonnullæ, quæ certa duntaxat lege & conventione principem ſuperiorem agnoſcunt : extra pacta verò & conventa fruuntur ſua libertate. Hinc alii tres civitatum *claſſes* conſtituunt : *aliæ* enim *omnem* & *plenam* jurisdictionem à Cæſare conceſſam habent : *aliæ nullam* : *aliæ limitatam*, quæ partim Imperatorem recognoſcunt, quo ad *regalia*, partim principes Imperii, quo ad *territoria*, in quibus ſunt ſitæ. Etſi vero civitates nonnullæ Imperiales certis conditionibus obnoxiæ ſunt principibus, quo ad vectigalia, ſaluus conductus & ſimilia, ex præſcriptione aut conventione cum iis inita, tamen *liberæ civitates* & *ſtatus Imperii* eſſe non deſinunt, ſed reliqua regalia ſalva retinent.

Olim quæ immediatè Imperatorem recognoſcebant, civitates Imperiales liberæ & provinciales erant 225. Hodiè vix tertia pars eſt reliqua : ut & *Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites* & *Barones* plurimi Imperium amplius non recognoſcunt.

II. Omnes *liberæ Imperii civitates* pari jure cenſentur, etſi peculiaria quædam privilegia habent

bent pleræque: Sic *Auguſta, Aquisgranum, Metæ, Lubeca, Argentina, Memminga, Norinberga* & *VVormatia* hoc habent peculiare: Quod in prima inſtantia in *Camera Imperiali* immediatè conveniri non poſſint, ſed coram ſingularibus judicibus, privilegio ſingulari datis: Vermöge der Außträge. *Aquenſes* verò conveniri non poſſunt, niſi in caſu denegatæ aut protractæ juſtitiæ ex privilegio anno 1376. 1434. 1570. indulto. De ſpecialibus aliis civitatum privilegiis videatur inter alios *Limnæus* de jure publ. tom. 3. lib. 7. Vt principes ſic & civitates, quo ad Appellationem, certa habent privilegia. Exempli gratia, pecuniæ ſumma infra quam appellare ad Cameram non licet, *Ratisbonæ* eſt florenorum 400. *Norinberg.* 600. *Memmingæ* 600. *Argentin.* 600. *Francofurt.* 200. *Coloniæ* 300. *Lubecæ* 300. *Hamburg.* 600. *Bremæ* 600. *Schvveinfurt.* 600. *Monaſter.* 200. &c.

Præcipuæ Imperii Romani *Vrbes* unde ſua trahant nomina noſſe jucundum eſt: itaque literarum initialium ſecuti ordinem paucis origines expediemus.

Aquisgranum à Grano, Neronis fratre, & aquis calidis ab eodem ibi repertis appellatum creditur: aliis ab Apolline *Graneo*, ſeu *Granno*, paſſim apud Germanos culto: civitatem hanc ab Hunnis vaſtatam *Carolus Magnus* inſtauravit, quá Imperii Teutonici ſedem eſſe voluit. Secundum *Auream Bullam* Caroli IV. prima Regis Romani coronatio in hac urbe eſt perficienda: ubi & quædam regalia Imperii Symbola aſſervantur: inter alia Gladius *Caroli Magni*, Perſico Acinaci ſimilis, & liber Euangeliorum aureis literis ſcriptus, qui in ſepulchro *Car. M.* eſt repertus.

Argentoratum, ſeu *Argentina* nomen habet ab Argento: quia olim Romanis fuit ærarium

publ. Tributorum : in quod magna Argenti v
inferebatur. Germanis Straßburg à platea: qu
olim Attila Hunnorum Rex plateam per eam d
dit amplam. Turris urbis hujus per Europam e
celeberrima.

Auguſta Vindelicorum à Cæſare *Auguſto* nom
accepit, qui Coloniam militarem eo deduxit.

Brema à Ptolomæo Heberamum dicitur : ali
quot à *Carolo Magno* accepit Privilegia.

Biberacum, Germ. Biberach/ quaſi Biberbach
quia in locis paludoſis, ubi condita civitas, olim
magna fuit caſtorum copia.

Brunſuigum, quaſi *Brunonis vicus* : quia à Brunone & Tarquardo, fratribus, *VVittekindi* Abnepotibus, Ducibus Saxoniæ exſtrui cœpit, Anno Chriſti 860.

Colonia Agrippina ſic dicta, quod Romanorum vetus ſit Colonia, ab *Agrippa* cognominata, vel *Agrippina* Cæſaris Germanici filia.

Colmaria dici creditur quaſi *Columbaria*, à columbarum auſpicio : Alii à clava Herculis, quam in clypeo urbs oſtentat, dictam augurantur.

Donavverda dicitur à Danubio, Dona/ & *VVernico* ſeu *Bernico* fluvio, urbem interluente.

Dinckelspula à Dünckel / quæ tritici ſpecies eſt, & Pühel/collis: quia ad colles hujus urbis magna eſt tritici hujus copia.

Eslinga, civitas Sueciæ ad Neccarum, nomen habet ab æris ſonitu, Eyſenklingen : dies & noctes in hac urbe à fabris æs cuditur.

Francofurtum ad Mœnum à trajectu Francorum: quia *Carolus Magnus* ibi in expeditione contra Saxones per medium flumen tranſmiſiſſe dicitur cohortes ſuas: Furt Latinis eſt vadum. Vrbs Electioni & Coronationi Imperatorum Romanorum deſtinata: quo nomine multis gaudet Privilegiis.

Fridber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Fridberga in *VVetteravia*, quaſi Friederichsberg/ nomen habere dicitur à Friderico II.

Gemunda, Gemünd/Imperialis civitas Sueviæ, dicta quaſi *gaudia mundi*, propter equeſtres ludos & alias feſtivitates à Sueviæ proceribus ibi celebratas & frequentatas.

Goslaria nomen habet à Fluvio Goſa, juxta quem condita eſt.

Hamburgum, Vandaliæ florentiſſima Vrbs, dici creditur nonnullis *à Iove Hammonio*, cujus ſtatuam ibi cultam *à Carolo Magno* dejectam ajunt: alii ab Häin/ ſeu luco, aliis ab Ham/ hoc eſt, Sylva, ſaltu: aliis ab Hama inſigni & ſtrenuo milite.

Halla Suevorum, à Græco ἅλ@, ἁλὸς, Sal, quia ſalis eſt officina.

Heilbrunna, quaſi ſalutis fons, quia ſaluberrimis abundat fontibus.

Lindavia à tiliis, Linden dicitur, quibus olim abundabat.

Lubeca, quaſi laudis angulus Lobeck/ quia decus eſt urbium in littore Balthico & limes Romani Imperii in Germania.

Magdeburgum, quaſi Burgum, ſeu arx, der Magd/ alias Parthenopolis. Dicitur ibi *Venus* currui inſidens, cum tribus *Charitibus* virginibus religioſè culta. Idololatriam hanc tempore *Caroli Magni* ſublatam ajunt. Alii ab Editha Ottonis primi conjuge, civitatis accepiſſe jura memorant, indultu Cæſareo, & hinc dici Magdeburgum: Egregia habet privilegia, quamvis urbs libera Imperialis non ſit.

Metis, Metz/ Anno 1552. civitas Imperialis, inde à Gallo avulſa: nomen habere creditur *à Metio Romano*, qui nomine *Iulii Cæſaris* eam devicit. Alii à Metz/ hoc eſt, *virgine*, quam in inſignibus ſuis adhuc demonſtrat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Meminga, vel à Memmingo conditore viro prædivite, qui multis ad operas conductis, diræ famis tempore eam condidiſſe dicitur: vel à Germanico Menge à multitudine, quaſi Mengemanna, quod à multitudine condita fuerit. Antiqua eſt: quam anno Chriſti 350. extitiſſe ajunt.

Mulhuſium dicitur quaſi molaris domus, quia loco fertiliſſimo ſitum eſt.

Norimberga dicta nonnullis *à Norico*, Herculis primogenito: quaſi Norici mons: aliis à populis *Noricis*, qui ab *Hunnis* graviter infeſtati de ſecuritatis loco ibi proſpexerunt ſibi. Communem orbis officinam appellant. Egregia habet privilegia.

Nordlinga, quaſi Nerolinga, *à Claudio Tiberio Nerone*, qui ſub Cæſare *Auguſto* cum exercitu ſuo hyemem ibi tranſegiſſe dicitur.

Northuſa vom Norde / quaſi domus Aquilonaris, quia ad Aquilonem reſpicit, *à Merovineo* Francorum Rege olim condita.

Offenburgum, quaſi *Offonis* Caſtellum, à quo cum ex Angliâ in Germaniam eſſet profectus, extructum prohibetur.

Ratisbona à Rhætis Germaniæ populis nomen videtur accepiſſe: vel à Rego amne, Germanicè Regenſpurg / quaſi *Regisburgum* ſeu Caſtellum: putatur enim *à Tiberio* Cæſare condita: unde *Tiberina* dicta & *Auguſta Tiberii*.

Rotvvila, à Rott/cohorte & vil, ſeu villâ: quia fuit cohortum *Cimbricarum* manſio.

Reutlinga, von Außreutern/ quia, ut urbs conderetur, exſtirpandæ prius arbores fuerunt.

Rotenburgum à tegularum rubore dictum.

Roſtochium à roſis, quaſi roſetum.

Seleſtadium quaſi Elleſtadium, ab Ello amne.

Spira (olim *Nemetum urbs*) à pago & fluviolo propinquo, Spirâ, uterque muro urbis eſt inclusus:

cluſus: celebris urbs ob *Cameram Imperialem*.

Suinfurdum, quaſi Suevorum trajectus, der Schwaben Furth; quando *Tiberio* imperante in Rhætiam Suevi tranſierunt.

Treveris quaſi *Trebiris*, conditor ejus perhibetur *Trebeta*, Nini filius *à Semiramide* novercâ regno pulſus, temporibus Abrahami, omnium urbium hodie eſt vetuſtiſſima.

Vlma, ab ulmis arboribus, quarum ibi copia fuit.

VVimpina, Wimpffen/quaſi Weibes pein: quia ab Hunnis olim graviſſimæ ſunt paſſæ urbis illius fœminæ.

VVormatia, Vangionum urbs, unde per contractionem videtur dicta, vel à vermibus magnâ copia ibi repertis.

III. Hactenus de *Imperio Romano moderno*, hoc eſt, Imperatore & ſtatibus: coronidis vice tres addimus quæſtiones, quarum *prima* eſto: *An ſtatus Imperii ſuperiores ſint Imperatore?*

Reſp. *Negativam* amplectimur.

(1.) Quia *Majeſtas* penes Imperatorem eſt, non penes ſtatus: Vnde ſtatibus imperat Cæſar, non Cæſari ſtatus.

(2.) Quia omnes ſtatus Imperatorem humilimè venerantur, eumque Dominum ſuum clementiſſimum ſalutant: quod *Superioritatis Cæſareæ* evidens argumentum eſt.

Interim non deſunt ex recentioribus Politicis & ICtis, qui *affirmativam* defendant, & ſtatus Imperatore ſuperiores eſſe contendant, inter quos *Althuſius* quoque cap. 19. quorum præcipua argumenta ſunt:

(1.) *Quia ſtatus conſtituunt Imperatorem: Atqui conſtituens eſt ſuperius conſtituto.*

Reſp. Non omne conſtituens eſt ſuperius conſtituto: quia conſtituens aliquem poteſt conſtitue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſtituere ſupra ſe: unde inferior invadit conſtituens: quod in electione Cæſaris quoque accidit.

(2.) *Quia Imperator dependet à Statibus: Atqui dependens eſt inferior eo, à quo dependet.*

Reſp. Imperator non ſimpliciter & quovis reſpectu dependet à ſtatibus: dependet ratione *conſtitutionis*, non reſpectu *adminiſtrationis* & *gubernationis*: hoc enim reſpectu ſtatus ab Imperatore dependent: quia Imperium ſuum in Imperatorem per electionem tranſtulerunt.

(3.) *Quia Imperator beneficio ſtatuum imperat, eiſque imperium fert acceptum.*

Reſp. Principaliter beneficio DEI imperat, qui ſtatuum in actu conſtitutionis miniſterio uſus eſt. Deinde ita ſtatuum beneficio Imperator imperat, ut tamen ſtatibus ſit ſuperior, quia jure imperandi ſe abdicarunt ſtatus, & in imperatorem id tranſtulerunt.

(4.) *Status ſunt priores Imperatore: Atqui prius eſt ſuperius.*

Reſp. Non omne prius tempore eſt etiam prius dignitate & ſuperioritate. Imò in humanis imperfecta ſunt tempore priora perfectis. *Hactenus prior quæſtio.*

IV. Sequitur altera: *An omnes Imperii cives immediati, ſint quoque ſtatus Imperii?*

Reſp. *Negatur*: Immediati cives Imperii appellantur, qui neminem niſi Imperatorem, & imperium recognoſcunt: ad *ſtatum Imperii* plura requiruntur, quæ videantur capite libri hujus 35. ad theſ. 1.

Sunt autem immediati cives Imperii *non-ſtatus.*

(1.) *Nobiles quidam in Sueviâ, Franconiâ & ad tractum Rheni* die Fränckiſche/Schwäbiſche vnd Rheiniſche freye Ritterſchafft / oder freye vom Adel: qui quia ſeſſionem & votum in Imperio

perio modò non habent, *ſtatibus Imperii* non accenſentur: Vnde immediati hi Nobiles originem traxerint? an unquam Imperii ſtatus & ad comitia vocati fuerint? An habeant juriſdictionem territorialem & regalia? Et quæ ipſorum ſint præ aliis nobilibus privilegia? prolixe diſquirit *Limnæ.* de I. P. lib. 6. cap. 3.

(2.) *Collegia quædam canonicorum libera*, quæ in civilibus immediatè Cęſari & Imperio parent, & appellantur Freye Käyſerliche Stiffte: Cujuſmodi eſt collegium in Arnuell/prope Saarprücken.

(3.) *Civitates quædam*, quarum tamen exempla nulla ſibi ait occurrere *Theod. Reink.*

(4.) *Caſtra nonnulla & Burggravii Ganerbiorum*, de quibus lib. 2. cap. 3. th. 7. expl. 6.

(5.) *Ex commendatoribus multi.*

V. Sequitur tertia: An Legati civitatum Imperialium in comitiis ſeſſionem & votum habeant?

Reſp. Negativam nonnulli amplectuntur: qui putant civitates Imperiales, tantùm conſulendi non ſuffragandi jus habere, & reliquorum duorum Collegiorum ſententiam approbandi. Rationes, quibus hæc nititur ſententia, nullius ſunt ponderis. Vnde affirmativam plerique omnes amplectuntur ob ſequentes potiſſimum rationes:

(1.) Quia civitates ſub eâdem formulâ, qua reliqui ſtatus ad comitia vocantur: Sunt autem inter alia, iſta formulæ verba: Ihr wollet erſcheinen / neben vnd mit andern Reichsſtänden / helffen handeln/ rathſchlagen vnd beſchlieſſen.

(2.) Quia civitatum legati ſubſcribunt receſſibus Imperii, iiſque ſigillum ſuum apponunt eodem modo, ut & reliqui ſtatus: Wir Churfürſten/

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

fürſten / Fürſten / Prælaten / Graffen vnd Herrn / vnd des heiligen Reichs Freye vnd Reichs Stätte / Bottſchafften vnd Gewalthabere / hernach benannt / bekennen offentlich mit dieſem Abſchiedt / daß alle vnd jede Puncten vnd Articul mit vnſerem guten Wiſſen / Willen vnd Raht fürgenommen vnd beſchloſſen ſeynd.

(3.) Quia *Aurea Bulla* teſtatur civitates, anno 1356. *ſeßionem* & *votum* habuiſſe in præfat.

(4.) Quia teſtatur idem Reformat. Francofurt. Friderici III. anno 1442. in princip. Darumb mit anbringen vnd mit beweiſen vnd Raht / vnſer vnd des H. Reichs Churfürſten / ꝛc. Ritter / Knecht vnd Stätte / ꝛc. ſetzen vnd gebieten wir / ꝛc.

(5.) Quia *Receſſus Imperiales* ſunt contractus. Atqui contractus totus collatus in voluntatem alterius non valet. Inter partes verò contrahentes etiam civitates ſunt: atteſtantur formulæ Receſſuum.

VI. Hoc denique *obſervetur:* omnes Imperii ſtatus eſſe *vaſallos* (de vocis hujus origine conſule *Limnæ*. lib. 6. cap. 4. num. 5. &c.) Imperatoris, eorumque territoria, eſſe *feuda* Imperii. Vbi obiter obſervanda de feudis

(1.) *Definitio*, ſecundum *Keckermannum*; Beneficium à Principe collatum in ſubditum, quo poſſidet certa prædia à vectigalibus libera, ſic tamen ut obligetur ad fidelitatem & ad officia potiſſimum belli tempore præſtanda principi. Magis arridet illa ICtorum: Ius utendi, fruendi re immobili, ſub obſequio conventæ fidelitatis. Feud. obſerv. 1.

(2.) *Nominis ratio:* Dictum nonnullis videtur *Feudum*, quaſi *fedum*, idque ab initialibus literis verborum, quibus ſe olim vaſalli Domi-

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

nis ſuis obligabant: *Fidelis Ero Domino Vero Meo. Bodinus*, libr. II. de republ. cap. 9.

3.) *Origo:* Communis ſententia eſt, *Longobardis* originem ſuam jus feudorum debere: quod ante irruptionem eorum in Italiam ignotum fuit: Interim putant alii omnino ſimile aliquid longè ante exſtitiſſe apud *Aſſyrios*, *Perſas*, *Græcos* & *Romanos*. Et adhuc hodie, apud *Turcas* & *Æthiopes* aliaſque gentes in uſu feuda ſunt. *Turcis* feudum appellatur *Timar*, vaſalli *Timariotæ*.

(4.) *Diſtinctio:* Feudum principaliter diſtinguitur 1. in *ſimplex* & *ligium*: 2. in *regale* & *non-regale*.

Simplex feudum eſt, in quo vaſallus Domini dignitatem tueri & pro eo arma capere tenetur, non tamen ſemper nec adverſus omnes.

Ligium, in quo ſine exceptione temporis & perſonæ vaſallus ſalutem & dignitatem ſui principis tenetur tueri.

Regale feudum eſt, in quo requiſita hæc duo concurrunt: 1. quod à principe Romano vel alio ſuperiorem non recognoſcente confertur. 2. Quod cum annexâ *regali dignitate* confertur. Eſt autem *regalis dignitas* feudorum & vaſallorum, per quam in terris ad feudum ſpectantibus idem habent jus, quod in ſuo principatu ſummus princeps, exceptis tamen, quæ in ſignum præeminentiæ reſervantur principi ſummo. Hujuſmodi feuda in Imperio Romano ſunt *Electoratus*, *Ducatus*, *Principatus*, *Comitatus*, *Baronatus*, *&c.*

Obſervetur: Secularia feuda Ducatuum, Comitatuum, &c. vulgò appellari Fahnenlehen: quia olim de his feudis, vaſalli inveſtiebantur per *vexillum*: *Eccleſiaſtica* verò feuda Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, &c. Scepterlehen / quia de iſtis per *ſceptrum* inveſtiebantur.

Qui in *Eccleſiaſticis* adhuc hodie mos obtinet. I *ſecularibus* mutata Ceremonia: fit enim inveſtitura per *enſem*, ita ut vaſallus, præſtito fidelitati juramento, capulum enſis apprehendat & oſculetur extremum ejus conum.

Hactenus feudum regale.

Non regale, nec à ſummo principe, nec cum *regali dignitate* confertur: qualia ſunt plerumque nobilium feuda.

(5.) *Modus acquirendi:* Eſt hic inveſtitura Principis vel Domini: hac enim ſola acquiritur feudum. Cauſæ inveſtituram præcedentes, quibus quaſi nititur inveſtitura, variæ ſunt: inter quas *donatio*, quæ plerunque præſupponit merita: *Hæreditas: Emptio: Pactum: Præſcriptio.* In inveſtituris Eccleſiaſticis ab Imperatore adhibetur *baculus* vel *ſceptrum*: in ſecularibus: *vixillum* & *gladius*.

(6.) *Modi & cauſæ amittendi*: Sunt hæ quoque variæ: ſi Dominum detulerit, vel accuſaverit, ſi hoſtes juverit, ſi ſervitium præſtare recuſaverit, ſi parricidium commiſerit, ſi inceſtas nuptias contraxerit, ſi ſecreta Domini revelaverit, ſi rebus feudalibus abuſus fuerit, ſi nimiam crudelitatem exercuerit, ſi ab alio, quam Domino recognoverit: ſi alienaverit: ſi crimen læſæ Majeſtatis commiſerit: ſi inveſtituram juſto tempore non petierit; ſi de imminente periculo magno Dominum certiorem non reddiderit: ſi Dominum injuſte carceri incluſum non liberaverit cum potuerit liberare, &c.

CAPVT XXXVII.
DE BELLI DEFINItione, diſtributione & cauſis.

THESIS I.

HActenus Reipublicæ adminiſtratio togata: ſequitur *militaris* in felici bellorum adminiſtratione poſita ad tutelam Reipublicæ. Eſt autem *bellum* actio hoſtilis ad injuriam propulſandam vel vindicandam à magiſtratu vi armisque contra hoſtes, pacis retinendæ vel recuperandæ causa, legitimè ſuſcepta & adminiſtrata.

EXPLICATIO.

I. *Bellum* nonnulli dictum putant, per ἀντίφρασιν, quaſi *minimè bellum*: quia omnium calamitatum & plerunq; vitiorum *ſentina* eſt, alii à *belluis* id derivant: quia belluas potius, quam homines bella decent, & habent plerunque plus belluini furoris, quam humanæ rationis: deteſtationem belli vide apud Ieſuit. *Contzen*. lib. Polit. 10. cap. 2. Definitur ab aliis, publicorum armorum juſtè & ritè denunciata contentio. Poſſe in Scholis etiam & umbra à non militibus præcipi de bello & militia, oſtendit *Lipſius*, Politicor. lib. 5. cap. 1. Quo Ariſtarchos remittimus.

II. Quæritur: *An Magiſtratui Chriſtiano liceat bellum gerere?*

Reſp. *Affirmativa* defenditur, de bello ex juſtis cauſis, ad malos coërcendos, bonos defendendos, & vim iniquam repellendam, ſuſcepto.

Argumenta ſunt ſequentia:

(2.) Quia populo ſuo DEVS ipſe mandavit bella: Exod. 17. v. 14. *Ioſuæ* 1. v. 2. & 2. v. 2. & 8. v. 1.

 1. *Sa-*

1. *Samuel.* 23. v. 4. 1. *Samuel.* 5. v. 9. Non ſunt igitur per ſe natura ſua illicita.

(2.) Quia ſanctiſſimi quique Reges & Prophetæ olim bella geſſerunt, *Moſes, Ioſua, Gedeon, David, Ioſias,* &c.

(3.) Quia defenſio ſui ipſius contra vim eſt juris naturalis. Atqui jus naturale non tollit Chriſtianiſmi profeſſio. Egregia eſt *Ciceronis* ſententia pro *Milone*: *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.*

(4.) Quia jura, judicia, leges, religio, omniumque Rerumpublicarum opes, & potentia militaris diſciplinæ *clypeo* continentur, latentque ſub *tutela* & *præſidio* virtutis bellicæ; *Cicero.*

(5.) Quia ipſe DEUS magiſtratum etiam *Chriſtianum* armavit gladio, quo bonos & innocentes defenderet, improbos & nocentes puniret. *Roman.* 13.

III. *Negativam* amplectuntur *Anabaptiſtæ* & *Sociniani*, quibus accedunt *Tertullianus*, *Lactantius* & alii.

(1.) *Quia Chriſtiani hominis mores ad lenitatem & humanitatem, non ad truculentiam debent eſſe compoſiti.*

Reſp. Decet Chriſtianum magiſtratum *lenitas* & *humanitas* erga innocentes & bonos: *Severitas* verò erga nocentes & malos: adeò ut à DEO datum gladium ſtringere quoque in eos poſſit & debeat: Rom. 13. Quo nomine nec *truculentiæ* nec *crudelitatis* accuſandus eſt: niſi accerrimum malorum vindicem, ipſum DEUM, *truculentiæ* & *crudelitatis* quis accuſandum putet.

(2.) *Quia Chriſtus Chriſtianis expreſſè vindictam prohibet*: Matth. 5. v. 39. 40.

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Reſp. Non prohibet Chriſtus : niſi *vindictam privatam* : ita tamen ut de atroci injuriâ conquerendi poteſtatem non adimat. Vnde ipſe Chriſtus queritur de injuriâ ſibi à miniſtro *Pontificis* illatâ, Ioh. 18. v. 23. Et *Paulus Annaniæ* juſſu percuſſus, Actor. 23. v, 3.

(3.) *Quia bellum ſentina eſt omnis iniquitatis & improbitatis, omnium flagitiorum & ſcelerum.*

Reſp. Bello per ſe & naturâ ſuâ hæc mala non inſunt : ſed ex accidenti. propter perditiſſimos militum mores, in quos ſeverè animadvertendum magiſtratui, ne cauſam juſtam malè agendo perdat : quod, proh dolor! in modernis bellis nimis eſt frequens.

THES. II.

Poſt *definitionem* belli conſideranda (1.) *diſtributio* (2.) *cauſæ impellentes* (3.) *apparatus* (4.) *ſubjectum* (5.) *objectum* (6.) *Actus ſeu forma* (7.) *adjuncta* (8.) *effecta.*

THES. III.

Diſtributio belli petitur vel ex *objecto* : reſpectu cujus bellum eſt cum vicinis aut remotioribus : vel ex *fine* : reſpectu cujus bellum eſt, offenſivum aut defenſivum : vel ex *ſubjecto* : reſpectu cujus bellum eſt in cauſâ propriâ aut communi : vel ex *adjuncto tempore* : reſpectu cujus bellum eſt continuum aut interruptum : vel ex *loco* : reſpectu cujus bellum eſt terreſtre aut navale, externum aut domeſticum, ſeu civile.

THES. IV.

Cauſæ bellorum ſunt *manifeſtæ* vel *occultæ.*

EXPLICATIO.

Solarum cauſarum belli impellentium *Autor* meminit. Obſervandum igitur juſti belli *Principalem cauſam*, non eſſe niſi perſonam publicam & Magiſtratum, & olim quidem non niſi eum, qui ſuperiorem recognoſceret neminem.

Vnde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Vnde civili jure *Majeſtatis reus* judicatur, qui ſine Principis juſſu arma ſumit: quod in Imperio quoque noſtro jus ſibi olim reſervavit Imperator. Attamen inferioribus quoque Imperii Principibus jam modò conceſſum eſt, in ſuam & aliorum ſalutem conſcribere militem: modò forma in Imperii conſtitutionibus expreſſa obſervetur, & neceſſitas urgeat. Imo quilibet Imperii ſtatus ſubditos ſuos rebelles & refractarios manu armatâ poſſunt coërcere. Memorabilis eſt *Platonis* lex: *Si quis privatim, ſine publico ſcito pacem bellumve fecerit, capitale eſto.*

THES. V.

Manifeſtæ ſunt, quæ in oculos & conſiderationem hominum incurrunt, & plerumque juſtiore nituntur titulo: ſuntque in *defenſione* vel *invaſione.*

THES. VI.

In *defenſione* cauſæ manifeſtæ ſunt, ſi contra hoſtem armatum armis defendantur libertas, patria, parentes, amici ſocietatis aut religionis vinculo nobis devincti: item; fortunæ, facultates.

EXPLICATIO.

Hinc *Cicero*: *Qui non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat.* Et *Ambroſius: Fortitudo, quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitiâ eſt.*

THES. VII.

In *invaſione* cauſæ manifeſtæ ſunt, ſi clarigatione factâ, ditiones rei judicio ſe ſiſtere recuſantis vi armatâ invadantur.

EXPLICATIO.

I. Si, qui res noſtras rapuit, judicio ſe ſiſtere paratus ſit & facti rationem reddere, ſuſpendenda ſunt arma: Siquidem ad vim declinandam

elegit

elegit viam juris. Vnde *Archidamus* apud Thucyd. *In eum, qui jure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere tanquam in injurium.* Obſervandum heîc, *belli offenſivi* juſti cauſas ab aliis quinque recenſeri.

(1.) Si, qui res noſtras per vim eripuit, reſtituere, aut judicio ſe ſiſtere recuſet.

(2.) Si ſeditioſi & rebelles adverſus magiſtratum inſurgant.

(3.) Si tranſitus per territorium alterius innoxius denegetur.

(4.) Si tranſeuntibus neceſſaria alimenta pro legitimo pretio denegentur.

(5.) Si alia atrox injuria ſit illata. *Ius eſt*, inquit Auguſtinus, *petere bello gentem eam, aut civitatem, quæ neglexerit corrigere id, quod turpiter & improbè à ſuis admiſſum ſit.* Vt autem ſine legitimà causâ non ſunt ſuſcipienda bella à magiſtratu; ita nec milites decet ſuam addicere operam, niſi cognita prius cauſæ juſtitia, de qua probe & ſincere informandi ſunt à magiſtratu, ne pecudum inſtar ad cædem proruant, & injuſtitiæ ſe miniſtros præbeant.

Bella in *Imperio Romano* cenſentur juſta, quæ geruntur à ſtatibus

(1.) Contra eos, qui injuſtè offenderunt & legitimum juris tramitem ingredi recuſant.

(2.) Contra ſubditos inobedientes, contumaces & refractarios, ſive ipſorum, ſive vicinorum aliorum auxilia implorantes.

(3.) Contra Bannitos, mandato Cæſaris accedente.

II. Olim *Germanis*, *Romanis* & aliis nonnullis populis uſitatum fuit, cum, è veſtigio ad ultionem ſe parare non poſſent, voto concepto ad eam ſe obſtringere, idque teſtari *ſubmiſſione barbæ & capillorum.* Vnde de geſtis *Longobardorum*, *Pau-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Paulus Diaconus, lib. 3. cap. 3. *Sex millia* Saxonum, *quæ bello ſuperfuerant, devoverunt ſe neque barbam, neque capillos raſuros, niſi ſe de Suevis hoſtibus ulciſcerentur.*

THES. VIII.

Hæ manifeſtæ ſunt cauſæ: ſequuntur *occultæ*, eæque plerunque injuſtæ: in quibus præcipuæ ſunt *ambitio* & *avaritia.*

EXPLICATIO.

I. De *ambitione* res manifeſta eſt: Vnde *Salluſtius*: *Ambitio una & vetus cauſa bellandi eſt. Habent*, ut idem inquit, *magni animi libidinem dominandi cauſam belli, & Maximam gloriam in maximo imperio putant.* Hæc *Alexandrum* in *Aſiam* armavit & alias mundi partes: Vnde *Scythæ* ad eum: *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet: altera manu orientem, altera occidentem contingeres.* Curtius. Eadem *ambitio* armavit *Pompejum, Iulium Cæſarem, Cajum Marium, Antonium, Mithridatem* & alios.

II. *Avaritia* quoque immanis & inſatiabilis eſt bellua, quam nulla regna, nulla imperia ſatiant. Hæc *Semiramidem* olim in *Indos, Sennacheribum Aſſyrium* in *Ezechiam, Craſſum* in *Parthos, Cyrum* in *Maſſagetas, Xerxen* in *Græcos, Hannibalem* in *Romanos, Hiſpaniam* in *Indos, Turcas* in *Hungariam* commovit & armavit. Vno quaſi faſciculo injuſtas belli cauſas plures complectitur Auguſtinus: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſunt ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.*

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XXXVIII.

DE BELLI APPARATU: ubi de exercitatione ſubditorum in tractandis armis, de pecuniâ, commeatu, armis ductilibus, machinis bellicis & clarigatione.

THESIS I.

F*Verunt cauſæ impulſivæ belli:* ſequitur *apparatus,* qui conſiſtit in curâ (1.) ſubditorum exercendorum in tractatione armorum:(2.) inſtrumentorum (3.) clarigationis.

EXPLICATIO.

Incipit ab apparatu bellum: *prius* enim *eſt parare bellum, quàm exercere:* Quintil: Et *diu apparandum eſt bellum, ut vincas celerius.* Publ. Præmittenda tamen apparatui etiam *exquiſita deliberatio* de bello vel ſuſcipiendo vel omittendo, ne temerè ad bellum prorumpas. vel ad id etiam te accingas laborioſo & ſumtuoſo apparatu. Cauſæ deliberandi multæ & magnæ ſunt: *Omne* enim *bellum ſumitur facilè, cæterũ ægerrimè deſinit, nec in ejusdem poteſtate initium & finis eſt*; Salluſt. Siquidem *incipere id cuivis etiam ignavo licet, deponi cum victores velint.* Idem. Præterea *nuſquam minus, quam in bello eventus reſpondent*; Liv.

Licet omne tecum Graciæ robur trahas;
Licet arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſẽper ancipiti in loco eſt: Seneca.

Accedunt *publica* & *privata damna* innumera, quæ comitari bella ſolent, provinciarum vaſtationes, adulteria, cædes, & quæ excogitari poſſunt flagitia, quæ æquè miſeros reddunt victores atque victos. Vnde Thucyd. *Bello inſtituto*

ſtituto ait neceſſum eſſe Principes malè audire & *culpari ob damna* : quo nomine *bellum etiam juſtum deteſtandum* videtur Auguſtino. Hoc ver omnium iniquiſſimum & miſerrimum, quod, qu bella gerunt, plerunque non minus dent damn amicis & ſociis provincialibus, quàm hoſtibus quodque majorem ſæpe miſeri provinciales ſentiant amicorum (qui tamen hoc indigni ſunt nomine) crudelitatem, quàm hoſtium: propter effrænem militis licentiam. Hæc quisquis ſecum reputaverit, modo aliquid habeat ſanæ mentis, ad arma temerè non provolabit.

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis: ait ille.

Bella per cauſas impulſivas etiam juſtiſſima, ſi injuſtè gerantur, fiunt injuſta. Hinc monent religioſi politici, bellum cum ſumma pietate gerendum eſſe. *Rara avis in terris nigroque ſimilima cygno.*

THES. II.

Subditi pacis tempore in armis tractandis ſedulò ſunt exercendi, ut tanto rectiùs & feliciùs uti iis in bello poſſint.

EXPLICATIO.

I. *Nihil*, inquit *Vegetius*, *neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt Republicâ, in qua abundant milites eruditi: Siquidem exercitatio illa dimicandi nutrit audaciam, ut nemo facere metuat, quod ſe benè didiciſſe confidit. Vnde exercitata paucitas ad victoriam promtior eſt, quàm rudis & indocta multitudo expetita ſemper ad cædem:* Vegetius. *Miles*, inquit Seneca, *in media pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit. Non ignavia*, ait Tacitus, *magna imperia continentur, ſed virorum armorumque faciendum certamen.* Vide *Danæum* polit. lib. 7. cap. 1. *Cyrus* Lydos olim fortiſſimos

nos viros enervaturus armorum privavit uſu, & ic tanquam pecudes omnium expoſuit prædæ. Quid aliud faciunt nonnulli magiſtratus, qui ex metu leporum amittendorum omnem bombardarum uſum ſubditis ſuis adimunt.

Inſigne eſt exemplum *Romanorum*, de quibus *Ioſeph*. lib. 3. Excid. Hieroſol. *Quod ſi quis alium Romanorum ordinem in militia inſpexerit, videbit hoc grande imperium eos habere virtutis meritum, non fortunæ beneficium. Neque enim initium illis armorum ipſum bellum eſt, nec ſolum, cum uſus aut neceſsitas eſt, manus movent in pace feriati, ſed tanquam congeniti armis nunquam pauſam exercitii faciunt, nec exſpectant occaſiones. Meditationes autem illis ſive exercitia, nihil à vero uſu fortitudinis & audaciæ abeunt, ſed quisque quotidiè miles omni alacritate tanquã in bello exercetur.* Hęc *Ioſephus*.

II. Quæcunque in acie atque præliis evenire poſſunt, in *campeſtri meditatione* prænoſcenda ſunt. Diſcant igitur *pedites* inprimis tractare arma, iisque punctim vel cæſim uti, vel vim conferendo vel declinando. Diſcant militarem greſſum & inceſſum, curſumque celeriorem & tardiorem. Diſcant in acie ordinem atque intervalla cuſtodire, nec ultra quam decet conglobare vel laxare agmen. Diſcant caſtra conſtituere & munire.

Equites diſcant ſervare ordines ſuos, & celeriter ex utroque latere equum conſcendere vel ex eo deſilire. Vnde olim *lignei equi* hyeme ſub tecto, æſtate in campis poſiti, in quos juniores primò inermes, deinde armati diſcebant aſcendere, & cum à dextris, tum à ſiniſtris partibus inſilire & deſilire. Hodie apud *Turcas* maxime vigent exercitia militaria, neque militem illi colligunt ex culinis vel popinis: ut aliæ nationes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. III.

Inſtrumenta apparatus bellici ſunt *(1.) pecunia (2.) commeatus* (3.) *arma ductilia* (4.) *machina bellicæ.*

EXPLICATIO.

I. Sine *pecuniâ* nullum geri bellum poteſt Vnde *Thucydides* ait, *bellum eſſe non in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, quibus efficacia & utilia fiunt arma.* Teſtis experientia: Ob nummorum defectum ſæpiſſimè arma de manibus excutiuntur aut frigidè tractantur: neque contineri in officio miles poteſt, cui ſtipendium non datur. Hinc *Romæ* inſtitutum militare ærarium, in quod *centeſima* rerum venalium illata, ne ſtipendia militi deeſſent.

Bella, quæ geruntur ſine ſtipendiis militi perſolutis, non niſi *latrocinia* ſunt: quia tantum ex rapto vivere miles cogitur *Temerè igitur bellum ne moliatur, cui nervi deſunt.*

Vita hominũ Pelagus, Regina, Pecunia, Nauta:
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

II. Sine *commeatu* multò minus geri bellum poteſt: quia ſine commeatu miles conſumitur prius, quàm ad pugnam veniat: ſine hoc ut non *vivitur*, ita nec *vincitur*. Vnde *Vegetius*: *Hoc unum & maximum ſit conſilium, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes inopia frangat. Diſciplinam non poteſt ſervare jejunus exercitus*; Caſſiod. *Cambyſes* preſſus inopiâ commeatus, decimum quemque militem ſortiri necarique in cibum juſſit. Idem aliis quoque accidit.

III. *Arma ductilia* ſunt minora, quæ manibus tractare & geſtare milites ſolent, ut *gladii, acinaces, haſtæ, bipennes, jacula ſagittæ, arcus, ſclopeta*, ſeu *bombardæ minores*; quibus lædi hoſtis ſolet. Et *ſcuta, galeæ, loricæ*, &c. quibus muniri corpus

orpus adverſus hoſtium tela ſolet. Sine his bellum geri non poteſt.

IV. *Machinæ bellicæ vectiles* ſunt tormenta ſeu machinæ fulminares grandiores, quæ curribus & equis vehi ſolent: quarum ut & bombardarum inventio refertur ad annum 1380. Inventor Monachus fuit Germanus, *Bertholdus Niger*, chymiſta, temporibus *VVenceslai* ignavi. *Veneti* in bello contra *Genuenſes* primi iis uſi dicuntur. Alii tamen longè ante in regno Chinæ ignivomas haſce machinas ſcribunt uſitatas & primum Regi monſtratas à quodam ſpiritu, qui è terræ clauſtris eruperat. Digna inventore machina, dignus inventor machinâ!

THES. IV.

Clarigatio eſt legitima belli denunciatio facta vel vivâ voce per *fecialem*, vel ſcriptâ, per literas, quæ mitti per puerum ſolent: Germ Feind vnd Abſagsbrieff.

EXPLICATIO.

Ita neceſſaria eſt ante bellum *clarigatio*, ut non bellum, ſed *latrocinium* habeatur, quod ſine præcedenti denunciatione vel indictione infertur. Ejus obſervetur;

(1.) *Ritus*, qui apud varias gentes varius fuit. *Carthaginenſes* & *Romani* olim, certâ præmiſſâ verborum formulâ, quâ bellum denunciabant, per fecialem in fines hoſtium *haſtam ferratam* aut *ſanguineam præuſtam* immiſerunt.

(2.) *Inſtrumenta*, quæ ſunt vel *fecialis*, quem *Patrem patratum* vocabant Romani: Germ. Herold: qui ad bellum denuntiandum miſſus jure legatorum fruitur & violari nequit: vel *literæ*: quales olim *Proteſtantes* miſerunt ad *Carolum* V. anno 1546. & *Ferdinandus* Rex Romanorum atq; *Mauritius* Elector Saxoniæ, ad *Albertum Marchionem Brandeburgicum*, an. 1553.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XXXIX.
DE BELLI SUBIECTO
ubi de duce & militum conſcriptione, luſtratione, auctoratione & relatione in numeros.

THESIS I.

H*Actenus belli apparatus:* ſequitur *ſubjectum* quod ſunt *duces* vel *milites.*

THES. II.

Duces ab exercitu ducendo & regendo dicti ſunt vel *ſummi*, qui ſummæ rei præſunt, quorumque auſpiciis & ductu res geritur: vel à *ſummis conſtituti.* Suntque eorum in univerſum virtutes præcipuæ: *(1.)* militum favorem ſibi conciliare: *(2.)* omnis rei bellicæ inſignem peritiam & uſum habere: *(3.)* non commitere ſe fortunæ, niſi urgente neceſſitate: (4.) alacritatem & lætitiam præ ſe ferre: *(5.)* non pati ſe in voluptates mergi felicitate: *(6.)* non pati ſe largitionibus corrumpi: (7.) fortunam habere faventem & bebenevolam.

EXPLICATIO.

I. *Sine duce nullum geri bellum poteſt*: quia, ut *Curtius* inquit, *Militaris turba ſine duce eſt corpus ſine ſpiritu.* Et *Tacitus*: *Plus eſt in Duce, quàm in toto exercitu.* Vnde *Demades* defuncti *Alexandri* exercitum *Cyclopi* excæcato comparabat. Et alius malebat exercitum *cervorum*, cui *leo* præeſſet, quàm exercitum *Leonum* cui *cervus* præeſſet.

II. *Virtutes* Ducis ſunt ſequentes:

(1.) *Conciliare ſibi militum favorem*: Hac enim ratione ipſi Duces ſunt tutiores & milites ad obediendum habent promptiores. Eſt autem

favor

favor hic bonis parandus artibus, inter quas haud poſtrema, ſi bono exemplo militib. etiam gregariis præeat, &, urgente neceſſitate, quosvis labores militares promte ſubeat. Commendantur hoc nomine *Alexander M. Antonius Baſsianus*, & *M. Porcius Cato*. De *Catone* ita *Lucanus*.

Ipſe manu ſua pila gerens pracedit anheli
Militis ante pedes: monſtrat tolerare labores,
Non jubet.

Quam in ſententiam ille apud *Livium*: *Facta non dicta mea vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modo ſed exemplum etiam à me petere.*

Trajanus cum militibus etiam pedibus iter fecit, quâ comitate id eſt conſecutus, ut contra ipſum miles nunquam ſit tumultuatus: *Dio*. De *Valerio* duce ita *Livius*: *Non alius militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud gravatè munia obeundo. In ludo praterea militari, cum velocitatis viriumq; inter ſe aquales certamina ineunt, comiter facilis vincere & vinci, vultu eodem.* Atque hanc in rem requiritur in Imperatore non una ſed omnis virtus: *Quanta*, exclamat Cicero, *innocentia debent eſſe Imperatores! Quanta omnibus in rebus temperantia! Quanta fide! Quanta facilitate! Quanta humanitate!* vide, quàm ardua ſit Imperatoris provincia.

Favoris comes eſt *autoritas*: cui enim favet miles, eum ſuſpicit, veneratur & veretur. Atqui *vehementer pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatore exiſtiment.*

(2.) *Inſignem habere uſum rei bellica*: ita ut ſint ſecundorum, ambiguorumque ſcientes, eoque interriti, patientes inediæ, algoris, vigiliæ: quales *Scipio*, *Hannibal*, *Maſiniſſa*, *Metellus*, qui in agmine in primis modò, modò in poſtremis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

mis, ſæpe in medio adeſſe, ne quiſquam ord ne egrederetur, ſolebat: *Salluſtius.*

(3.) *Non committere ſe fortunæ:* Es nicht auff d Spitze ſetzen: niſi urgente neceſſitate: quæ m xima eſt prudentiæ militaris pars. *Nihil m nus,* inquit apud Suetonium Auguſtus, *in pe fecto duce, quam feſtinationem temeritatemq convenire arbitrabere.* Siquidem *præliorum d licta emendationem non recipiunt,* Cato apu Vegetium. *Inprimis verò ſummi Duces cav ant, ne temerè iis ſe objiciant periculis, quæ v gregarium militem vel præfectum decent a centurionem:* Quia capitis jactura in præſen diſcrimen adducit reliquum corpus totum.

(4.) *Alacritatem & lætitiam fronte præ ſe ferre & in adverſis quoque ſpem vultu ſimulare quamvis premat altum corde dolorem.* Quia *neceſſe eſt ad fugam parati ſint, qui Ducem ſuum ſentiunt deſperare: Vegetius.* Ita *Ageſilaus* ſe aſſuefecerat, ut, quoties in metu eſſet, hilaritatem præ ſe ferret, rebuſque ſecundis humilis eſſet. Et, *Alexandri* vultus interritus certam victoriæ ſpem militibus faciebat. Idem de *Herode* Ioſephus, de *Scipione* Livius, de *Tiberio* Tacitus.

(5.) *Non pati ſe in voluptates mergi felicitate:* Quia turpe eſt virum bellicoſum, quem non vincunt arma, voluptatibus ſubigi. In monitum hoc impegerunt *Alexander* & *Hannibal:* Illum *Aſiæ,* hunc *Campaniæ* voluptates enervarunt.

(6.) *Non pati ſe largitionibus corrumpi:* Quia hominum mentes occæcant & fidem temerant munera. Memorabile heîc exemplum eſt *Epaminondæ,* ducis *Thebanorum,* quem cum *Artaxerxes* pecuniâ corrumpere laboraret per *Diomedontem,* hoc ab ipſo accepit reſponſum. *Nihil opus eſt pecuniâ: Nam ſi ea Rex vult, quæ*

The-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Thebanis ſunt utilia, gratis facere ſũ paratus: Sin autem contraria, nõ habet auri atq; argenti ſatis. Namq; orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ charitate: Tandem cum *Diomedon* rogaret, ut tuto exire, ſuaque, quæ attuliſſet, liceret efferre: *Iſtud:* inquit, *faciam: neque tuâ causâ, ſed meâ: ne, ſi tibi ſit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me ereptum perveniſſe, quod delatum accipere noluiſſem.* Eorum, qui in hoc monitum impegerunt, ſeculis omnibus, plurimi fuere.

(7.) *Fortunam habere faventem & proſperis res gerere ſucceßibus.* Nemo enim *Heros* dici meretur, ſine proſperis ſucceſſibus & felicitate in rebus gerendis: quæ in *Alexandro M. & Iulio Cæſare* admodum enituit. Quibus igitur vel omnia vel pleraque infeliciter cedunt, ut ut fortiſſimi & prudentiſſimi vulgò habeantur: tamen in *Heroum* referri numerum non debent, neque gerendis magni momenti rebus temerè ſunt abhibendi: *Heroas* Antiquitas laudat, non qui magnis excidêre auſis, ſed qui magna feliciter geſſerunt.

III. De abſolutè ſupremo duce, qui omnibus Imperat, cui nemo; quales eſſe ſolent Reges & Principes, quorum autoritate, auſpiciis, juſſu, impenſis geruntur bella: quærunt Prudentes, *utrum pugnæ eum intereſſe conſultum ſit?*

Affirmant alii: quia præſentiâ ſuâ robur ac vires inſpirat militi: & ubi ſummus Imperator non adeſt ad exercitũ, citius quod non facto eſt opus fit, quam quod facto eſt opus: quæ *Plauti* verba ſunt.

Negant alij: quia ſummæ rerũ & Imperii ſe debet reſervare: *Tacit.* Et in milite unius ſors eſt, in Imperatore univerſorum periculum; *Egeſippus.*

Diſtinguunt alij: Si ſtatus Imperii, aut ſalus provinciarum in diſcrimine vertatur, debebit

in acie ſtare; *Tacitus.* Minora vero bella minoribus ducibus ſunt deleganda: *idem.* Vide *Ieſuit Contzen.* Polit. lib. 30. cap. 23.

THES. III.

Milites conſiderandi *ſeparatim* vel *collectivè.*

THES. IV.

Separatim conſiderantur in *delectu* & *diſtinctione.*

THES. V.

Ad *delectum* pertinet (1.) *conſcriptio*, (2.) *luſtratio*, (3.) *auctoratio*, (4.) *relatio in numeros.*

THES. VI.

In *conſcriptione* obſervandus (1.) *modus:* (2.) *natio & conditio deligendi militis:* (3.) *qualitates.*

THES. VII.

Modus conſcriptionis ordinariæ conſiſtit *in ſigno* publicè dato, quo ad expeditionem alliciuntur milites: *in profeſſione nominis: in acceptione arrhæ*, ſeu certæ pecuniæ.

THES. VIII.

Quoad *nationem* & conditionem in conſcriptione militis præferendi, qui *ruri* ſunt nati & educati, urbanis: *Septentrionales & occidentales meridionalibus & orientalibus:* aſperis adſueti laboribus iis, qui vitam egerunt otioſam & ſedentariam.

EXPLICATIO.

Miles, inquit Seneca, *fortior è confragoſo venit: Segnior eſt Vrbanus & Verna.* Vnde ex *plebe ruſticâ* minimè contemnendi ſunt milites, qui laboribus militaribus tàm facilè non franguntur, omnibus cœli injuriis ferendis adſueti, delitiarum ignari, parvo contenti & ad omnem laborum tolerantiam indurati. Vnde Cato: *Ex agricolis & viri fortiſſimi & milites ſtrenuiſſimi gignuntur.*

Hos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Hos maximè probat *Vegetius*; Vnde ait, *ex agris præcipuè ſupplendum robur exercitus.* Alii, *quanto pecuniâ divites & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles*; Tacitus: Contra, *minus mortẽ timent, qui minus deliciarum norunt in vitâ*; Vegetius.

Septentrionales & *occidentales* populi corporibus plerunque ſunt ſolidiores & laboribus exantlandis aptiores, quàm *meridionales* & *orientales. Dulciarii*, piſcatores, aucupes, linteones, & qui, quæ ad *gynæcæa* pertinent, tractarunt, à *Vegetio* rejiciuntur, Opificum vulgus & ſellularii à *Livio* improbantur. Hodiè tamen in delectu hæc non attenduntur. Magna militum pars opifices & ſellularii ſunt.

THES. IX.

Qualitates in milite conſcribendo attendendæ ſpectant (1.) *Ætatem*, quæ juvenilis & vegeta eſſe debet. (2.) *Corpus*, quod integrum, ſanum & laboribus ferendis idoneum, non nimis pingue, neque nimis parvum requiritur. (3.) *Animam*, qui generoſus & magnus ſit, nihilque metuat, niſi turpem famam. (4.) *Mores*, ne infames, vel ſervilis & abjecti animi homines eligantur.

EXPLICATIO.

I. De militum *corporibus* ita *Vegetius: Sit adoleſcens Martio oneri deputandus vigilantibus oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperfluâ carne diſtentis, ſed nervorum duritiâ collectis. Marius* non elegit, niſi qui ſenos pedes, vel certè quinos & denas uncias haberent. *Pyrrhus* dicebat ſuo Delectori. *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam. Frontinus.* Etſi non cum quavis mole corporis conjunctum eſt robur. Vnde *Vegetius*; *utilius eſt fortes milites eſſe, quam grandes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

II. De militum eligendorum *moribus* obſervandum *Gratiani*, *Valentiniani & Theodoſii* Imperatorum edictum.

Inter optimas lectiſsimorum militum turmas neminem è numero ſervorum dandum eſſe decernimus, nec è cauponâ ductum, vel ex famoſarum miniſtris tabernarum, aut ex coquorum aut piſtorum numero, vel etiam eo, quem obſequii deformitas militia ſecernit, nec tracta de ergaſtulis nomina. Hodie omnes promiſcue nullo diſcrimine, admittuntur. Sed quid obſtet, quo minus liberiori calamo & ore intonantem heîc audiamus *Lipſium*: *Hodiernam militiã*, inquit, *triſti oculo intueor pudendã lugendamq́; nobis, hoſti ridendam aut ſpernendã: Itaq́; cogor apertis tibiis canere*, & illa militiæ flagitia palam aſpernari, *atq́; adeò imaginem ejus proponere, non ut convitiũ ævo faciam, ſed ut medicinã. Nã principio, delectus quæ forma apud nos? nulla.* Emunt militẽ, nõ legunt: *Pecuniola proponitur, tympanum ſtrepit, & ecce coëunt aliquot* ignoti inter ſe ignoranteſque, purgamenta urbium ſuarũ: quibus ob egeſtatem & flagitia maxima peccandi neceſſitudo eſt, aſſueti latrociniis, bellorum inſolentes: *atq́; ut uno verbo abſolvam*, quorum lingua varia, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, quæ honeſtè nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima: *Plerique enim profecto tales (nam omnes abſit ut culpem:) aut ſi qui melioris notæ immixti, facilè abripiuntur & velut abducuntur à reliquâ illa fece.* Atque hæc in delectu.

THES. X.

Hucuſque militum conſcriptio: Sequitur *luſtratio*, quâ militum conſcriptorum in amplo & patente loco *ætas*, *corpora*, *mores* & *arma* explorantur; an tanto apti ſint oneri: Vnde inepti rejiciuntur, cæteri de novo in peculiarem catalogum inſcribuntur & armantur.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Olim *luſtratio* fiebat à tribunis: tandem vero ex conſtitutione *Zenonianâ* ſolus princeps militum probandorum jus habuit. Hodie plerunque *militarium Commiſſariorum* hoc munus eſt.

In *luſtratione* qui probati olim erant cingebantur *Zonâ* appenſo enſe, à quo cingendorum militum ritu fluxit conſuetudo, quâ Imperator ejus, quem in equeſtrem ordinem recipit, humeros ſtricto gladio ferit.

THESIS XI.

Auctoratio eſt conceſſio facultatis militandi & ſtipendium exigendi, poſt Sacramentum ſeu juramentum præſtitum.

EXPLICATIO.

Iuramento militari ſe adſtringunt milites, *ſe Ducis imperio morem geſturos, nec fugam capta-turos nec mortem detrectaturos.* Ita olim milites *Iuliani* Imperatoris juſſi ſunt in ejus nomen jurare, gla iis cervicibus ſuis admotis, ſub diris execrationibus, & verbis conceptis jurare, *ſe omnes pro eo caſus, quoad vitam profuderint, ſi id neceſſitas exegerit perlaturos.*

Communiter olim *in ſalutem principis* jurabant: Vnde *Nero* à milite quærit: cur oblitus ſacramenti perditum ire voluerit, in cujus ſalutem juraverat? *Tacitus.*

THESIS XII.

Relatio in numeros ea dicitur, quâ certis exercitus partibus certo militum numero conſtantibus, nempe *legionibus*, *cohortibus*, *contuberniis*, *turmis* inſeruntur milites.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XL.

DE MILITUM DISTINctione.

THESIS I.

FVit *militum delectus* : Sequitur *diſtinctio*, quæ petitur ex variis *circumſtantiis* vel *officiis*.

THES. II.

Ratione variarum circumſtantiarum milites diſtinguuntur in *ordinarios* & *ſubſidiarios*, in *tyrones & veteranos*, in *levis* & *gravis armaturæ milites*, in *equites* & *pedites*.

EXPLICATIO.

I. *Ordinarii milites* ſunt, qui in omnem belli eventum à principe conducuntur: Suntque vel certis regni locis adſtricti, vel in domiciliis relicti. Certis locis adſtricti ſunt *ſtationarii:* qui ſunt vel *limitanei*, ad limites regni tuendos diſpoſiti: An den Gräntzen: vel *præſidiarii*, certo alicui loco defendendo deſtinati: In den Beſatzungen: vel *prætoriani*, quos circa ſe princeps habet: Die Leib Guarde: quales apud Turcam *Ianizari*. Omnes hoſce legitimos perfectoſque milites eſſe oportet, genunios *Martis* pullos, formatos omni armorum exercitio, diſciplinâ caſtrorum, uſuque militiæ: qui in pace decus, in bello præſidium ſint. Interim nec nimis multos, nec ſæpius vnà eſſe conſultum eſt, ne vitijs & viribus miſceantur in perniciem Reipubl.

Milites prætorianos primus inſtituit *Auguſtus*, quos tandem propter inopiam ærarii abrogavit *Conſtantin. Magnus* Reſtituit eoſdem in Imperio Turcico *Bajazetes I.* Robur hoc militiæ *Turcicæ* paratiſſimum eſt, quod, de prudentum judicio ruinam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ruinam minatur tyrannidi *Turcicæ*. Et certé multi jam Imperatores. *Turcici* per hoſce milites miſerrimé perierunt.

In *domiciliis ſuis relicti* milites actu nondum militant: attamen promti & expediti principis poſtulationem exſpectant: Wartgelter. *Subſidiarii* milites ſunt, qui ordinarijs, flagitante neceſſitate inducuntur: ſuntque *domeſtici* vel *exteri*: illi ex civibus, hi ex confœderatis vel planè peregrinis colliguntut, & vel ſponte veniunt, vocanturque *ſpontanei* Freywillige/ vel vocati, quos *auxiliares* appellant. Vocantur etiam *ſubſidiarii*, quia ad complendas legiones veteres, quæ *morbo*, *fugâ*, *miſsione*, indies minuuntur, ſcribi ſingulis annis vel menſibus ſolent: quod maximè neceſſarium ne exhauriatur exercitus: *Vegetius*.

II. Quæritur (1.) *An equites peditibus ſint præferendi?*

Reſp. *Pedites* ab *equitibus* contemni vulgò ſolent. Si tamen in univerſum æſtimentur, de ſententia *Taciti* *plus penes peditem videtur eſſe roboris. Et major peditum numerus ſumtu & impensâ minore nutritur:* Vegetius. Suntque magis neceſſarii Reipublicæ: quia ubique prodeſſe poſſunt: quin & ad fugam minus proclives. Docet enim experientia, fugæ initium plerunque ab *equitatu* fieri. Vnde jam olim Tacit. *Equeſtrium virium proprium; Cito parare, cito cedere victoriam.* Eſtque citra controverſiam cum in oppugnandis, tùm in defendendis locis munitis major *peditatus*, quam *equitatus* uſus: Et ut hoſtium, ita & amicorum provinciis gravior eſt *equitatus*, quam *peditatus*. Interim in turbandâ acie hoſtili major *equitatus*, præſertim *cataphracti*, quam *peditatus* eſt uſus. Denique dilapſis & in fugam actis copiis plus nocent *equites*, quàm *pedites*, propter equorum celeritatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

III. Quæritur 2) *An domeſtici externis militibus ſint præferendi?*

Reſp. Iure præferuntur *domeſtici*: quia major & ſanctior iis eſt fidei cura: *obſequium & patientia imperii longè præſtantior, quàm exteris*; Curtius. Vnde non fortitudinem magis, quàm fidem colunt. Auxiliares è diverſis conducti locis nec diſciplinâ inter ſe, nec affectione conſentiunt; ſine pudore flagitii, ſine curâ ducum abeunt, fugiunt: non juberi non regi amant, verum cuncta ex libidine agunt: Summa:

Plerunque externo peſſundata milite regna.

Interim externus miles non planè contemnendus, imò plerunque neceſſarius, quia domeſtici tanta ut plurimùm non eſt copia, neque domeſticus ſemper robore & animo par hoſti. Quicquid verò ſit, ex præſcripto *Livij*, *id cavendum ſemper ducibus, exemplaque pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus ſui roboris ſuarumque propriè virium in caſtris habeant.*

THES. III.

Ratione *officiorum* militum alii ſunt *gregarii*, alii in ſpecie dicti *officiarii*.

THES. IV.

Gregarij, gemeine Soldaten / tantùm parere, nulli imperare poſſunt; quorum eſt imperia exequi potius, quàm interpretari.

THES. V.

Officiarij gregariis imperant: ſuntque reſpectu *totius exercitus*, vel *certæ ejus partis*.

THES. VI.

Officiarii reſpectu *totius exercitus* ſunt (1. Dux belli, qui Imperator appellatur: (2) Vicarius illius: (3.) Supremus rei armamẽtariæ præfectus: (4.) Supremus excubiarum præfectus: (5.) Supremus caſtrorũ metator (6.) Supremus Cõmiſſarius ſeu Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Conſiliarius (7.) Supremus ærarii caſtrenſis præfectus (8.) Supremus annonæ præfectus: (9.) Supremus rerum capitalium præfectus.

Explicatio.

Dux belli, ſeu *Imperator* : Der Feldherr / oder General: quem pietate, fortitudine, prudentia, temperantia, juſtitia, maximaque rerum bellicarum notitia oportet eſſe inſtructiſſimum. Nota: Occurrit heîc nonnihil confuſionis in autore, quod tamen mutare nobis non eſt viſum: Supra cap. 39. belli ſubjectum eſt diſtributum in duces & milites. Hoc verò loco inter milites quoque numerantur & diſtinguuntur duces. Atque diſparatæ ſpecies vel diſtinctæ partes ſe non includunt, ſed excludunt. Interim rebus, quibus intentior fuit autor, nihil decedit.

Vicarius Ducis : General Leutenant : qui juſſu & nomine Ducis omnia peragit.

Supremus rei armamentariæ præfectus: General Zeug oder Artollerey Meiſter : quem geometriæ, architecturæ & plurimarum rerum ad uſum tormentorum neceſſariarum peritum eſſe decet.

Supremus excubiarum præfectus : General Wachtmeiſter : Cujus eſt Excubias conſtituere, inferiorum ordinum præfectos ſevera diſciplina continere : teſſeram militarem à *magiſtro equitum* acceptam diſtribuere, &c.

Supremus caſtrorum metator : General Quartiermeiſter : Cujus eſt opportunum caſtris locum deſignare, & caſtrorum formandorum rationem præſcribere, omniaque *magiſtri equitum* juſſu expedire.

Supremus Commiſſarius : General Comiſſarius: ad quem ſpectat exercitus luſtratio, ſtipendiorum ſolutio, munitionis, commeatus & pecuniæ procuratio.

Supremus ærarii caſtrenſis præfectus : General Pfenningmeiſter : cujus eſt pecunias conquirere, aſſervare & erogare.

Supremus annonæ præfectus : General Proviantmeiſter : qui rei frumentariæ præeſt, in commeatu procurando, advehendo & diſtribuendo occupatus.

Supremus rerum capitalium præfectus: General Auditor, juſtitiæ adminiſter & vindex eorum, quæ contra leges militares committuntur.

THES. VII.

Officiarii reſpectu partis exercitus, in *majore* vel *minore*.

THES. VIII.

In majore parte ſunt (1.) *In regimine equeſtri*, *Magiſter equitum*, General über die Cavallerey/ communiter Feldmarſchalck / & ejus vicarius: præfectus equitum ſuperior : Oberſter über ein Regiment Reuter/ & vicarius ejus : Equeſtris metator : Regiments Quartiermeiſter : Præfectus excubiarum : Oberſter Wachtmeiſter : Prætor equeſtris : Regiments Profoß.

(2.) *In regimine peditum*, Magiſter peditum, General über die Infantery & ejus vicarius : Tribuni peditum, Oberſten/ & eorum vicarii; Præfectus excubiarum, Metator pedeſtris, Præfectus annonæ.

(3.) *In re armamentariâ*, Præfectus aggeribus ſtruendis : Schantzmeiſter : Præfectus quadrigarum : Wagenmeiſter : Præfectus machinarum fulminarium : Büchſenmeiſter. &c.

Majori exercitus parti inſerviunt quoque *concionatores Caſtrenſes*, quibus fas eſſe caſtra ſequi oſtendit *Danæus* lib. 7. Polit. c. 5.

THES. IX.

In *minori* parte ſunt (1.) *In regimine equeſtri*,

Præ-

Præfectus equitum inferior, Rittmeiſter / & ejus vicarius: Vexillarius, Cornett: Equeſtris diverſoriorum deſignator, Furirer: Decurio, Corporal. (2.) *In regimine pedeſtri*, Centurio, Hauptmann / & ejus vicarius: Signifer, Fenrich: Ordinum ſtructor: Feldwebel: Diverſoriorum deſignator, Quartiermeiſter: Ordinum ductor, Führer: Decurio.

CAPVT. XLI.

DE EXERCITUS DISTRIBUTIONE IN ORDINES, & CONNEXIS ARTIFICIBUS & CALONIBUS: NEC NON DE OBJECTO BELLI, NEMPE HOSTE.

Thesis I.

H*Actenus milites ſeparatim conſiderati:* collectim conſiderantur in *exercitu*: cujus conſideranda, *diſtributio* & *connexa*.

Thes. II.

Diſtribuitur exercitus ſecundum conſuetudinem *priſcam* vel *recentem*.

Thes. III.

Secundum *priſcam conſuetudinem* diſtribuebatur exercitus in *manipulos*, *cohortes* & *legiones*: *ex manipulis* fiebant *cohortes*, ex *cohortibus legiones*: in *legione* manipuli erant triginta, cohortes decem: in *cohorte* manipuli tres.

Explicatio.

Legio à legendo ſeu eligendo dicta eſt: quia olim cum cura legebatur miles, explorata ejus virtute corporiſque habitu. Militum numerus in *legione* idem ſemper non fuit. *Romulus* fecit eam trium millium. Exactis regibus conſtituta eſt è

quatuor millibus. In Punicis bellis ad ſex millia crevit: qui numerus diu obſervatus eſt.

THES. IV.

Secundùm *recentem conſuetudinem* diſtribuitur in triplex regimen: (1.) *Equitum* quod ex cohortibus & turmis conſtat (2.) *Peditum*, quod in cohortes & contubernia diſtinguitur: (3.) *Rei armamentariæ*, quod pro arbitrio Ducis in ordines quoque certos dirigitur.

EXPLICATIO.

I. Militum numerus, qui *regimen* conſtituit ſive *equeſtre*, ſive *pedeſtre*, modò varius eſt. Plerunque tamen *equeſtre regimen* completum eſt mille equitum, qui per cohortes decem ſunt diſtributi. *Pedeſtre regimen* ſuperioribus annis duo, tria vel etiam quatuor millia peditum continebat: cohors verò ducentos vel etiam trecentos pedites. Contubernium, eine Corporalſchafft, decem vel quindecim conſtat peditibus.

II. De univerſo exercitu tria obſervanda monita.

(1.) *Nimius exercitus propriâ ſuâ mole potius, quam hoſtium virtute conſumitur.* Vnde ponderandus miles potius, quam numerandus.

(2.) *Nimius in exercitu ornatus laudem non meretur, neque ſatis tutus eſt*: Quia ſæpè militem reddit timidum & hoſtem audacem. Metuit enim miles jacturam ornatus, cui tanquam opulentæ prædæ inhiat hoſtis.

(3.) *Maxime providendum ne detrimentum capiat ſanitas militum.* Vnde de locis ſalubribus, de aquis & medicamentis bonis proſpiciendum caſtris.

THES. V.

Fuit *diſtributio* exercitus: ſequuntur *connexa*, quæ ſunt *digniora* vel *minus digna*.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. VI.

Digniora ſunt omnis generis opifices, quorum in exercitu permagnus eſt uſus : quales ſunt fabri lignarii, carpentarii, ferrarii, piſtores, ſartores, ſutores, tubicines, tympaniſtæ &c.

THES. VII.

Minus digna ſunt onera ſaltem & impedimenta : ut calones & lixæ, mulieres focariæ, meretrices : &c.

EXPLICATIO.

I. Olim perniciosiſſimum *Romanis viſum*, ineſſe exercitui mulieres: eo *quod pacem luxu, bellum formidine morarentur, & Romanorum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus converterent.* Tacitus. Sic *Philippus Macedoniæ* Rex in bello *Thebano* extra Imperii ſui fines relegavit duos juvenes, qui *Pſaltriam* mercede conductam in caſtra duxiſſent. Temporibus *Friderici I.* Imperatoris è caſtris quoque relegatæ ſunt fœminæ. Hodie in caſtris, præſertim *peditum*, tam ſunt numeroſæ, quam in urbibus, maximo rei militaris dedecore & detrimento :

(1.) Quia commeatum militi deſtinatum illa plerunque inutilia pondera & pecora abſumunt : Vnde cum fame tandem conflictandum militi.

(2.) Quia milites enervant & ad fugam arripiendam ſtimulant.

(3.) Quia amicis quoque & confœderatis, præſertim in hybernis, graviſſima & moleſtiſſima ſunt iſta pecora, quæ pauperum domicilia obruunt & conſumunt.

(4.) Quia ob continuos fornicationum actus & fœdas libidines contra expreſſam Dei legem conceſſas & uſitatas, ira & maledictio Dei provocatur & accenditur.

II. *Calones* & *lixæ* inter impedimenta & onera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

onera militiæ jure quoque numerantur: à quibus ferè non minora ſunt damna, quam à *meretricibus*: Nam & hæc pecora tantùm frugibus abſumendis ſunt nata, omniſque nequitiæ ſunt inſtrumenta, hoſpitibus graviſſima & moleſtiſſima: quibus militum & præſertim *equitum* fovetur otium, faſtus, luxus, iniquitas. Nunquam major pecorum horum fuit numerus, quam hoc noſtro ſeculo, quo tot plerunq; in exercitu ſunt, quot *equites*, imo quot *equi*. Inter *Turcas* ex veteri diſciplina, ſingula contubernia hoc eſt, deni milites nonniſi unum habent calonem.

THES. VIII.

Hactenus belli ſubjectum: Sequitur *objectum*, nempe hoſtis, cui ſolenniter indictum eſt bellum.

EXPLICATIO,

Circa hoſtem ſalutaria quædam monita obſervanda militi.

(1.) *Hoſtis, quantuluſcunque ſit, nullo modo contemnendus eſt: Quia*, ut Livius ſcribit, *ſæpe & contemtus hoſtis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque levi momento ſunt victi*: libr. 21. Et memorabilis eſt *Curtii* ſententia: *Nihil tuto in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris, valentiorem negligentiâ facies.*

(2.) *Hoſtis non minus juſtè, quam fortiter vincendus eſt.* Vnde exęcrabiles omnibus ſeculis fuêre, qui venenis hoſtem conficere moliti ſunt: quales Barbari, qui ſagittas, & alii, qui aquas, panes, globos plumbeos, venenis inficiunt, quibus infamam victoriam efficiunt.

(3.) *Hoſti quoque data fides ſervanda eſt.*

Liquet, inquit Ambroſius, *etiam in bello fidem & juſtitiam ſervari oportere, nec ullum decorum ſervari oportere, ſi violetur fides.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPUT XLII.

DE CASTRORUM LOCAtione, excubiarum conſtitutione & obſeſſione.

Thesis I.

OBjectum belli ſequitur *Actus*, qui ſex conſtat partibus (1.) Caſtrorum locatione: (2.) Excubiarum conſtitutione 3.) obſeſſione: (4.) Prælio: (5.) Inventione bellica: (6.) diſciplina militari.

Thes. II.

Caſtra locanda (1.) Vbi lignorum, pabuli & aquæ eſt copia: (2.) Vbi mons altior non eſt vicinus, unde damnum ab hoſte inferri poſſit: 3.) Vbi inundatio non metuenda: (4. Vbi difficilior hoſti eſt aditus. Figuram cujuſque præſcribit commoditas & neceſſitas.

Thes. III.

Excubiarum conſideranda *requiſita* & *connexa*.

Thes. IV.

Requiſita ſunt (1.) ut per vices eæ diſtribuantur militibus, & ita cum labores, tum pericula inter plures dividantur (2., ut diligentiſſimè obeantur & viſitentur.

Explicatio.

I. Olim *nocturnæ vigiliæ* & excubiæ ad clepſydram in partes quatuor erant diviſæ: Vnde prima, ſecunda, tertia, & quarta vigilia: Vnique parti non amplius quàm tribus horis vigilare neceſſè fuit: Quò illud *Lucani* alludit:

— Iam caſtra ſilebant;
Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos:

Ho-

Hodie ferè ſingulis horis mutantur excubitores.

II. Diligentiſſima *vigiliarum viſitatio* planè neceſſaria : quia per negligentiam earum ſæpè caſtra ab hoſtibus ex improviſo ſunt oppreſſa. Vnde omnibus ſeculis ſeverè animadverſum in eos, qui negligentius excubarent vel in vigiliarum ſtatione noctu dormirent. *Neque enim negligentiæ debet eſſe venia, ubi de ſalute certatur :* Vegetius. *Epaminondas* cum vigilem dormientem inveniſſet, gladio transfixit.

THES. V.

Connexa ſunt (1.) *Teſſera militaris :* Das Wort oder die Loſung : quam uno verbo concipi & quotidie mutari ex uſu eſt : (2.) *Vexillum*, cujus non in excubiis tantùm, ſed & in univerſo bello uſus eſt in ducendis & diſtinguendis regiminibus & cohortibus

EXPLICATIO.

Inſignia *vexillorum* olim apud Romanos erant *Aquilæ:* quandoque & *lupi, equi, apri, Dracones.* Nomen quoque Principis iisdem inſcribebatur. literis puniceis : quandoque & principis imago innectebatur.

Signiferi olim, amiſſis ſignis, cædebantur virgis & ſecuri percutiebantur.

THES. VI.

Fuit excubiarum conſtitutio : ſequitur *obſeſſio :* quæ eſt vel *laborioſor* & *violentior*, quando, caſtris ad urbem aut locum alium munitum locatis, obſeſſi continuis inſultibus militum aut tormentorum impugnantur & fatigantur : Vel *minus laborioſa minusque violenta*, quando aquâ & commeatu prohibentur obſeſſi & ad deditionem adiguntur, nullo obſidentium labore.

THES.

THES. VII.

Officia heîc obſervanda alia *obſidentium* alia *obſeſſorum*.

THES. VIII.

Obſidentium eſt (1.) pavorem quocunque modo incutere obſeſſis: (2.) per inſidias obſeſſos elicere: (3.) diſceſſum & deſertionem obſidionis ſimulare (4.) in oppugnatione nihil temerè agere: (5.) in ſubterraneo oppugnationum genere exquiſitâ uti prudentiâ.

EXPLICATIO.

De ſtratagematis obſidentium vide *Contzen*, lib. 10. cap. 46.

THES. IX.

Obſeſſorum eſt (1.) præter ſedula pietatis exercitia obſeſſionem fortiter ſuſtinere, ſi munitionibus, annonâ & aliis neceſſariis ſint inſtructi: (2.) cavere ne premantur inopiâ aquæ: (3.) præ ſe ferre abundantiam eorum, quæ maximè deſunt: (4.) Frugali dimenſione per idoneos homines commeatum diſtribuere, & inter præſentem copiam de futurâ inopiâ cogitare: (5.) hoſtem quibuscunque modis & vi arcere à foſſis, aggeribus, muris: (6.) eruptionibus prudentibus & circumſpectis fatigare obſidentes: (7.) Ad reſtinguenda incendia habere parata ſubſidia: (8.) Vigilias agere exquiſitiſſimas: (9.) Impetum in aggeres vel muros facientibus omni armorum genere fortiſſimè reſiſtere: (10.) Deficiente munitione & commeatu abſumtisque defenſoribus, ſi nulla ſit liberationis ſpes, & expugnationem pertinaciter urgeat hoſtis, offerre ſe ad deditionem, ſub conditionibus honeſtis & tolerabilibus.

EXPLICATIO.

I. De *eruptionibus obſeſſorum* inter alia duo ſunt monita.

(1.) Non

(1.) *Non temere eruptiones ab obſeſſis tentandæ.* Quia nullam faciunt tam parvam jacturam, quin, propter paucitatem ipſorum & difficultatem recuperandi nova præſidia, longè maxima videri debeat. Interim crebræ noſtra ætate ſunt eruptiones; quarum tamen aliæ aliis feliciores ſunt.

(2.) *Eruptiones factæ, ſummâ urgente neceſſitate plerunque feliciter cedunt.* Quia, ut *Curtius* ſcribit, *clauſis ex deſperatione creſcit audacia, &, cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido*: Et *Seneca*: *Acerrima virtus eſt, quam multa neceſſitas extundit*: Et: *Nihil difficile eſt perſuadere perſuaſis mori.* De ſtratagematis obſeſſorum, vide *Contzen* Polit. lib. 10. c. 47.

II. Vbi nulla eſt liberationis ſpes obſeſſis, in ſumma & commeatus & munitionis aliorumque neceſſariorum penuria, hoſtibus expugnationem urgentibus, prudentius eſt paciſci cum hoſte æquis conditionibns, quàm ultima experiri & planè nefaria moliri. *Stultum enim eſt, dum vinci times, graviora pati, quàm victor cogeret.* Sic *Numantini* olim obſeſſi humanorum corporum dapibus ſunt uſi: & *Caliguritani* uxores ſuas natoſque ad uſum nefariæ dapis verterunt.

CAPVT XLIII.
DE PRÆLIO.

THESIS I.

HVcuſque *obſeſſio*: Sequitur prælium, cujus conſideranda (1.) *Antecedentia* (2.) *Actus ipſe* (3.) *Conſequentia.*

THES. II.

Antecedentia ſunt (1.) Ducis præſentia. (2.) Ejuſdem officia prælii actum antecedentia: (3.) Claſſicum & ſignum pugnæ: (4.) Duellum.

THES.

THES. III.

Ducis præſentia ante prælium & in ipſo quoque prælio maxime eſt neceſſaria : quia intuitus ejus animum & robur addit exercitui.

EXPLICATIO.

Dici non poteſt, quàm animoſum & alacrem reddat militem præſentis & in eodem periculo conſtituti *Ducis*, ſeu *Imperatoris* intuitus. Vnde cum in prælio *Darius* curru, *Alexander* equo veheretur, ante oculos ſui quiſque regis mortem occumbere ducebat egregium : *Curtius* lib. 4. & 7. *Tanta erat apud eos veneratio Regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem præſentia ejus excuteret. Nemo* inquit *Syneſius, qui teſtem habet laborum ſuorum Imperatorem, eos defugere ſolet.* De *Scipione* Carthaginemoppugnante ita *Livius. Hortatur, imperat, quæ in rem ſunt, quodque plurimum ad accendendos militum animos intereſt, teſtis ſpectatorque virtutis atque ignaviæ cujusque adeſt.*

Neceſſitatem præſentiæ Regis & Imperatoris olim agnovêre *Macedones*, qui, cum victos ſe ab *Illyriis* exiſtimarent, quod bellantibus Regis ſui auſpicia defuiſſent, Rege tandem in cunis prolato & ante aciem poſito acrius certamen repetivere. Idem fecerunt & *Brabantini*, qui cum aliquoties parva manu à *Bartholdis* victi eſſent, tandem Ducem in cunis vagientem aſportari juſſerunt : quo præſente, ſumma alacritate triduo pugnatum eſt. Ægrotante *Eumene* duce, exercitus pugnam detrectavit : Vnde lectica advectus in campum eſt, ut ejus auſpiciis & ductu prælium milites inirent.

Opus tamen heîc *diſtinctione & cautione*: Summum belli ducem, cujus juſſu & autoritate bellum geritur, ſi *monarcha* ſit, ipſum intereſſe prælio, corpuſque ſuum hoſti opponere, inconſultum

tum prudentes judicant : quia *occaſus ejus* *ſummum adducit diſcrimen totum regnum & e*xercitum. Vicarium vero ſummi Ducis intereſſe tutiore tamen loco, quam militem gregarium aut præfectum inferiorem conſiſtere, dictat ratio & vocatio : Vide *Danæum* Polit. Chriſt. lib. 7 cap. 5. Etſi *Metellus* militi objicienti, quod prælio non interfuiſſet, reſpondit : *Eſt militum, non Imperatorum in acie mori.*

THES. IV.

Officia Ducis prælium antecedentia ſunt. (1.) Obſervare occaſionem ineundi prælii : 2.) Idoneum prælii locum tempuſque diſpicere : (3.) Peritè aciem inſtruere (4.) Alloquio militem animare.

EXPLICATIO.

I. Iuſto prælio cum hoſte nunquam confligendum, niſi ex *occaſione* & urgente *neceſſitate. Occaſio* autem intelligitur ea, quæ commoda nobis incommoda hoſti, quæque ſpem victoriæ ſi non plane certam, ſaltem non dubiam facit, vel ratione locorum, vel ratione auxiliorum, aut aliarum circumſtantiarum. quæ variæ eſſe poſſunt. Vnde Ducis indignus eſt nomine, qui temerè, nullâ invitante occaſione, nullâ urgente neceſſitate ad prælium ruit & de ſumma rei cum hoſte decernit, quique prodigè ſuo abutitur milite, hominiſque jacturam majorem non ducit, quàm canis.

Neque hoc prudentis eſt Ducis in eas ſe pati anguſtias conjici, ut invitus prælio cum hoſte decernere cogatur.

II. *Locus pugnæ* tantò commodior judicatur, quanto ſuperior : *in ſubjectos enim vehementius tela deſcendunt & majore impetu obnitentes pars altior pellit* : Vegetius.

Tempo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Temporis quoque habenda ratio, quando hoſtis ventum habet vel ſolem adverſum, quando jejunus & famelicus eſt, quando ex itinere defatigatus.

Maximopere cavendum, ne milites ad prælium producat laſſos aut fame confectos. Sunt & animi explorandi, an ad prælium inclinent. *Invito enim milite confligere periculoſum eſt.* Die Sabbathi non committendum eſſe prælium *Scholaſtici* nonnulli ſtatuunt : contra quos vide *Danæum*. Polit. lib. 7. cap. 4.

III. In peritâ *aciei ſtructione* maximum eſt momentum : ubi conſulendi rerum militarium ſcriptores. Monet *Vegetius* ut excelſiores ſpiritus concipiant milites, ſubſidia poſt aciem collocanda eſſe referta lectiſſimis militibus, ut hoſte nimium urgente, provolent ſubito & fatigatis vel attonitis ſuccedant præliumque de novo inſtaurent. Interim culpant hoc nonnulli in acie *Romanâ*, quod in fronte ejus collocarint tyrones ſeu invitos milites atque velites, quorum cædibus & ſanguine imbui ſolebat prælium & reliqua acies : quorum fugâ ſæpe turbata acies reliqua. Contra fortiſſimos quosque in primâ collocandos putant, ut primo impetu ſternatur & terreatur hoſtis. Vide *Contzen*. Polit. lib. 10. cap. 37. 39. 40. 42. 43.

IV. Mirum in modum ante prælium & in ipſo prælio animantur milites *alloquio & cohortatione ducum* : Vnde Vegetius : *Deſperantibus creſcit animus adhortatione Ducis.*

In hoc Ducum officio excelluerunt veteres *Græci* & *Romani*, qui plerique ut fortiſſimi Duces, ita & diſſerti erant oratores : quorum alloquio ſæpe inſtauratæ acies inclinatæ.

Thes. V.

Claſſicum canitur tubis & tympanis ad fortiter

ter præliandum militem incitantibus.

EXPLICATIO.

Tympana olim Romanis ignota erant. *Parth* uſitata : jam ubique inter bellicoſos populos rc cepta : quia animare militem creduntur.

Claßicum auribus, *pugnæ ſignum* oculis ſervi & *claßicum* antecedit : quod olim erat *tunica pu nicea* in prætorio faſtigio ab haſta ſuſpenſa.

THES. VI.

Duellum olim prælio præmittebatur ad explo randum prælii eventum : ſiquidem victoria cre debatur ei promitti parti, cui in duello victori ceſſerat.

EXPLICATIO.

Mos hic fuit veterum *Germanorum* & *Longobardorum*. Olim controverſiæ quoque per *duella* decidebantur : quod & hodie in *Moſcoviâ* uſitatum eſt, more barbaro & minimè probando. Siquidem facile fieri poteſt, ut vincatur is, cujus juſtiſſima cauſa eſt. Interim licita putantur *duella*, quæ ob patriæ ſalutem ſuſcipiuntur : quale fuit *Davidis* cum *Goliatho* : etſi heîc extraordinarium quiddam agnoſcendum.

Dux verò ſi ab hoſte ad ſingulare certamen provocetur, temerè ſe non debet ſiſtere, ne, ſi occubuerit animum deſpondeat exercitus. Vnde excuſandus *Carolus* V. quod *Franciſco* Galliarum Regi provocanti, non comparuerit. Interim *uſus docuit plerunque provocatorem à provocato victum eſſe*. Ita fuſus à *Davide Goliathus*, à *Manlio Torquato Gallus*, ab *Heraclio* Imperatore *Coſroës* Rex *Perſarum*.

THES. VII.

Hactenus antecedentia prælii : ſequitur *actus* in quo (1.) militibus, quantum fieri poteſt, addendi animi & hoſtes terrendi : quod plerunque incon ditis fit clamoribus in concurſu & conflictu excitatis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſitatis : (2.) capienda interdum conſilia ex tempore hoſtibus damnoſa, pro ut tulerit occaſio: (3.) de hoſtium turbanda acie maximè laborandum: (4.) primus militum impetus non nihil cohibendus, donec rabies & impetus hoſtis conſenuerit: (5.) in ſuis ſinguli milites continendi ordinibus: (6.) vacillantium animi conſilio, manu, voce incitandi.

Thes. VIII.

Conſequentia ſunt (1.) vulneratorum cura (2.) cæſorum ſepultura (3.) militum poſt victoriam in ſtationibus cohibitio (4.) hoſtium non nimis pertinax & longa inſecutio (5.) ſuperſtitum quicunque eventus fuerit collectio, erectio, armatorumque inſtauratio.

Explicatio.

I. Vulneratorum militum curam exquiſitam olim *Trajanus* habuit, qui, quoties deficerent ea, quibus vulnera militum obligarentur, ne veſti quidem ſuæ pepercit, ſed diſcidit eam ad obliganda vulnera, cæſisque aram ſtatuit & quotannis parentari juſſit.

II. *Poſt victoriam cohibendi milites, ne ſtatim in prædam diffundantur*: quia *ſæpe obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte ſpolia conſectandi* : Tacitus. Multa hujus rei documenta ſunt in hiſtoriis.

III. *Non eſt conſultum nimis pertinaciter & longè hoſtem perſequi victum*, præſertim ſi majora elabantur agmina: Quia in anguſtias ſępè incidunt perſecutores, unde referre pedem difficulter poſſunt: & deſperatum nimis urgentes hoſtem faciuntanimoſiorem & validiorem. Vnde fugienti hoſti pontes ſternendi potius, quam deiiciendi. De fuga vide *Contzen.* lib. 10. cap. 48. 49.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT XLIV.

DE INVENTIONE BELLICÂ: ubi de conſiliis bellicis.

THESIS I.

FVit prælium: ſequitur inventio bellica, ad quam conſilia pertinent, quæ ſunt *directa* vel *obliqua*.

THES. II.

Directa conſilia bellica appellantur, quæ, peritiſſimis quibusque & probatæ fidei ducibus ad deliberationem adhibitis, vel de totius belli gerendi ratione, vel de peculiaribus ejus actibus rectè & feliciter perficiendis agitantur.

EXPLICATIO.

I. Planè neceſſaria ſunt in bello *Conſilia*: quia *ſine iis*, ut *Lipſius* loquitur, *omnes bellorum apparatus eſt fumus*, *omnes viri*, *funus*. Et plerunque conſilium plus expedit rebus bellicis, quàm arma. *Carthaginenſes* ſuos Duces bella pravo conſilio gerentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen ſuffigebant. *Valer. Max.* Apud *Salluſt. Fabius* inquit, *Imperatori bono haud magni momenti fortunam eſſe: mentem rationemque dominari. Sunt autem conſilia bellica occultiſſimè habenda*, ne hoſti innoteſcant prius, quàm eorum effectus: Vnde cum paucioribus & fidelioribus communicanda: nonnunquam etiam à ſolo Duce premenda, ad imitationem *Metelli*, qui ajebat, *ſe interiorem ſuam tunicam crematurum, ſi conſilii ſui eam eſſe conſciam ſentiret.*

II. Conſilia directa ad hoſce ſcopos collimant:

(1.) *Occaſio in bellis obſervanda*: ſolet enim hæc am-

amplius juvare quàm virtus : *Vegetius.*

(2.) *Famæ modò ſerviendum, modò non ſerviendum.* Fama inquit *Livius*, bellum conficit, & parva momenta in ſpem metumque animos impellunt. Sæpe tamen, *ſuadet idem*, adverſus famam rumoresque hominum firmiter ſtandum.

(3.) *Securitas fugienda.* Quia nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet; *Vellejus.* Et frequentiſſimum initium calamitatis, ſecuritas, *idem* : Nihil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris valentiorem negligenter facies : *Curtius.*

(4.) *In omnia inquirendum*, exemplo *Hannibalis*, cui omnia hoſtium, haud ſecus, quàm ſua, nota erant.

(5.) *Videndum quando pugnes* : Ex *Pauli Æmilii* præcepto : quando vel *ſumma neceſſitudo* vel *ſumma occaſio* data eſt : quando major emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenditur.

(6.) *Videndum quo loco pugnes* : nempe qui tibi commodus, hoſti incommodus. Amplius ſæpe prodeſt locus, quam virtus : *Vegetius.* Equitatus campos requirit patentes : pedites in locis anguſtis, quæ foſſis, paludibus & arboribus impedita ſunt, tutiores. Sæpe tamen in anguſtias adacti fortiter & feliciter pugnant; ubi neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus ex victoriâ.

(7.) *Peritè inſtruenda acies*, pro ratione loci & hoſtium.

THES. III.

Obliqua conſilia ſunt *acutiora*, vel minus *acuta.*

THES. IV.

Acutiora ſunt de hoſte *ſtratagematis* circumveniendo & compendioſè vincendo. Sunt enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſtratagemata facta callida, quibus hoſtem inopinantem quàm minimâ noſtrorum jacturâ circumvenimus & ſuperamus.

EXPLICATIO.

I. Quæritur: *An ſtratagematis uti licitum & honeſtum ſit?*

Reſp. *Affirmativam* amplectitur omnium ſeculorum conſenſus: Vnde cum ipſis bellis nata ſtratagemata & aſſiduo uſu conſervata & amplificata. Natum hinc tritum illud: *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Conſimile illud *Ammiani Marcellini: Nullo discrimine virtutis an doli, proſperi omnes laudantur bellorum eventus.* Approbamus igitur *ſtratagemata*, modò cum *perfidiâ* non ſint conjuncta, & datam hoſti fidem violent.

(1.) Quia ipſe Deus ſanctis ea Ducibus *Ioſuæ* & *Davidi* mandavit: Ioſuæ 8. v. 29. 2. Samuel. 5. v. 23. videatur quoque inſigne ſtratagema *Gideonis*. Iud. 7. v. 16. & ſeqq. Vnde Auguſtinus: *cum juſtum bellum ſuſcipitur, ut apertè pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil intereſt.*

(2.) Quia effecta ſunt *prudentiæ*, quæ non minus laudabilia quàm *fortitudinis*: etſi cum iis quoque fortitudo conjuncta eſt.

(3.) Quia perinde eſt ſive *armis*, ſive *conſiliis* hoſtem vincas. In *ſtratagematis* verò excellunt *conſilia*.

(4.) Quia minus cruentæ ſunt victoriæ *ſtratagematis* partæ; quas etiam glorioſiores duxerunt *Lacedæmonii*. Vnde, cum *ſtratagemate* hoſtem ſuperaſſent, *Marti bovem* immolarunt: cum vi apertâ, *gallum*.

II. Sunt tamen, quibus minus honorifica videntur ſtratagemata.

(1.) *Quia bonæ fidei ſunt contraria: aperta enim*

odia palam ſunt depellenda: fraus & dolus obſcura ſunt & inevitabilia: Tacitus.

Reſp. *Stratagemata* bonæ fidei non ſunt contraria: quia in iis, quæ probamus, data fides non violatur: ſed arte improvisâ hoſtis opprimitur. Neque *fraus* hæc propriè appellari poteſt: ſed *calliditas* & prudentia bellica. Vti nec *ſtratagemata* probamus, niſi adverſus eum, qui vel tibi, vel cui tu hoſtilitatem apertam denunciaſti.

(2.) *Quia fortiter hoſtis eſt debellandus: Atqui in ſtratagemate fortitudinis ratio non habetur.*

Reſp. Perinde eſt, ſive fortiter ſive prudenter hoſtis debelletur: Nulla eſt felicior victoria, quàm quæ ſine ſanguine noſtro reportari ab hoſte noſtro poteſt.

(3.) *Quia decentius eſt viro palam & armis ulciſci hoſtes ſuos, quam occultis technis.*

Reſp. Vtrumque decorum viro, & *aperta vi* & *occulta arte* hoſtem ulciſci: Illâ *fortitudinis*, hac *prudentiæ* laudem acquirit. Neque ars etiam occulta ab omni ſeparari poteſt fortitudine: nam & *ſtratagemata* plurima magnum requirunt animum: quia non ſine maximo, ſi non multorum, ſaltem paucorum tentantur periculo. Interim notabis, pro ſtratagemate militari & laudabili non haberi, ſi quis hoſtem veneno tollat, vel clam immiſſò ſicario; flagitium hoc, à quo etiam fortes inter Ethnicos abhorruerunt. *Romani* victorias & arma ſua venenis polluere, religioni ſibi duxerunt. De ſtratagematis vide *Contzen* lib. 10. c. 38.

Thes. V.

Minus acuta conſilia & inventiones variæ ſunt, inter quas (1.) diſſidiorum & ſeditionum in hoſtili exercitu procuratio: (2.) exploratio vel per proprios homines, vel per captivos, vel per occultas epiſtolas: (3.) adductio ducum in ſuſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

cionem apud ſuos: (4.) inſidiarum ſtructio: (5.) militum vel commeatus interceptio: (6.) hoſtis in loco iniquo detentio, ubi & occaſiones rei benè gerendæ amittat & fame ſe conſumat (7.) ejuſdem per nocturnas & diurnas excurſiones & irruptiones fatigatio.

EXPLICATIO.

II. *Literarum* tutò perferendarum olim varii modi ſunt excogitati. *Andronicus* tabellariorum veſtibus eas inſuit. *Siculi* bacillis ſunt uſi: *Romani* columbis: *Harpagus* exenterato lepore: *Hiſtiaus* ſervo raſo: alii aliis modis. Hodie frequentes ſunt ignoti *characteres*, vel etiam noti; ſed vel tranſpoſiti, vel inter ſe permutati, vel ad nova & ignota vocabula adhibiti. De occulta ſcribendi ratione multa & mira invenit *Iohannes Trithemius*. Videatur ejus *Steganographia* & *Polygraphia*.

II. *Exploratoribus* & *proditoribus* in bello uti, pium poſſe magiſtratum docet *Martyr* in locis communib. L. de Bello. Vide & *Danaum* Polit. Chriſt. libr. 7. cap. 6. Inter exploratores olim in populo Iſraëlitico pii fuêre viri, ut *Chaleb*. Num. 13.

CAPUT XLV.
DE DISCIPLINA Militari.

THESIS I.

HActenus *inventio bellica*: Sequitur *diſciplina militaris*, quæ conſiſtit in diſtributione *pœnarum & præmiorum*.

EXPLICATIO.

I. Planè neceſſaria eſt *diſciplina militaris*; quia militum ad quoſvis exceſſus inclinantium & peſ-

& peſſimis plerunque moribus corruptorum inſolentia ſine *ſeverâ diſciplinâ* coerceri & in officio retineri nullo modo poteſt. Vnde *Valerius Maximus* ait. *Præcipuum decus & ſtabilimentum Imperii eſſe militaris diſciplinæ tenaciſſimum vinculum.* Erat hæc olim antiquior *Romanis*, quam charitas liberorum.

Dux *Belliſarius* tantam habuit ruſticorum curam, ut ne minimum quidem damni, à milite illis inferri paſſus fuerit: quorum ne poma quidem ab arboribus pendentia attingi permiſit. Diſciplinam militarem hujuſmodi nobis deſcribit *Aurelianus: vis*, inquit, *tribunus eſſe, imò ſi vis vivere, manus militum contine: nemo pullum rapiat alienum, avem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exigat. annonâ ſuâ contentus ſit. De præda hoſtis, non de lacrimis provincialium habeat.* Sunt hi, niſi fallor, moderni militis mores.

Totilas quoque per univerſam *Italiam* agricolis nihil damni intulit: ſed eam præſtitit ſecuritatem, ut, non minus quam in pace agros poſſent colere, indeque ſibi tributa pendere & de commeatu militi proſpicere.

II. Supra diſſerentem audivimus *Lipſium* de moderno militum *Delectu*: Lubet eundem quoque audire de *Diſciplina militari* noſtrorum temporum. *In Diſciplinâ*, inquit, *quid?* Nec formam ſaltem ejus & extrema tanquam lineamenta ſervamus. *Atque*, ut olim virtutis modeſtiæque, nunc proceritatis petulantiæque certamen eſt: omnia indiſpoſita, temulenta, præ vigiliis ac Bacchanalib. quam Diſciplinæ & caſtris propiora: *imò* nec in procinctu & caſtris habêtur, ſed per omnia municipia deſides, hoſpitibus tantũ metuendi: effundunt ſe in luxũ & epulas, & nocturnos cætus: *Ibi* circumferri merum largius jubent,

 debel-

debellaturi ſuper menſâ Alexandrum, ſuas vires extollere, hoſtium paucitatem contemnere. *Sed ô dedecus! Ad ipſos cum ventum eſt*, neque animo, neque auribus, neque linguâ competere: *Et fit illud Homericum*, inque pedes cunctis mens decidit imos. *Verè* galeati lepores, quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaque urenda & capienda pecora aliqua vis ſit: ita in acie ac ſignis collatis nulla eſt. *Nam ita collectis, ita habitis*, nec in victoria decus eſt, nec in fuga flagitium. Hæc *Lipſius*.

Vt autem *Dilectus*, qui poſſint eſſe boni milites invenit: ita *Diſciplina* tales facit & ſervat, quæ apud veteres Romanos olim caſtigatiſſima, hodie, ut *Lipſius* alibi queritur, non mala, ſed nulla eſt, & de hiſtoriis tantùm & liberis repetenda: quod tamen non in univerſum de totâ accipiendum diſciplinâ, quam verſari ait *Lipſius* in *Exercitio* armorum tractandorum & operum militarium faciendorum: *ordine*, ſeu digeſtione copiarum per legiones, cohortes, centurias, decurias: *coërctione* morum: *Exemplis* præmiorum & pœnarum.

ſupereſt enim aliqua *imago diſciplinæ*, ſaltem in *exercitio armorum*: quod tamen ſatis eſt infrequens: *Operum militarium*: quibus tamen cives & ruſtici plerunque ſolent exerceri. *In ordine*, qui adhuc ſatis eſt exquiſitus. *In exemplis præmiorum & pœnarum*: etſi hac tempeſtate *illa* rariora ſunt, *hæ* non tam ſeveræ, quàm apud Romanos fuerunt, qui etiam filiorum ſanguine diſciplinam & obedientiam militarem ſanxerunt. *Coërctio morum* conſiſtens in *continentia, modeſtia* & *abſtinentia*, qualis & quanta ſit, imo an ſit, in hodierna militia, facile deprehenderis, ſi ad amuſſim *continentiæ, modeſtiæ, & abſtinentiæ*, moderni militis vitam exegeris.

Con-

Continentia gulam & libidinem frænat, & milites requirit *conviviis, ventri, & turpiſſimæ parti corporis* non deditos. Ratio eſt: quia *degenerat à robore & virtute miles aſſuetudine voluptatum.* Tacit. Hinc *una Hannibalem hyberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque Alpibus enervarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt*: Seneca.

Modeſtia, militem requirit *in verbis moderatum*, qui jactabundus non ſit, & lingua ferox, hoſtemque non contemnat: Siquidem *viri nati militiæ, factis magni, ad verborum linguæque certamina rudes ſunt*; Livius. *Fortiſſimus in ipſo diſcrimine Exercitus, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus*; Tacitus. *Pectus animorum iræque tacitæ plenum omnem ferociam in diſcrimen ipſum certaminis differt*; Livius.

In veſtibus minus delicatum, & horridum potius: non cælatum auro argentoque, ſed ferro: Liv. *non diſcolori veſte, ſed ære fulgentem*; Curt.

Ratio eſt: quia Sybariticus ille corporis cultus non armat, ſed onerat militem; hoſtem animat & ſpe divitis prædæ implet: poſſeſſorem exanimat & amittendi metu percellit.

In factis obſequioſum, & intentum ad ducis non ſignum modo, ſed nutũ; Curtius. Vnde Æmilius Paulus, apud Livium ait, *militem tria debere curare: corpus*, ut quam validiſſimum & perniciſſimum habeat: *Arma* apta: *Animum* paratum ad ſubita imperia. Etenim *parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando res militaris continetur*; Tacit.

Abſtinentia militem requirit *ſuo contentum ſtipendio*, alienum à prędandi, rapiendi, furandi libidine, hoſpitibus non gravem & iniquum, legum à Vopiſco in Aurelio ſcriptarum obſervantem: *Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſegetem nemo deterat,*

terat, oleum, ſal lignum nemo exigat, annonâ ſu. contentus ſit. Quæ vero moderni militis eſt continentia? Quæ modeſtia? Quæ abſtinentia?

THES. II.

Pœnæ militares exiguntur à *ſingulis*, vel *univerſis* aut *pluribus*.

EXPLICATIO.

Rigida pænarum militarium exactio ſemper probata prudentibus: Vnde Tacitus: *delicta militum nullâ veniâ proſequi uſu ſalubre & miſericordia melius apparuit:* Et Valerius Max. *Aſpero & abſciſſo caſtigationis genere militaris Diſciplina indiget: quia vires armis conſtant: quæ ubi à recto tenore deſciverunt, oppreſſura ſint, niſi opprimantur.* Quo pertinet tritum illud: *In bello non licet bis peccare.*

THES. III.

A ſingulis exactæ pænæ ſunt *non capitales vel capitales.*

THES. IV.

Non capitales olim præcipuè erant, *(1.) fuſtigatio: (2.) miſsio ſanguinis: (3.) miſsio ignominioſa.*

EXPLICATIO.

I. *Fuſtigationis* modus hic erat: Fuſtem plerunque ex vite capiebat Tribunus, quo leviter reum tangebat: inde omnes eum feriebant, alii fuſtibus, alii lapidibus: ita ut ſæpe capitalis quoque hæc pæna fuerit.

II. *Miſsio ſanguinis* hujuſmodi erat: Vena ſecabatur militi ignominæ cauſa; unde ſanguis emittebatur: ut cum ignominiâ ſanguinem amitteret, quem gloriosè pro patriâ profundere noluerat.

III. *Miſsio ignominioſa* erat, quâ ob delictum aliquis militiâ ſolvebatur: quæ *exautoratio* appellata, in quâ inſignia militaria detrahebantur reis & ſic nudi dimittebantur.

IV. Fue-

IV. Fuerunt tamen & aliæ nonnullæ *militares ignominiæ*: ut, ſi quis ſtipendio privabatur: ſi cui hordeum pro tritico dabatur: Si quis diſcinctus ſtare jubebatur, aut amictus veſte muliebri. Hodie vel ligneis imponuntur aſinis, vel gravioribus bombardis onuſti ſtare in publico coguntur.

THES. V.

Capitales pœnæ variis modis infligebantur: vel enim in gladios ſtrictos præcipites agebantur: vel lapidibus obruebantur: vel ſecuri percutiebantur: vel virgis ad necem cædebantur.

EXPLICATIO.

Apud *Romanos* per metum arma in acie abjeciſſe, capitale erat: apud *Germanos* ſcutum reliquiſſe præcipuum flagitium erat. Deſertores ubique *capitaliter* puniti: Centurionibus & manipularibus ſtationem deſeruiſſe *capitale* quoque erat. Qui primus in acie fugerat, propter exemplum capite plectebatur, quod & hodie fit. Communiſſima pæna noſtro ſeculo in milite gregario *crux* eſt vel *patibulum*: in honoratioribus *enſis*.

THES. VI.

Fuerunt pænæ à ſingulis exactæ: ab univerſis vel pluribus exigebantur per *decimationem*, vel *viceſimationem*, vel *centeſimationem*.

EXPLICATIO.

Decimatio eſt, quando decimus quisque, plerunque ſorte, ad ſupplicium legitur: ſic *viceſimatio*, quando viceſimus quisque ſupplicio deſtinatur, &c. De pænis *Contzen* Polit. lib. 10. cap. 58.

THES. VII.

Hucusque pænæ: ſequuntur *præmia*, quæ ſunt *ſtipendia* vel *privilegia*.

THES. VIII.

Stipendia ſunt *ordinaria* vel *extraordinaria.*

THES. IX.

Ordinaria ſunt, quæ ſingulis dantur militibus ex pacto: erantque apud veteres *Romanos* (1.) *pecunia* (2.) *frumentum* (3.) *veſtis.*

EXPLICATIO.

I. Olim apud *Romanos* milites privato ſumtu ſe alebant: poſtmodum verò ſtipendia acceperunt, *pedites* in diem obolos duos, *ductores ordinum* duplum, *equites* triplum. *Pediti* in ſingulos dies bini oboli dati, menſis ſpatio, *Philippéum Hiſpanicum* faciebant. Poſtmodum vero *Iulius Cæſar* legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit. *Domitiani* ævo ſtipendium menſtruum erant *aurei terni*, *aſſes* in ſingulos dies 25. Hodie *peditis* ſtipendium menſtruum ſunt floreni vel thaleri quatuor: *Equitum* levium duplum vel aliquantò plus.

II. Præter pecuniam *Romani* militibus ſuis frumentum quoque dabant, ne inopia ipſos cogeret vel ex rapto vivere, vel caſtra deſerere. Plerunque certâ dabatur menſurâ. *Cæſar* verò, quoties copia eſſet, ſine modo menſurâque præbuit: nemini ſuum vendere fas erat.

III. Tandem & *veſtes* ſunt additæ, cum quererentur milites *Auguſti* temporibus, *de ſtipendio ſuo & decem aſsibus veſtem, arma, tentoria eſſe redimenda.* Hodiè *pecunia* militi datur, vel certè dari debet: cui & veſtes quandoque adduntur, præſertim pro *peditatu*. Ex defectu ſtipendiorum nil niſi *ἀταξία* & latrocinia.

THES. X.

Extraordinaria ſtipendia in ſpecie præmia ſunt; quæ non ſingulis, ſed iis tantum, qui fortibus auſis

ſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ſis antecellebant, olim dabantur & hodie quoque dari interdum ſolent.

EXPLICATIO.

Præmia militaria olim uſitata erant *torques, armillæ, phaleræ, haſtæ, coronæ* & alia. Fuerunt autem variæ *coronæ militares* ob fortia datæ facta militibus.

Corona civica è foliis quernis tributa eſt ei, qui civem ſingulari periculo in pugnâ liberaſſet.

Militaris corona ex auro conceſſa eſt ei, qui primus vi & armis hoſtium mœnia conſcendiſſet.

Obſidionalis è gramine ei, qui in obſidione egregiam præſtitiſſet operam: texebatur autem è gramine intra obſeſſum locũ decerpto: quia *herbam victis porrigere*, ſummum erat victoriæ indicium.

Caſtrenſis ei data eſt, qui primus oppugnando vallum hoſtile occupaſſet.

Navalis aurea ei, qui navali prælio claſſem hoſtium armatus eſſet ingreſſus. De præmiis vide *Contzen* Polit. lib. 10. cap. 57.

THES. XI.

Hactenus ſtipendia militaria : ſequuntur *privilegia*, quæ præcipua ſunt ſequentia : (1.) Immunes ſunt à muneribus aliis : (2.) In ſolutione moram facientes non conjiciuntur in carcerem : (3.) Torturæ non poſſunt ſubjici : (4.) condemnati non tenentur ultra quam facere poſſunt : (5.) Etjam filiifamilias milites peculium ſuum caſtrenſe habent, in quod patri nihil juris: (6.) Non currit contra eos tempus petendæ reſtitutionis in integrum, neq; præſcriptio : (7.) Excuſantur ignorantia Iuris (8.) Tam in civilibus, quàm in criminalib. non alibi, quàm coram ſuis ducibus conveniri poſſunt : (9. Filiifamilias hæredes inſtituti, etiam citra juſſum patris, ſuo arbitrio pro hæredibus ſe poſſunt gerere: (10.) Absque ſolemnibus teſtamenta poſſunt condere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

CAPVT. XLVI.

DE ADJUNCTIS ET EFFEctis belli: ubi de victoriâ, induciis, obſidibus & demiſſione exercitus.

THESIS I.

FVit *actus belli:* ſequuntur *adjuncta* & *effecta:* Et quidem *adjuncta* ſunt, quæ tamen & ipſa dici effecta poſſunt, *cædes, vaſtationes, captivitates.*

EXPLICATIO.

I. *Horrendæ cædes & ſtrages* bellorum in hiſtoriis memorantur. In *Iudæâ* diverſis vicib. duodecies centena & quadraginta millia hominum cæſa, ſummatim refert *Lipſius. Pecca* Rex Iudæ uno die centum viginti millia cæcidit. In prælio *Attilæ* cum *Romanis*, in campis *Catalaunicis*, utrinq; cæſa centum ſexaginta duo millia. In bello civili, quod filii tres *Ludovici Pii* inter ſe geſſerunt, in primo conflictu centum millia ceciderunt. *Iulius Cæſar*, quinquagies collatis ſignis cum hoſtibus, undecies centena ac nonaginta duo millia hominum occidit.

II. *Vaſtationum, incendiorum* & *rapinarum* nullus in bello modus eſt: quo nomine miſerrima ſunt omnia bella. Monent tamen heîc jura etiam in hoſtili ſolo frugibus & hortis parcendum eſſe. Triſtiora tamen & alia ſunt bellorum incommoda, quæ *Saluſtius* paucis complectitur. *Videmus rapi virgines, pueros, divelli liberos à complexu parentum, matresfamiliarum pati, quæ victoribus collibuerunt, fana atque domos ſpoliari, cædem, incendia fieri: poſtremò armis, cadaveribus,* *cruore*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

cruore atque luctu omnia compleri. Quæ omnia veriſſima eſſe miſera noſtra modo teſtatur *Germania*, in diuturno hoc & infelici bello.

III. *Captivitatum* quoq; triſtia occurrunt exempla. *Seſoſtres* quatuor captos Reges currum coëgit trahere. *Tamerlanes* captum *Bajazetem*, Turcarum Imperatorem, caveæ ferreæ incluſum circumduxit, eique in equum aſcenſurus inſtitit. *Baſilius* II. Imperator quindecim millia captivorum excæcavit. *Cyrus Crœſum* Regem rogo impoſuit. *Syphax Numidarum Rex* in *Tiburtinam* cuſtodiam conjectus eſt. *Ludovic. Sfortia dux Mediolani*, cavea ferrea incluſus periit. Celebres ſunt captivitates *populi Iſraelitici*: inprimis *Babylonica* quæ per annos LXX. omnem populum *Iudaicum* in regno *Babylonico* graviſſimè afflictum detinuit: quam annis circiter 120. anteceſſit *Aſſyriaca*, qua X. tribus abductæ à *Salmanaſſare* nunquam redierunt: adeo ut quò tandem locorum devenerint, etiamnum incertum ſit.

Hanc *captivitatis* miſeriam declinaturi obſeſſi ſæpenumero extrema perpeſſi ſunt. *Numantini* à Romanis obſeſſi, ne in manus *Romanorum* inciderent, ferro, veneno, & igne ſe peremerunt. *Asdrubalis* uxor in everſione *Carthaginis*, duobus liberis comprehenſis, de domus culmine in medium ſe miſit incendium. *Cleopatra* pectori aſpidem adhibuit, cujus morſu periret prius, quàm victoris arbitrio permitteretur. *Simrius* Rex Iſraelis ab *Amrio* oppugnatus, *Sardanapali* exemplo, ſe cum ſuis in ignem conjecit.

Thes. II.

Effecta belli *ſunt* (1.) *victoria* (2.) *pacificatio* (3.) *Exercitus dimiſſio.*

Thes. III.

Victoria conſiderandus (1.) *uſus* (2.) *declaratio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. IV.

Vſus Victoriæ conſiſtit (1.) in agnitione & prædicatione divini auxilii: (2.) in moderatione victoris: (3.) in perſecutione forti & prudenti.

THES. V.

Ante omnia victoris eſt erga DEVM ſe humiliare, ejuſque potentiæ & gratiæ victoriam tranſcribere, & hoc nomine ſolemnes gratias perſolvere.

EXPLICATIO.

Eſt enim victoria à DEO: Vnde ad eum meritò redit gloria & prædicatio: Eſſe autem à DEO victoriam vel inde manifeſtum eſt: quia ſæpè à paucis & infirmis validiſſimi & numeroſiſſimi hoſtes conciſi ſunt: quod fieri abſque præſenti Numine haud potuiſſet. Ita *Abraham* 318. ſervis ſuis plures reges ſubjugavit, Geneſ. 14. *Gedeon* 300. militibus innumerabiles *Midianitarum* fudit copias. *Ionathan* cum armigero 500. *Palæſtinos* cæcidit. *Amaſias* exiguis copiis decem millia *Idumæorum* confecit. *Antonino philoſopho* victoriam contra *Marcomannos* precibus à DEO impetravit *fulminatrix legio*. Trecenti *Lacedæmonii Xerxis* exercitum fregerunt. *Lucullus Tigranem* vicit: etſi vix viceſimam copiarum ejus partem habuit. Similia quoque exempla noſtra habent tempora.

THES. VI.

Moderatio victoris concernit vel ipſum *victorem*, vel hoſtes *victos*.

THES. VII.

Moderatio ipſum concernens victorem in eo conſiſtit, ut gloria & felicitate ſua non efferatur & inſoleſcat, cogitetque & ſibi accidere poſſe, quod hoſtibus accidit, adeoque ſe hominem eſſe, etiamſi *DEVS* undique ab adulatoribus conſalutatur.

EXPLI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Paucis mortalium ea eſt conceſſa felicitas, ut *felicitatem* moderatè poſſint ferre, eaque non efferantur. Vnde plerique maximarum gentium victores, tandem à propriis ſuis victi ſunt affectibus, nimiaque inſolentia DEO & hominibus ſe exoſos reddiderunt. Quod *Alexandro M.* accidit & multis aliis.

THES. VIII.

Moderatio victos hoſtes concernens uno nomine *clementia* appellatur, quâ uti victorem erga victos decet.

EXPLICATIO.

Ea enim, inquit *Æmilius Probus*, *ducenda eſt præclara victoria, ex qua plus eſt clementiæ, quàm crudelitatis.*

Victorem igitur ſimilem eſſe decet *Leoni*, cui uni ex feris in ſupplices eſt clementia: proſtratis parcit, &, ubi ſævit, in viros potiùs, quàm in fœminas fremit, in infantes non niſi magna fame: *Plin.* lib. 7. cap. 16. Admodum celebris eſt *Alexandri* in *Darium* & gynæceum ejus clementia, nec non in *Porum Indorum regem.* *Cyrus* quoque clementiſſimè *Cræſum* tractavit. Patris *Alexandri Philippi* ſingularis quoque erga *Athenienſes* clementia fuit: Etenim per inſidias victos cum interficere potuiſſet omnes, incolumes ſine pretio dimiſit. Idem cum urbem *Methonem* oppugnaſſet & ab obſeſſis oculo privatus eſſet: tamen majori in ipſos iracundia non exarſit: imò diebus aliquot interjectis pacem deprecantibus dedit. Memorabilia ſunt verba *Theodorici* regis *Oſtrogothorum* ad *Clodovæum Francorum* regem, de victoria, quam ab *Allemannis* reportarat, memorabili temperanda & victis clementer habendis. *Eſto illis remiſſius, qui noſtris finibus*

nibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus eſt. Alemannum *acerrimum ſic expaviſſe, ut tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare. Sufficiat illum regem cum gentis cecidiſſe ſuperbiâ. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim ſervitio ſubjugatam. Nam ſi cum reliquus confligis, adhuc cunctas ſuperaſſe non crederis. Accipe in talibus cauſis frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella provenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt. Is enim vincit aſſiduè, qui novit omnia temperare, dum jucunda proſperitas illi potius blanditur, qui auſteritate nimia non vigeſcit. Cede igitur ſuaviter genio noſtro, quod ſibi gentilitas communi remittere conſuevit exemplo. Ageſilaus* juſſit belli Duces perſuadere militibus, *captivos, ut iniuſtos, occidi quidem poſſe: tamen, ut homines, eſſe ſervandos:* Xenophon.

THES. IX.

Sic de victoris moderatione: perſequi etiam victoriam *fortiter & prudenter* decet, hoc eſt, fuſum & diſſipatum hoſtem, ſi fieri poſſit, inſequi & reliquis præſidiis ejicere & conatibus ejus faventes curſuique obſtantes metu jam perculſos aggredi & ab hoſte avellere.

EXPLICATIO.

I. In *victoriæ perſecutione*, quæ maximè neceſſaria, *fortitudine* opus & *prudentia*: illa, ut fractum, timidum & diſſipatum hoſtem, ſi fieri poſſit, penitus confringas & bellum finias: iſta, ne in inſidias & anguſtias incidas, & à victis, quibus haud rarò in præcordia redire virtus, ſolet, vincaris. *Ignaviam quoque neceſſitas acuit & ſæpe deſperatio ſpei cauſa eſt:* Curtius. Et pulchrè Porcius Latro. *Graviſſimi ſunt morſus irritatæ neceſſitatis.*

II. Et hæc quidem *victorem* decent: *victi* meminerint cladem *fortiter & prudenter* ferendam eſſe.

Pru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Prudentis eſt cladem acceptam ſeriò noſſe & expendere. Nam *clades ſcire qui refugit ſuas, gravat timorem :* Seneca. Et *qui nuncios cladis occultant ſtulta diſſimulatione, remedia potius malorum quam mala differunt :* Tacit.

Fortis eſt unius prælii eventu non paveſcere, vires juxta & procul ſitas circumſpicere, neque ſummæ rei diffidere, novos delectus, nova auxilia quærere : *omnia experiri more anguium, qui obtrito capite poſtremum caudâ minantur;* Florus. Et tandem noviſſimum effundere Spiritum per virtutem, non per ludibrium & contumelias.

Thes. X.

Hactenus victoriæ uſus : reſtat *declaratio*, quæ facta olim (1.) per *triumphos :* (2.) per *trophæa.* (3.) per *ovationes.*

Thes. XI.

Triumphus erat victoris magnifico curru à quatuor albis equis vecti ſolemnis in urbem ingreſſus, in quo captivi plerunque reges ante currum ducebantur cum ſignis militaribus atque ſpoliis.

Explicatio.

I. Victi reges olim *Romæ* in triumphis multi ſunt ducti : Inter eos *Perſeus Macedoniæ Rex, Gentius Illyriæ Rex, Iugurtha Numidarum Rex, Narſis Perſarum Rex* cum uxore, ſororibus & liberis, *Zenobia regina Palmyreorum, Attalus Pergami Rex*, cui peractâ triumphali pompâ dextra in repetitæ perfidiæ pœnam eſt truncata.

II. Multis verò indiciis *victor* monebatur, ne tantis honoribus inſoleſceret. Vnde in ingreſſu non tantùm convicia in ipſum à vulgo jacta : ſed & in triumphali curru *carnifex* ſedebat, qui auream coronam ſuſtinebat, victoremque admonebat, ut reſpiceret & deinceps provideret

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

ne honore iſto elatus ſuperbiret. Appenſa quoque erant currui *nola* & *flagellum*, quibus notabatur, poſſe triumphatorem in eam incidere calamitatem, ut & flagris cæderetur & capite truncaretur.

THES. XII.

Trophæa dicebantur cùm ſpolia fixa in ſtipitibus, tùm monumenta victoriæ ex marmore aut alio ſaxo in jugis montium & editioribus locis erecta.

THES. XIII.

Ovatio ſolemnis quoque erat victoris peditis myrtea corona cincti in urbem ingreſſus.

EXPLICATIO.

Notanda differentia inter *triumphum* & *ovationem*.

Qui *triumphabat*, curru vehebatur & à Senatu in *capitolium* deducebatur: ubi *tauri* ſacrificabantur. Qui *ovabat*, pedes plerunque urbem ingrediebatur & à plebeis vel equitibus in *capitolium* ducebatur: ubi *oves*, à quibus dicta *ovatio*, immolabantur.

THES. XIV.

Hucuſque victoria: Sequitur *pacificatio*, in quam omne bellum tandem deſinit, ſive perpetua ea ſit, ſive ad certum duntaxat tempus inita; quas *inducias* appellamus.

EXPLICATIO.

Belli finem debere pacem eſſe, prudentes judicant: Vnde Cicero. *Ita bellum ſuſcipiatur, ut nihil aliud quàm pax quæſita videatur*: Et Salluſtius: *Sapientes pacis cauſa bellum gerunt & laborem ſpe otii ſuſtentant.* Itaque prudentibus & ſapientibus non accenſendi bellatores illi, qui humani ſanguinis & ſpoliorum illecti dulcedine ex bellis bella ſerunt & de pace nunquam cogitant.

THES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

THES. XV.

Sunt autem in *pacificatione* duo conſideranda (1.) *Perſonæ intervenientes* (2.) *requiſita pacis.*

THES. XVI.

Perſonæ intervenientes pacem tractant, vel tractatam confirmant.

THES. XVII.

Tractatio pacis prudentibus & fidis hominibus eſt committenda: non enim tutum in eâ ipſos intervenire principes, inter quos de pace agitur.

EXPLICATIO.

Ratio : quia fieri facile poteſt, ut inter principes diſſidium exoriatur, indeque hoſtilitas recrudeſcat & in magnum malum erumpat : cujus rei exempla non deſunt. Hinc videmus pleraſque exempla non deſunt. Hinc videmus pleraſque ejuſmodi tractationes committi *conſiliariis* & *legatis*, viris diſertis & prudentibus.

THES. XVIII.

Perſonæ pacem, ſeu inducias tractatas confirmantes ſunt *obſides*, qui vel invicem dabantur olim, vel à ſolo inferiore.

EXPLICATIO.

Quia hoſtium reconciliatorum ſæpenumero ſuſpecta fides, ideò datis pignoribus vel *obſidibus* confirmanda, ut tanto ſecurior & certior pax ſit vel induciæ. Habent autem, qui *obſides* accipiunt, hoc in eos juris, ut interficere eos poſſint, ſi fidem fefellerint, qui dederunt. Vnde *Romani* trecentos *Volſcorum* obſides ſecuri percuſſerunt, cum fidem datam violaſſent *Volſci*. *Ferentinorum* obſides fugientes à *Romanis* retracti virgis cæſi & de *Tarpejo* ſaxo dejecti ſunt.

THES. XIX.

Fuerunt perſonæ intervenientes : ſequuntur requiſita

quiſita pacis, quæ tria ſunt, nempe ut ſit tempeſtiva, honeſta & ſimplex.

EXPLICATIO.

I. *Tempeſtiva pax eſt*, quæ fit ſub *Clypeo*, hoc eſt, à parte utraque adhuc armatâ, neutraque victa. Pax enim poſt victoriam & partis alterius oppreſſionem, plerunque calamitoſa & miſera eſt, adeoq; minimè *tempeſtiva*. Igitur cum æquali vel dubio Marte aliquandiu pugnatum bellatumque eſt, & eventus utrique parti dubius videtur, de pace tempeſtive cogitandum, tam ei qui viribus aliquanto videtur ſuperior quàm qui inferior, idque duabus de cauſis (1.) Quia admodum dubius eſt belli eventus & incerta alea, quæ contra opinionem & ſpem omnem ſæpiſſimè cadit: Vnde pax honeſta & certa, omnibus modis præferenda incertæ victoriæ. (2.) Quia pacis ſub *clypeo* factæ conditiones ſunt plerunque æquiores: Vnde plus laudis conſequuntur partes, quam ex iniquis. Sed quotusquiſque eorum, qui victoriæ ſpem animis concepêre, ad hanc ſe moderationem demittit! Noverit tamen quiſquis Princeps victoriæ cupidus eſt, decorum eſſe, *cum victoriam propè in manibus habeas, pacem nō abnuere, ut ſciant omnes te & ſuſcipere juſtè bellum & finire*: Livius. *Pacem contemnentes*, inquit Barnhardus, *& gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam*: quæ juſtiſſima humanæ inſolentiæ pœna eſt.

II. *Honeſta pax eſt*, quâ tolerabilibus conditionibus finitur bellum, quæ verè pax eſt, non pactio ſervitutis. Generoſi magnique animi *cum dignitate potius cadendum, quàm cum ignominia ſerviendum* judicant.

Ita *Cicero* ſentit; Alii quoque prudentes viro Principi intolerabilem eſſe pacem ſentiunt, quæ labem & ignominiam adfert. Sed nec tuta aut diutur-

diuturna pax eſt *inhoneſta : Eo enim loco, ubi ſervitutem eſſe velis, fides ſperanda non eſt.* Livius, *Privernas* in Senatu Romano interrogatus; *Qualem à Romanis pacem exſpectaret :* Reſpondit : *Si bonam dederitis, & fidam & perpetuam ? Si malam, haud diuturnam.*

III. *Simplex pax eſt*, quæ nihil fuci, nihil fraudis aut inſidiarum habet. Vbi maxima opus circumſpectione, præſertim ſi cum ſubleſtæ fidei hominibus res ſit : quibus cum temere ineunda pax non eſt, aut deponenda arma, niſi vel ultima cogat *neceſſitas*, vel *cautio* interveniat idonea. Siquidem *pace ſuſpecta tutius bellum* ; Tacitus. Vti & *miſeram pacem vel bello benè permutari*, idem judicat.

Thes. XX.

Hactenus pacificatio : Sequitur exercitus dimiſſio, quæ finito bello neceſſaria eſt, & perſolutis ſtipendiis facilè obtineri poteſt.

Explicatio.

Neceſſaria exercitus poſt bellum demiſſio: quia retentus provincias vaſtat & ſeditiones movet. Eſt autem difficilis dimiſſio, niſi præceſſerit *ſtipendiorum* ſolutio, vel certe de iis ſolvendis cautio. Itaque pacificatoribus ante omnia de mediis cogitandum, quibus ſatisfieri poſſit exercitui. Eſt enim iniquiſſimum ſtipendio ſuo defraudari militem.

Dimiſſo exercitu dux & autor ejus damna ſubditis illata tenetur reſarcire. *Geil.* 2. obſervat. 57. num. 6. Sed quotusquiſque eò æquitatis ſe demittit!

HACTENVS SECVNDVS POLITICÆ liber, de Reipublic. adminiſtratione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

TYPUS LIBRI TERTII POLITICÆ.

- B. Everſio, cujus conſiderantur
  - Cauſæ
    - Efficientes ex parte
      - Solius magiſtratus
      - Magiſtratus & ſubditorum ſimul
      - } Cap. 1. 2. 3.
    - Forma, Cap. 4.
  - Subjectum:
  - Adjuncta:
  - Effectus:
  - Contraria:
  - } Cap. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

LIBER III.
DE REIPUBLICÆ EVERSIONE.

CAPVT I.

DE CAVSA EVERSIONIS EFFICIENte principali, & minus principali ex parte ſolius Magiſtratus, & Magiſtratus atque ſubditorum ſimul. Vbi de injuſtitia, diſcordia, ambitione, avaritia, abdicatione intempeſtiva, &c.

THESIS I.

H*Actenus Reipublicæ adminiſtratio*: Sequitur *everſio*, cujus conſideranda veniunt, (1.) *cauſæ* (2.) *ſubjectum* (3.) *adjuncta* (4.) *effectus* (5.) *contraria.*

THES. II.

Cauſa everſionis eſt *efficiens* vel *formalis.*

THES. III.

Efficiens eſt *prima* vel *ſecunda.*

THES. IV.

Prima Deus eſt, qui ut Reſpublicas per gratiam ſuam fundat, ita per iram eaſdem evertit.

EXPLICATIO.

Perpetua illa in omnibus rebus lex eſt, inquit Seneca, *ut ad ſummũ perducta, rurſus ad infimũ velocius quidem, quam aſcenderunt, relabantur.* Idẽ: *Nihil publicè ſtabile eſt: tam hominum, quàm urbium fata volvuntur.* Et hanc quidem Rerump. mutationem vel everſionem habere DEVM autorem, expreſſis ſcriptura verbis teſtatur: Pſalm. 44. v. 3. *Tu manu tua gentes expuliſti & plantaſti ipſos: malo affeciſti nationes & propagaſti ipſos*, Daniel. 2. verſ. 21. *Ipſe transfert regna & conſtituit Reges.*

THES.

THES. V.

Secunda cauſa eſt vel *magiſtratus tantùm*, vel *ſubditi* & *magiſtratus ſimul*.

THES. VI.

Magiſtratus tantùm everſionem Reipubl. maturat, (1.) *injuſtitiâ* (2.) *diſcordiâ* (3.) *ambitione* & *avaritia* (4.) *abdicatione intempeſtiva*.

EXPLICATIO.

I. Everti Reſpubl. propter *injuſtitiam* inprimis magiſtratus: quando vel ſceleribus & flagitiis contra leges datur impunitas, vel innocentia opprimitur, expreſsè teſtatur *Eccleſiaſticus*, cap. 10. v. 8. *Regnum à gente unâ ad alteram traducitur propter injuſtè facta & contumelias pecuniasq́; dolo partas*. Averſatur enim juſtiſſimus DEVS omnem injuſtitiam. Vnde tot maledictionũ fulmina adverſus injuſtos in lege DEI vibrata. *Deut*. 28.

Exempla in hiſtoriis ſacris & profanis ſunt frequentia:

Exſtripata *tribus Benjamin*, quod *Gibeonitas*, qui Levitæ conjugem violarant, ſiſtere recuſarit: *Iudic*. 19.

Labefactata & concuſſa *Sparta*, quod injuriam *Scedaſi* filiabus illatam in civibus ſuis vindicare noluerit.

Exciſa *Corinthus*, quod impunitos demiſiſſet cives, qui legatos *Romanos* lotio perfuderant.

Exuſta à *Gallis Roma*, quod raptorem conjugis *Aruntis Hetruſci* non puniverit. Hac enim motus iniquitate *Hetruſcus* adverſus *Italiam Gallos* concitavit.

II. Rerumpublicarum & regnorum per magiſtratuum *diſcordiam* everſorum exempla quoque ſunt multa.

Reipublicæ *Iudaicæ* vaſtationem & excidium maturarunt *Pontificum Summorum* cædibus & odiis dimicantium diſſidia & factiones. Hinc enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

enim in *Iudæam* attracti primùm reges *Syriaci*, deinde *Romani*.

Alexandri M. monarchiam deſtruxit ſucceſſorum *diſcordia*.

Orientis Imperium everterunt & in prædam Barbaris dederunt *Græcorum Principum* diſſidia & æmulationes.

Imperium *Romanũ* à temporibus *Ottonis Henrici VI*. F. uſque ad *Rudolphum I*. graviſſimè afflixerunt diſcordes electiones & interregna.

Occaſione *diſcordiarũ*, quibus olim laborabãt *Sileſiæ* Principes, per *Iohannem Lucenburgicũ*, Bohemiæ regem, avulſa eſt *Sileſia* à *Regno Polonico*.

Eodem modò morbo noſtra *Germania* laborat & conficitur: veriſſimũ ut ſit tritũ illud: *Concordia res parvæ creſcũt, diſcordia magnæ dilabuntur*.

III. *Ambitio*, hoc eſt, regnandi libido & avaritia omnibus ſeculis orbem inquietavit, & veluti immanis bellua Reſpubl. & regna florentiſſima devoravit rictu immani & prorſus inſatiabili. Hæc Democratiam *Romanam* ſuſtulit, auſpiciis *Craſſi*, *Cæſaris* & *Pompeji*. Hæc *Græcorum* arma in orientem intulit & vaſtiſſima regna, auſpiciis *Alexandri M*. ſubjugavit & evertit. Ipſa quoque *Græcorum* monarchia libidine dominandi & avaritia ſucceſſorum *Alexandri* tandem everſa Romanis in prædam ceſſit. *Romani* avaritiæ ſuæ parentarunt ruinis omnium exterorum regnorum & Rerumpublicarum.

IV. *Abdicatio intempeſtiva* magiſtratus exitioſa quoque Rebuſpublicis exiſtit. Eſt autem tum intempeſtiva, cum externis vel domeſticis motibus quaſſata Reſpublica, ex laborum tædio vel periculorum metu, à *Rectoribus* deſeritur, & novis vel imperitis etiam hominibus, aut ipſi populo, multorum capitum belluæ, permittitur.

Alias licita *abdicatio*, ſi cum Reipubl. periculo

conjuncta non ſit. Quã in rem exempla non deſunt. *Diocletianus*, ſponte poſitis faſcibus, apud *Nicomediam* in agris propriis conſenuit. *Attalus*, omiſsâ regni adminiſtratione, ad hortorũ culturam animũ appulit. *Timoleon* depoſito Imperio, Syracuſis vitam privatã egit. *Carolus* V. poſt maximas imperio Romano res geſtas ſponte in monaſterium conceſſit, & Fratri *Ferdinando* Imperium reliquit. Ante *Carolum* V. ſponte quoque ſe abdicavit & in monaſterium ſeceſſit *Lotharius* I. *Caroli* M. nepos ex filio *Ludovico Pio*.

THES. VII.

Magiſtratus & ſubditi ſimul everſionem Reipublicæ accelerant violatione *diſciplinæ publicæ* vel *jurisdictionis*.

THES. VIII.

Publica diſciplina violatur (1.) Tyrannide religioſâ: (2.) Idololatriâ: (3.) Libidine: (4.) Luxu & ſuperbiâ: (5.) Pauperum oppreſſione.

EXPLICATIO.

Tyrannis religioſa ea dicitur, quâ cõſcientiis eripitur libertas: quâ nõ ſuadetur *religio*, ſed vi & armis imperatur, quæ afflatu cæleſti cordibus hominum ingeneranda, non vi, minis aut ſuppliciis incutienda. Hæc *tyrannis* ubi ſævit in viſceribus Reip. excidium ejus ſecum trahit: non enim acriores & pertinaciores ſunt pugnæ, quam quæ pro *conſciẽtiæ* & *religionis* libertate ſuſcipiuntur.

Vnde ſedari & tranquillari nec *Germania* mota à *Carolo* V; nec *Gallia* ab *Henrico* IV, nec *Auſtria* à *Maximiliano* II, nec *Polonia* à *Stephano*, nec *Bohemia* à ſuperioribus regibus potuit, niſi libero religionis permiſſo exercitio. *Philippus Hiſpaniarum Rex*, ſi ante annos LX. liberum religionis exercitium indulſiſſet *Belgis*, pacatas illas nobiliſſimas provincias etiamnum poſſideret, quæ modo totum regni Hiſpanici ſtatum affligunt

gunt & omnes *orientis* & *occidentis* theſauros hauriunt. Ob idem religionis negotium modo tota *Germania* cum vicinis provinciis patitur.

II. *Idololatria* eſt crimen læſæ majeſtatis divinæ abominabile, quo falſi coluntur Dij, & honor ſoli Deo competens rei tribuitur, quæ Devs non eſt. Ex hoc crimine à rege *Salomone* admiſſo divulſio regni & defectio X. tribuum orta, 1. Reg. 12. Hinc excidium regni *Samariæ* per *Salmanaſſarem*, 2. Reg. 17. v. 9. Ezech. 25. v. 9. Hinc abductio populi *Iſraëlitici* in *Babylonem*: 2. Reg. 25. & *occidentalis* Imperii ab *oriente* avulſio. Inſignis eſt locus, *Ieſaiæ* 60. v. 12. *Gentes & regnum, quæ non ſervient tibi, peribunt, & hæ gentes penitus deſolabuntur:* & Pſal. 73. v. 27. *Eece longinqui à te pereunt, exſcindis quicunq; adulterando deficit à te.*

Cum *idololatriâ* conjungi ſolent *blaſphemia*, quæ *Pharaonem, Sennacheribum* & *Nebucadnezarem* peſſundederunt. Pertinent huc quoque *perjuria*, quorũ vim ſenſit *Zedechias* vel potius urbs Hieroſolymitana, 2. Reg. ult. *Ladislaus Hungariæ Rex* in bello contra *Amurathem*.

III *Libidines* plurimas quoque everterunt Reſpublicas: Hinc enim *univerſale diluvium*, Geneſ. 9. v. 2. Hinc excidium *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, Gen, 19. In deſerto 24000. hominum propter fornicationem occiſi: Num. 25. Deleta ob libidines tota tribus *Benjamin*, Iud. 20. Solo æquata *Troja*, ob raptum *Helenæ*: vaſtata à *Cyro Ionia*, propter ſcortationes. Regiam Reipubl. *Romanæ* gubernationem ſuſtulit libido *Tarquinij* regis, Decemvirorum poteſtatem libido *Appij*.

IV. Luxu corruptus *Hannibalis* miles in Campaniâ, quo & *Babylon* periit cum universâ *Aſiâ*. Hinc veterum adverſus luxum & ebrietatem ſeveræ leges. Ex *Baſilidis* lege, qui publicè ebrii conſpiciebantur, in carceres conjiciebantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

nec inde niſi triduo ante *Paſcha* dimittebantur. Vnde verò carceres, ſi idem hodiè fieret!

Cum luxu conjungi ſolet *ſuperbia*, quàm vindex DEI ira excipit, *Eccleſiaſt.* 10. v. 17. *Radices gentium ſuperbarum evellit Dominus, & plantat in gloriâ humiles earum loco.*

V. *Pauperum oppreſſoribus* excidium minatur DEVS, *Amos* 5. v. 11. Gemunt modò ubique pauperes, & potentiorum queruntur injurias. Vnde dubio procul inter cauſas calamitatum *Germaniæ* hæc non eſt poſtrema.

CAPVT II.

DE VIOLATIONE IURISdictionis per facta manifeſta: ubi de factionibus, defectionibus, ſeditionibus & bellis civilibus.

THESIS I.

HVcuſque *violatio publicæ diſciplinæ*: ſequitur *violatio Iuriſdictionis*, quæ Rempublicam evertit factis hominum *manifeſtis* vel *occultis*.

THES. II.

Manifeſta hominum facta ſunt, (1.) *factiones*, (2.) *defectiones*, (3.) *ſeditiones*, (4.) *bella civilia.*

THES. III.

Factio eſt paucorum aut plurium inter ſe coitio & cum aliis diſſenſio.

EXPLICATIO.

Manifeſta hæc eſt everſionis Reipublicæ cauſa: quia in *factionibus* ſunt contraria ſubditorum vel optimatum ſtudia: Vnde plerunque ſalutis publicæ cura abjicitur & ad privata emolumenta diverſis viis contenditur. Experta hoc *Romana* Reſpublica in *factione Iulianâ* & *Pompejanâ.*

Sæpe quoque uſu venit, ut *factionum* pars inferior externa accerſat auxilia, eorumque prædis

Remp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Remp. exponat. *Nõ alius*, inquit Cicero, *eſt diſcordiarum exitus inter claros & potentes viros, niſi aut univerſus interitus, aut victoris dominatus & regnũ.*

Factionibus maturè obviandũ ſeveris legibus, prohibitione ambitioſorum certaminum novorumq; nominum, conventiculorum & conſultationum: ut ad *Auguſtum Mæcenas* diſſerit, apud *Dionem*. Quandoq; tamen levis diſſenſio vicinorum oppidorum & provinciarũ inter ſe prodeſt: à quibus quia diſtractæ ſunt animis & conſiliis, Reſpublica tua tutior eſt. Sic, *Plutarcho* teſte, *Cato* ſemper contentiunculas aliquas aut diſſenſum inter ſervos callidè fovit, quod ſuſpectum haberet nimiam eorum concordiam metueretque.

THES. IV.

Defectio eſt publica ſubjectionis negatio, orta plerunque ex nimiâ tributorum *exactione* vel aſperiore *gubernatione*.

THES. V.

Seditio eſt multitudinis in magiſtratum ſubitus & violentus motus: cujus conſiderandæ *(1.) cauſæ*, (2.) *ſubjectum*, (3.) *progreſſus*, 4.) *remedia*.

EXPLICATIO.

Seditio malorum omnium in Republica graviſſimum & periculoſiſſimum meritò in politicam venit conſiderationem, prçſertim cum idem ſit frequentiſſimum, cujus natales probè introſpiciendi, ut vel præcaveri, vel mitigari penitus poſſit. Catalogum ſeditionum in Imperio Romano à primis ejus incunabulis ortarum ex hiſtoriâ texit *Ieſuita Contzen*, Polit. lib. 9. cap. 3. 4. 5. Horrendam monſtri hujus immanitatem exemplum nobis depingit, quo vix ullum horribilius mundo furor civilis dedit in *Andronico*, orientis Imperatore, parricidâ & immani tyranno, circa annum Chriſti 1182. Hiſtoriam deſcribit

Nicetas lib. 2. Annal. In *Anemæ* caſtellum (*Andronicus* captus) duabus gravibus catenis cum ferreis feris ſuperbo collo injectis, & compedibus oneratus, ut captivos tractari moris eſt, conjicitur, eoque habitu ad Iſaacium (ſucceſſorem) perducto contumelioſis verbis inſultatur, alapæ impinguntur, nares pulſantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli evelluntur, publicè omnibus ludibrio expoſitus, etiam à mulieribus pugnis cæditur, iis præſertim, quarum maritos aut occiderat, aut excæcaverat. Deinde præciſa dextra in idem Caſtellum reducitur ſine cibo, ſine potu, ſine ullo cujuſquam officio. Poſt aliquot dies, altero oculo effoſſo, ſcabioſo camelo impoſitus, per forum triumphi ſpecie traducitur, calva glabra inſtar aridæ quercus & ovo nudiore & brevi tunicula tectus, ſpectaculum miſerabile, quod rivos lacrymarum elicere queat ex oculis non inhumanis: Sed ſtolidiſſimi & petulantiſſimi urbis incolæ, præſertim ſartores, coriarii, opifices & circumforanea ſordidaque turba, muſcarum inſtar, verno tempore ad mulctras & pinguia cymbia convolantium, nulla ratione habita, quod is nudius tertius Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus eſſet, quodque ſanctiſſimo jurejurando fidem & benevolentiam ſuam erga illum teſtati eſſent, efferatis animis ſine ulla ratione ruentes nihil mali prætermiſerunt, quo *Andronicum* per nefas non afficerent. Alii claves in caput ejus impegerunt, alii ſtercore nares ejus fœdarunt, alii ſpongias excrementis hominum & pecudum fœdatas in faciem ejus expreſſerunt, alii verbis obſcænis parentes ejus inſectati ſunt. Erant & qui verubus latera ejus pungerent: Impudentiores quidam lapidibus conjectis rabidum canem eum appellabant. Scortum quoddam impudens ollam

ollam ferventi aqua plenam è culina raptam in faciem ejus effudit. Nemo denique erat, quin malefaceret *Andronico*. Ita ignominioſè in theatrũ ridiculo triumpho perductum ac miſero illo Camelo detractum, juxta duas columellas, quibus ſupernè lapis incumbit, propè æneam lupam & hyænã, quæ inflexis cervicibus, quaſi altera in alteram impetum factura, concitatæ aſtant, pedibus ſuſpendũt fune allegatis. Tot mala perpeſſus & alia ſexcenta, quæ prętermiſimus, tamen generoſo adhuc animo illata mala tolerabat, ac mente integra ad affluentem turbã & jacentem converſus nihil dicebat aliud, niſi, *Domine miſerere! Et quid calamum contritum infringitis?* Cæterùm dementiſſima populi turba ne tunc quidem afflictiſſimo pepercit *Andronico*, poſtquam pedibus ſuſpenſus fuit: ſed, direpta tunicula, virilia ejus vexavit: & quidam homo nefarius longũ enſem per fauces ejus uſque ad inteſtina adegit. Duo vero latini generis, enſes, ambabus annixi manibus, in nates ejus adegerunt, ut periculum facerent, uter eſſet acutior ictus dexteritate gloriati. Poſt tot ærumnas & clades ægrè vitam abrupit, dexterâ cum dolore ad os admotâ, ut multi putarent eum calidum ex ea ſanguinem ob recentem plagam adhuc diſtillantem exugere. Poſt dies aliquot ex alto illo miſerabili detractus & in theatri fornicem quendam, ut beſtia, projectus jacuit. Hactenus Nicetas. Ecce mihi, quam lubrico ſtent loco fortunæ celſæ, quando fervere cæpit ſeditio! Plerunque ipſæ in ſe hanc concitant beſtiam: quæ penitiùs jam inſpicienda.

THES. VI.

Seditionis *cauſæ* ſunt (1.) Ex parte *magiſtratus*, violata religio, ſubditorum oppreſſio, indulgentia nimia: (2.) Ex parte *ſubditorum*, otium & nimia felicitas: (3.) Ex *calamitatibus* publicis divi-

divinitus immiſſis, quales ſunt, annonæ caritas, bellum, peſtis.

EXPLICATIO.

I. Nihil tam adverſus magiſtratum concitat plebem, quã mutata & coacta *religio:* quia tyrannis major nulla, quam quæ in hominum ſævit conſcientias, in quas nihil eſt juris homini. Hinc plebs *Conſtantinopolitana* olim cũ, *Anaſtaſio* Imperatore, quaternitatem adorare juberetur, illico ſeditioſa arripuit conſilia. Ex hac tyrãnide nata olim bella *Huſſitica* in Bohemia, nata *Belgica* & *Gallica*, ut de *Germanicis* taceam.

Poſt *tyrannidem* hanc Magiſtratus *religioſam*, oppreſſio, hoc eſt, nimis rigida magnorum tributorum multorumque ſervitiorum exactio plebem concitat, quæ ad deſperationem acta tentat extrema, magiſque amat, ſi auſis excidat, ſubitò perire, quàm lentâ morte confici.

Indulgentia quoq; & *lenitas* magiſtratus nimia ſeditionibus anſam præbet: quia dum quiſcere magiſtratus officia plebs videt, nulliſq; legum ſe coërceri repagulis animadvertit, ipſa ſibi rapere gubernacula & quidvis audere incipit, contemto magiſtratu, vel ſpe impunitatis concepta.

Seditionum, ex parte Magiſtratus, cauſas alii referunt ad Magiſtratus:

(1.) *Crudelitatem:* Siquidem in leones, urſos, lupos, ſerpentes, ſemper geruntur arma.

(2.) *Avaritiam* & *rapacitatem.* Vide *Ariſtot.* 5. Polit. c. 3. Pertinẽt huc iniquæ *tributorum exactiones.* ob quas olim Lydi *Achæum* Regem pedibus ſuſpenderũt, ita ut caput *Pactolo* mergeretur, ut ſic auriferâ aquâ ſitim ejus explerent.

(3.) *Injuſtitiam*, quâ legibus & juri obſiſtitur, innocentes damnantur, nocentes abſolvuntur. Hinc *propter iniuſtitiam de gente in gentem transferri regnum*, Scriptura ait.

(4.) *Li-*

(4.) *Libidinem*, ſeu principum in fœminas & uxores alienas *licentiam*, quam concoquere nemo niſi leno poteſt.
(5.) *Atrocem contumeliam viris in Republ. præcipuis illatam.* Hi enim non facilè amittunt ultionis occaſionem.
(6. *Hominis unius ad totius Reip. gubernacula evectionem & reliquorũ neglectum atq; contemtum.*
(7.) *Minas:* qui multis conſilia prævertendi pericula ſuggerunt.

II. *Otium* & *nimia ſubditorum felicitas*, ex ingenii humani vitio, ad extrema quoq; inclinant: quia nec proſpera nec adverſa moderatè ferre plebs poteſt; notumque illud:

Luxuriant animi rebus plerunque ſecundis.

Memorabilis eſt illa *Valerii Max.* ſententia: *Sæpè negotium nomine horridũ civitatis Romanæ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis reſperſit.* Multæ quoq; ſũt aliæ cauſæ, quæ ſeditioſa ſubditis conſilia ſuggerunt, cujuſmodi ſunt, paupertas potentiorum & ambitio: potentia nimia eorum, quos parere leges jubent: metus ſuppliciorum etiam juſtorum: impoſtura falſorum prophetarum: nationum moribus & ingeniis diſſidentium in Rempublicam receptio: collegiorum & ſocietatum licentia.

III. Denique impotenti plebi prava quoque conſilia ſuggerunt *calamitates publicæ*, præſertim *bellum* & *annonæ caritas*. Seditionum in caſtris vel ob negata ſtipendia, vel ob defectum commeatus ortarum exempla ſunt frequentiſſima & ferè quotidiana. Pacatum Reipubl. Romanæ ſtatum ſæpè afflixit & movit *annonæ caritas*. Famis rabies indomita eſt.

THES. VII.

Subjectum, hoc eſt, ii, qui ad ſeditiones potiſſimum inclinant, ſunt (1,) inopes: (2.) obærati

(3.) qui ex maleficiorum conſcientia pœnas metuunt publicas. (4.) ambitioſi.

EXPLICATIO.

Inopes, inquit Salluſtius, *bonis invident, vetera odêre, nova expetunt, odio ſuarum rerum mutare omnia ſtudent. Obæratis*, inquit Tacitus, *afflicta fides eſt in pace, ſuntque rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſſimi.*

Qui verò *pœnas* metuunt & ignominiam publicam, prævertere eam everſione ſtatus publici laborant & concitatu facilimi ſunt. Ariſtoteles, 5. Polit. cap. 3.

Ambitioſi privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent: Tacitus. *Honores*, inquit *Nero, quos quietâ Republicâ deſperant, perturbatâ ſe conſequi poſſe arbitrantur.*

THES. VIII.

Progreſſus hujuſmodi ferè ſunt: clam cogunt cœtus ſeditioſi, & flexo in veſperam die, dilapſis melioribus, deterrimum quemque congregant, querelas inferunt, & turbamenta vulgi: palam ſpecioſa prætexunt nomina & libertatem præ ſe ferunt, durumque & inviſum ſervitutis jugum deteſtantur.

EXPLICATIO.

Vigilandum heîc principi & magiſtratui: in latibulis ſuis indaganda hæc fera, quæ plerunque antequàm erumpat, aliquibus ſe prodit indiciis: nempe clandeſtinis conventibus, calumniis, querelis, profeſſione odii, præſentis ſtatus faſtidio & contemtu, minis, contradictionibus, mutationis à magiſtratu imminentis exaggeratione, obſtaculis legum executioni poſitis &c.

THES. IX.

Remedia ſeditionum varia à prudentibus adhibentur, inter quæ ſequentia ſunt, (1.) ſi maturè initiis occurratur: (2.) ſi per eloquentiam ani-

mi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

mi exulcerari ad ſaniora conſilia revocentur: (3.) ſi, ubi vires jam ſumpſit malum hoc, triſtiora & duriora media adhibeantur, & in auxilium vis accerſatur: (4.) ſi plebs ſeditioſa variis artibus verſetur & autores divellantur: (5.) ſi ocultis præmiis ad obſequium alliciantur tubæ & faces: (6.) ſi ambiguis promiſſionibus plebs demulceatur (7.) ſi in complices ſeditioſorum nimis anxiè inquiratur: (8.) ſi arma ſeditioſis adimantur: (9.) ſi in ipſo ſeditionis actu in autores etiam comprehenſos nihil duri ſtatuatur.

Explicatio.

Eloquentiâ moveri & flecti plebs facilè ſolet, auribuſque duci:

> *Nam pietate gravem & meritis ſi forte virum quem*
> *Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:*
> *Ille regit dictis animos & pectora mulcet:*

Egregium heîc eſt *Meneii Agrippæ* exemplum, qui breviculâ & concinnâ oratione, quâ Rempûblicam cum corpore humano comparavit, & neceſſitatem mutuarum operarum demonſtravit, ſeditioſam plebem *Romanam* ſedavit: videatur *Livius*, libro ſecundo.

Pyrrhus ajebat à *Cyneâ* oratore & legato ſuo plures urbes oratione, quàm à ſe armis expugnatas eſſe.

Iulius unico verbo ſeditionem exercitus compeſcuit, quando *Quirites* appellavit, qui ſacramentum detrectabant.

Auguſtus ſolo adſpectu & vultu *Actiacas legiones* exterruit: quod de *Caligula* quoque *Suetonius* narrat. Ita ſæpe arma, quæ furor concitatæ plebi dedit, pudor & conſpectus principis excuſſit. Eſt hoc ſeditionum compeſcendarum omnium tutiſſimum & molliſſimum medium. Deſperatio ſeditioſis non eſt injicienda: nam, *qui ſperat nihil,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

hil, deſperat nihil. Poſtquam ſalute deſpondit ſeditioſus, exitii quærit ſolatia comitesque mortis. Experta hoc Reſpubl. *Romana*: nunquam quieſcunt deſperati.

THES. X.

Fuerunt ſeditiones: ſequuntur *bella civilia*: qui ſunt motus ſubditorum truculentiores in magiſtratum aut inter ſe.

EXPLICATIO.

I. Everti Reſpubl. per *bella civilia* apud omnes eſt in confeſſo: neque ullum eſt aliud efficacius mediũ deſtruendi potentiam magnam, quam *inteſtini motus* & *bella civilia*, quæ longè facilius & citius Rempubl. evertunt, quam *externa*, quia hæc extra Reipubl. viſcera tumultuantur: illa in ipſis ſæviunt viſceribus. Vnde apud *Salluſtium* Criſpus olim ominabatur, nũquam futurum ut *urbs Romana* everteretur, niſi cives cum civibus manus conſerturi & ita defeſſi & exſangues regi aut nationi prædæ eſſent futuri. Eſt autem civilibus bellis nihil calamitoſius, ut omnes uno ore prudentes confitentur. *Omnia ſunt in bellis civilibus miſera*, exclamat Cicero, *ſed nihil miſerius quam ipſa victoria.* Vnde judicat idem, *eum, quem diſcordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat, ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum eſſe.*

II. Cauſæ civilis belli aliæ ſunt remotæ, aliæ propinquæ. Remotas *Lipſius* conſtituit duas, *Fatum* & *Luxum*: *Fatum*, inquit: quia ab eventibus omnis ævi certum, DEVM ſolemniter magna Imperia perdere per hanc viam. De *luxu* quoque prudentes conſentiunt & eventus atteſtantur: *Quæ alia res*, quærit Florus, *civiles furores peperit, quam nimia felicitas! Opes atque divitiæ afflixere ſeculi mores, merſamq; vitiis ſuis, quaſi ſentina, Rempubl. peſſundedere.* Alia tamen ratione *luxus*,

alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

alia *divitiæ* excitant bella civilia: *Luxus*, quia egeſtatem parit, quæ remedium quærit ab inteſtinis motibus, quando præter vitiorum inſtrumenta ſibi nihil ſupereſſe videt. Qui igitur ex ſplendidâ fortunâ ad obſcuram egeſtatem ſunt prolapſi, impatientes ejus *miſcere cuncta & privata vulnera Reipubl. malis operire ſtudent*. Tacit. Imo *malunt publicâ ruinâ proteri, quàm ſuâ, ut idem paſſuri minus conſpiciantur*. Vell. *Divitiæ* verò, quia inſolentes reddunt poſſeſſores ſuos humiliores; Vnde ad altiora gradum ſibi parant per ruinam Reipubl, ad cujus gubernacula per inteſtinos motus graſſantur. De propinquis cauſis jam ante diximus: Si quidem ad civilia bella proximè viam ſternunt *tyrannis, factio, ſeditio*.

III. Movent heîc quæſtionem politici: *Quî gerat ſe in bello civili vir bonus? Quieſcat, an in partes abeat?* Quietem multi ſuadent *ratione*: quia arma civilia neque parari, neque haberi poſſunt per bonas artes: *Tacitus*. Et plerunque Duces bonum publicum ſimulantes pro ſua quiſque potentiâ certant? *Salluſt*. Vnde *Cæſar*: viro bono & quieto, & bono civi nil magis convenit, quam abeſſe à civilibus controverſiis. *Exemplis*, *Q. Hortenſii* & *Aſinii Pollionis*, qui civilibus intereſſe bellis recuſarunt.

Contra verò in partes abire alii jubent, vel potius parti ſe adjungere, quæ juſtam fovet cauſam: Qui enim deſerit bonos, diſſentire ab iis videtur: Vnde *Solonis* lex: *In caſu civilis diſcordiæ, qui non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatusque communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque eſto*. Gellius.

Lipſius perſonas diſtinguit, quæ publicis funguntur honoribus, vel vitam agunt privatam, & quaſi

quaſi in umbra latent. *Illis* poſteriorem ſententiam tenendam, judicat, dignitati ſerviendũ, Reip. conſulendũ & officii rationem in omni vita ducendam. *Iſtis* priorem nec cauſam eſſe putat, cur dent ſe in turbidum illud mare, qui tranquillum non tentarunt. Quod tamen non niſi cum cautela probaverim.

CAPVT III.

DE VIOLATIONE IURISDICTIONIS PER FACTA HOMINUM OCCULTA: Vbi de proditione, conjuratione & inſidiis.

THESIS I.

HActenus *violatio juridictionis per facta hominum manifeſta*: Sequitur ejusdem violatio per *facta occulta*, quæ ſunt (1.) *proditio*: (2.) *coniuratio*: (3.) *inſidiæ*.

THES. II.

Proditio eſt communicatio arcanorum Reipublicæ facta cum hoſte in detrimentum Reipubl. cujus conſiderandum (1.) *ſubjectum*: (2.) *pœna*.

THES. III.

Subjectum, in quod cadit plerunque proditio, ſunt homines (1.) *Leves*, qui pendent ex ancipiti mutatione temporum (2.) *ſimulatores*, quos non ante intelligas, quam proditus ſis. (3.) *Avari*, qui famæ, fidei omnibuſque aliis rebus commodum ſuum anteferunt.

THES. IV.

Pœna proditionis eſt capitalis ſive crux, ſive ferrum.

EXPLICATIO.

Proditores *Germani veteres* de arboribus ſuſpéderunt. *Cicero* judicat nullam eſſe poſſe in tanti ſcele-

ſceleris immanitate punienda crudelitatem : idque non tam ulciſcendi cauſa, quàm ut in præſens ſceleratos cives timore ab impugnanda patria deterreas & in poſterum documentum ſtatuas, ne quis talem amentiam velit imitari. Nullum heîc *veniæ* locum eſſe volunt prudentes: quia *manſuetudo & miſericordia plerunque in miſeriam vertit* ; Salluſt. Et quidem *celeri pœnâ* vindicandum hoc crimen judicat *Valerius Maxim.* imo ne in judicium quidem proditores adduci vult *Dio*, ſed hoſtium loco ilicet puniri.

Amari quidem ſolet proditio ab iis, quibus ſervit: Ipſi vero proditores vix unquam.

Vnde *Auguſtus : Ego proditionem amo, proditores non approbo. Philippus* ajebat *ſe amare prodituros, non proditores.*

THES. V.

Hæc proditio eſt : *Conjuratio* eſt paucorum in Reipublicę perniciem mutuo Sacramento obſtrictorum conſenſus : cujus obſervetur (1.) *ſubjectum*, (2.) *divulgatio*; (3.) *pœna.*

THES. VI.

Subjectum conjurationis ſunt : (1.) Qui novis ſtudent rebus & exoſum in pace ſervitium habent: (2.) Inopes & qui alieno laborant ære: (3.) Inſigni aliqua affecti injuria.

EXPLICATIO.

Moribus hiſce deſcribitur *in coniuratione Catilinaria Cn. Piſo, Adoleſcẽs nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſus, quem ad perturbandam Rempubl. inopia & mali mores ſtimulabant.* Sæpiſſimè verò ad conjurationẽ incitat antegreſſa aliqua inſignis injuria, ſive verè ea talis ſit, ſive talis æſtimetur.

THES. VII.

Divulgari conjuratio ſolet plerunque per multitudinem & imprudentiam conjuratorum, præſertim ſi *fœminæ* ejus ſint conſciæ.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

Fruſtra, inquit Tacitus, *ſilentium & fidem in tot conſciorum animis & corporibus ſperes.*

THES. VIII.

Pœna capitalis eſt, quæ non tantum à conjuratis capitibus, ſed & ab eorum filiis ſumitur, quia paterni ſceleris in iis metuuntur exempla. l. 5. C. ad L. Iul.

THES. IX.

Fuit conjuratio : Sequuntur *inſidiæ*, quæ plerunque principibus ſtruuntur à familiariſſimis, & evitantur (1.) diligenti indagatione (2.) gravi in convictos animadverſione : (3.) innocentiâ : (4.) calliditate & aſtutiâ:(5.)protectione divinâ.

EXPLICATIO.

I. Exempla inſidiarum à familiariſſimis ſtructarum principibus videantur apud autorem, lib. 7. cap. 19. A domeſticis & familiaribus occiſi *Amon*, *Ioas*, *Simon Maccabæus*, *Alexander & Meleager*; Macedoniæ reges, *Mithridates*, *Tiberius*, *Domitianus*, *Albertus I.* Imper. *Carolus VII.* Francorum Rex. *Regum*, inquit Curtius, *exitus ſi reputaverimus, plures à ſuis, quam ab hoſtibus interemptos reperiemus.* Teſtis locuples *Gallia*, quæ Regum ſuorum ſanguinem ſæpius hauſit. Tantò periculoſius hoc malum, quantò occultius. *Quisquis vitam ſuam contemſit, tuæ Dominus eſt*; inquit Seneca. A militibus ſæpè malum hoc : quorum *fluxa fides & periculum à ſingulis*; Curt.

II. Inter remedia, quib. evitantur inſidiæ, præcipuum eſt *divina protectio* : *Fruſtra enim ſunt vigiles, niſi* DEVS *cuſtodiat civitatem*, Pſ. 127. v. 1. Ex hoc propugnaculo ſecurus inſidias deſpicit *David* in Pſalmis.

Innocentia quoque ſecuros reddit magiſtratus & Principes. Vnde *Titus* Imperator. *Nemo iniuriâ me afficere, aut inſequi cõtumeliâ poteſt : Proptere*a

rea quod nihil ago, quod reprehenſionem mereatur: ea vero, quæ falſo de me dicuntur, prorſus negligo. *Diſcimus experimento*, inquit Plinius in Panegyr. *fidiſsimã eſſe cuſtodiã principis, ipſius innocentiam.*

III. Duobus hiſce remediis alia duo addit *Lipſius*, & nos in theſi, *indagationem & punitionem.*

Indagitione caveri & evitari quandoq; poſſunt inſidię: Quia indiciis plerunq; ſe produnt, qui inſidias Principibus ſtruunt: vel enim ipſi quandoq; criminati ſunt principem, vel ſermonibus criminantium faciles aures præbuerunt: Adverſus hos emittendi *exploratores*, quorum delationibus omnibus præbẽdæ aures, non tam fides. Siquidẽ *innocẽs eſſe nemo poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet.*

Punitione quoque evitantur; quando exquiſitis paucorum ſuppliciis multi à ſimilibus abſterrentur facinoribus: *nulla vero iniuſta nex afferri poteſt inſidiatori.* Eſt tamen & ſuus heîc uſus *clementiæ*, præſertim ſi illuſtris aliquis depræhendatur in hoc ſcelere.

IV. Hactenus cauſas everſionis Reipubl. ordine perſecuti ſumus. Placet heîc nobis judicium *Lipſii*, depromtum ex Ariſtot. 5. Polit. cap. 10. qui ad duo vitia, tanquam ſumma capita pleraſque refert cauſas, nempe ad *odium* & *contemtum* Magiſtratus.

Odium in Magiſtratum à ſubditis concipitur propter *vitia* & *vitiorum opinionem*: *Vitia* ſunt tria potiſſimum, *Sævitia* in exigendis ſuppliciis, *Avaritia* in exigendis tributis, *Rigor* in moribus & luxu caſtigandis. Citra hæc objecta ſi modum magiſtratus exceſſerit, maximè exoſum ſe ſubditis reddit. *Quem vero quisque odit, periiſſe expetit.* Hinc *inſidiæ, proditiones, conjurationes, defectiones, ſeditiones, publica bella. Vitiorum opinio* concipitur, *ex ſuppliciis, tributis, cenſurâ*: quæ niſi peritè & dextrè adminiſtrentur, everſionem

nem Reipubl. accerſunt: De ſingularum moderatione ſuo loco egimus.

In *contemtum* ſe addicit Magiſtratus, *formâ Imperii*: Si nimis ea lenis & remiſſa ſit: qua ratione omnis excutitur reverentia. *Fortuna*; ſi votis tuis plerunque malignum pedem opponat. *Moribus*; ſi effęminatus & libidini ſit deditus: Vnde Ariſtoteles: *Solutè viventes deſpicabiles fiunt, & multas opportunitates præbent inſidiantibus.*

V. Cauſæ *everſionis* hactenus explicatæ pleræque ſunt *generales*, quæ ſingulis Rerumpubl. formis interitum accerſunt. Sunt præter has etiam *peculiares*, quibus una potiùs quam altera Reipubl. forma, nempe *Ariſtocratia* potius, quam *Democratia*, vel *Democratia* potiùs, quam *Monarchia* evertitur, de quibus *Platonem* monet *Ariſtoteles*. Exempli gratia: *Arces* & *præſidia* extra viciniam hoſtium, evertunt *Democratiam*, conſervant *Monarchiam*. *Democratico ſtatui* exitioſa eſt potentiorum & ditiorum civium diu continuata in gerendis honoribus autoritas: quæ *Monarchiæ* & *Ariſtocratiæ* eſt ſalutaris &c.

CAPVT IV.
DE EVERSIONIS CAUSA formali, ſubjecto, adjunctis, effectu & contrariis.

THESIS I.

HActenus *efficiens cauſa everſionis Reipubl.* Sequitur *formalis*, quæ conſiſtit in abolitione legum, Magiſtratus & ſubditorum.

EXPLICATIO.

I. Ab *everſione* Reipub. differt *converſio*, quæ nō eſt plenaria abolitio, ſed mutatio unius formę Reip. in aliam, ſive meliorem, ſive deteriorem.

Exempli gratia: Quando *Ariſtocratia* mutatur in

in *Democratiam*, vel hæc in illam. *Ariſtocratia* in *Monarchiam*, vel hæc in illam. Quando *Democratia* mutatur in *Oligarchiam*, *Monarchia* in *Tyrannidem*. Fit autem plerunq; mutatio in formas cognatas, quales ſunt *Democratia* & *Oligarchia*, *Ariſtocratia & Oligarchia*, *Monarchia* & *Tyrannis*.

II. *Converſionum* harum variæ ſunt cauſæ. Mutatur *Democratia* in *Oligarchiam* plerunq; propter Tribunorum plebis improbitatem, quæ habenas Reipubl. extorquet *Populo*, & præcipuis ex populo ſæpè per calumniam oppreſſis, ad ſe rapit : quo modo in *tyrannidem* tandem mutatur, ſumma rei à paucis ad unum aliquem autoritate & potentia eminentem delata.

Ariſtocratia mutatur plerunque per ſeditiones & neglectum juſtitiæ.

Monarchia mutatur ex injuſtitia Monarcharum, ex metu & odio ſubditorum, ex contemtu Monarcharum & principum, ex cupiditate honoris, gloriæ & divitiarum, quæ in Principem ſtimulare ſubditos improbos ſolent.

III. Nobilis eſt quæſtio : *An populo, ſeu ſubditis liceat ſemel conſtitutam Reipubl. formam mutare : Exempli gratia : Monarchiam in Ariſtocratiam, vel Ariſtocratiam in Monarchiam, vel Democratiam in Ariſtocratiam, &c.*

Nos ex doctorum & piorum *Politicorum* ſententia breviter ita reſpondemus :

Reſpubl. mutari poteſt, quando Magiſtratum non habet, vel quando habet :

Quando Magiſtratum non habet (eò quod vel mortuus ſit, vel officio abierit) mutari poteſt, *ſi ab Electione populi vel ordinũ libera pẽdeat conſtitutio Magiſtratus*. Penes quem enim ſummũ eſt jus cõſtituendi Magiſtratum : quid ni & talem vel talem conſtituendi? adeoque & Rempubl. pro arbitrio reformandi, vel in alium ſtatum transformam-

mandi: *niſi lex aliqua obſtet ab ipſo lata populo vel ordinibus, de Republicâ nunquam reformandâ.*

Quando Magiſtratum habet, eumque ad *leges fundamentales* alligatū, cui ſub certis conventis, pactis & conditionibus delata eſt à populo vel ordinibus ſive *Electiva* ſive *Hæreditaria*, mutari iterum poteſt & deponi Magiſtratus, *ſi leges fundamentales enormiter & pertinaciter violet, easq; penitus everſū eat, non obſtantibus ordinū ſupplicationibus & monitis.* Ratio eſt: Quia Reſpubl. hujuſmodi defertur per modū *contractus*, qui æquè utramque partē obligat: cujus leges ſi ab unâ parte malitiosè violentur, altera amplius non obligatur.

Mutationis hujus, quoad Magiſtratus remotionem exempla ſunt in pleriſque *Europæ* Regnis ſive *Electivis*, ſive *Hæreditariis*, in *Imperio Romano, Galliâ, Anglia, Hiſpania, Polonia, Dania, Suecia, &c.* Vide *Danæum* lib.3.Polit. Chriſt. cap. 6.

Nil tamē heîc præcipitandū: Nil à merè privatis, vel uno tantū aut altero ordine tentādū: neq; propter *vitia perſonalia*, avaritiā, ebrietatē, impietatē, &c. ſi in *leges fundamentales* non impingant, de movendo Magiſtratu conſilia agitanda. Imo ne mēte quidem captus Rex de ſolio eſt dejiciendus: vide *Danæum*, Chriſtianæ Polit. l.6. c.3. neq; *hæreticus*: niſi fortè aliud jubeant leges fundamentales. Et ne *leproſus* quidem, etiamſi ab hominum conſortio removendus eſt, 2. Reg. 15. v. 5.

THES. II.

Subjectum everſionis eſt Reſpublica, ſecundum partes, quæ ſunt *urbes* & *homines*.

THES. III.

Vrbes plerunque ab hominibus evertuntur per *incendia* à DEO pænâ extraordinariâ, per *terræmotus*, nonnunquam etiam per *diluvia*.

EXPLICATIO.

I. Exempla urbium per *incendia* everſarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

in hiſtoriis occurrunt plurima. Incendio perierũt *Sodoma* & *Gomorrha*, circa annum Mundi 2000. *Corinthus*, *Carthago*, *Numantia*, *Athenæ*, *Thebæ*, *Sparta*, *Roma* aliquoties à *Gallis* & barbaris Principibus *Totilâ*, *Alarico*, *Genſerico* & *Odoacro*. An. Chriſti 1132. in *Germania* urbes conflagrarũt *Auguſta*, *Mogũtia*, *Goslaria*, *Hala Saxonũ*: ſequẽtibus annis *VVormatia*, *Brema*, *Hamburgum*. Neq; facile urbem ab hominibus everſam & deletã niſi per *ignẽ*, legeris. In *Germania* noſtrâ intra proximos decem annos florentiſſimas urbes plures evertit per flammas militaris furor & immanitas.

II. Per *terræ motus* dirutę & ſepultę urbes plurimæ: Et quidem eo terræ motu, qui Chriſti mortem comitatus eſt, XII. urbes *Aſiæ* nocte unâ proſtratæ ſunt, inter quas & *Epheſus* fuit. Poſterioribus ſeculis eodem modo innumeræ quoque urbes, arces & pagi ſunt everſi.

III. *Diluvia* quoque orbem ejusque incolas ſubinde graviſſimè affixerunt. Et quidem anno à Mundo condito 1656. *Noachico diluvio* univerſus orbis habitatus periit: Secuta deinceps alia diluvia particularia, quæ varias orbis partes vaſtarunt. Vix autem ulla orbis pars majora & crebriora à diluviis particularibus accepit damna, quã *Belgium* in variis provinciis. In *Flandria* circa annum Chriſti 1000. aliquot hominum millia ſunt ſuffocata: ut & ſequentibus annis in *Friſia*, ſupra centum millia: in *Selandia* 15000. cum urbibus & pagis interierunt. Ante ſeptimanas non adeò multas pagorum & hominum multa millia maris eruptio in *Holſatia* delevit.

Thes. IV.

Homines iiſdem obnoxii ſunt calamitatibus, quibus urbes, & pluribus: pereunt enim maximo numero non tantum *incendiis*, *diluviis*, & *terræmotibus*, ſed & *ferro*, *peſte*, *fame*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

EXPLICATIO.

An. Chriſti 1125. dicitur tertia hominum pars *fame* & *peſte* interiiſſe. In *diluvio Noachico* omnes, ad octo usque animas, extincti ſunt. Anno Chriſti 851. tam ſæva per Germaniam fames graſſata eſt, ut & parentes liberos, & liberi parentes devorarint. Et quis omnes eos numerat, quos Martis abſumit furor!

THES. V.

Subjectum everſionis ſequuntur *adjuncta*, quæ duo potiſſimum ſunt, *tempus* & *ſigna*.

THES. VI.

Tempus appellari ſolet *fatalis Rerump. periodus*, quæ ſæpe *quingentis* & *ſeptingentis* annis abſolvitur: etſi mirum non eſt in tot regnorũ & Rerump. mutationibus & everſionibus easdem quandoque occurrere periodos. Interim certum eſt cuique Reipubl. fatalem à DEO periodum eſſe conſtitutam: uti & ſingulorum hominum vita certam fixamque habet durationis metam.

EXPLICATIO.

I. Inter *periodos* regnorum & rerumpublicarum *fatales*, Politici inter alias obſervant *quingẽtorũ* & *ſeptingentorum* annorum periodum, cujus plura annotant exempla: Etſi non adeò ſcrupuloſè paucorum annorum exceſſum attendunt.

Iudaicum regnum à *Saule* ad *Zedechiam* ultimum fuit ann. 500. A reditu populi *Iſraelitici* ex *captivitate Babylonica* ad ultimum ejus excidium anni effluxerunt totidem: quibus circumſcripta quoque Reſpubl. *Spartana* à *Lycurgo* fundatore ad *Alexandrum* M. Everſorem. *Democratia Romana* ab exactis primis regibus usq; ad *Auguſtũ*, & Monarchia eadem ab *Auguſto* usque ad *Auguſtulum* eâdem circumſcripta fuit periodo.

Septingenti anni effluxere à tempore, quo floruit Reſpub. *Romana*, uſq ad vaſtationem à *Gothis* factam:

factam: Item à conditâ Roma uſq; ad bellum civile Cæſaris & Pompeii: Eadem & *Carthaginenſis* Reipubl. fuit periodus. Videatur de hiſce periodis *Bodinus*, lib. 4. cap. 2. & *Richterus* in axiomat. Politicis. Cur autem hæ potiſſimum periodi fatales ſint Rebuspubl. hanc nonnulli, & in his *Keckermannus*, rationem adferunt: Quia intra hoc ſpatium temporis decurrit ſexta hominũ circiter generatio, quę deficit & deflectit magis ac magis ab eorum hominum ſimplicitate, robore & fortitudine, qui initio Imperia ejuſmodi virtutibus acquiſiverunt & conſervarunt: Velut & corpora hominũ fiunt quarta & quinta generatione languidiora, decreſcente robore & fortitudine.

II. Interim variæ aliæ & admodum diverſæ, cùm majores tùm minores *periodi* Rebusp. fatales obſervantur, Exempli gratia; periodus *Monarchiæ Aſſyriacæ* ann. fuit 1676. Regni *Sicyniorum*, 983. *Lacedæmon.* 1320. *Athenienſ.* 1476. *Trojani regni* 318. Reip. *Iudaicæ* 1525. Regni *Tyriorum* 475. *Medorum*, 321. *Macedonũ* 644. Regni *Perſici*, 200. Monarchiæ *Græcæ* 300. Regni *VVeſtgothici* 641. Vide *Alſtedium* in theſauro Chronologico.

THES. VII.

Signa antecedentia ſunt plerumque *cometæ, terræ motus* & plures in aëre *Soles* repræſentati.

EXPLICATIO.

Inſignis eſt *Herodoti* ſententia, lib. 6. *Cum DEVS puniturus eſt gentem vel urbem, prodigiis id prius ſolet ſignificare.* Exempla videantur in Chronologia Cometarum *Alſtedii*. Qui ſuperiori anno 18. apparuit horrendus Cometa, maximarum calamitatum & mutationum, quibuscum *Germania* noſtra in annum ſextum decimum conflictatur, prænuncius & prodromus fuit,

THES. VIII.

Adjuncta ſequuntur *effecta*, inter quæ princi-

pem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

pem tenent locum *migrationes gentium* : quæ crebræ olim fuerunt ex *ſeptentrione* in alias Mundi partes.

EXPLICATIO.

Everſis Rebuspublicis plerunque gentes in alia migrarunt loca, novas quæſitum & tranquillas ſedes: Etſi ſæpe patriarum terrarum pertæſæ gentes ſponte alias feliciores quæſivere.

Obſervatum autem ab Hiſtoricis frequentiores olim fuiſſe *gētium ſeptentrionalium* migrationes, quàm aliarū. Quia horridiora & incultiora olim erant loca ſeptentrionalia, minusque grata habitatoribus. Vnde tritum illud: *Ex ſeptentrione malum*. Ex *Cimbrica Cherſoneſo* in Italiam eruperunt *Cimbri* & *Teutones* nec non *Gothicæ* gētes. Ex *Italia* nonnulli in *Thraciam* ſunt progreſſi, *Getæ* poſtmodū appellati. E *Caucaſi* anguſtiis ſeptētrionalibus in *Aſiam* florentiſſimam irruperunt *Turcæ*. *Suevi* ex *Pomerania* in *Romanorū* provincias, *Rhetiam* & *Vindeliciam* conceſſerunt. *Longobardi* tractū olim *Magdeburgenſem* occupantes in *Galliam* per *Noricum*, *Pannoniam* & *Italiā* migrarūt, ibidemq; regnum conſtituerunt. Sic in *Babylonem* olim & *Aſſyriam* tranſlati Iudæi. Conſulendi heic Autores qui de gentium migrationibus ſcripſerunt, inprimis *VVolffgangus Lazius*, qui duodecim libros de hoc argumento ſcripſit.

THES. IX.

Contraria everſionis ſunt remedia, quibus præcaveri & evitari poteſt everſio : cujuſmodi ſunt fuga ſecuritatis & otii, religionis & legum obſervantia, ſapientum & proborum hominum ad gubernacula evectio, bonorum defenſio, improborum coërcitio.

HACTENVS TERTIVS POLITICÆ liber de Reipublicæ everſione: & ſic finis doctrinæ Politicæ.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 M 30